

37
1 B
22

TRACTATUS
DE PERTINENTIBUS
Ad Celebrationem
JEJUNII ECCLESIASTICI
QUATUOR ANNI TEMPORUM,

SCILICET,

Quadragesimæ, Pentecostes, Septembris, & Decembris.



ROMÆ, MDCCXXIV.

Ex Typographia Petri Ferri sub Bibliotheca Casanatensi.

SUPERIORUM PERMISSU.

TRACTATUS

DE PERTINENTIBUS

Ad celebrationem Jejunii Ecclesiastici Quatuor Anni Temporum,

SCILICET

Veris, Æstatis, Autumni, & Hiemis, seu Quadragesimæ, Pentecostes, Septembris, & Decembris.

CONCINNATUS

A P. Fr. EUSEBIO *de Sanctissimo* SACRAMENTO, *Matritensi, Sacerdote professo Ordinis Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis, Redemptionis Captivorum, Congregationis Hispaniæ, ejusdem Religionis Missionario, olim Procuratore Generali in Matritensi Curia, bis Redemptore Captivorum, & Chronista Generali, necnon pro Supremo Tribunali Sanctæ Inquisitionis Hispaniæ Librorum Revisore.*

DICATUS

Eminentissimo, ac Reverendissimo Domino Principi,

D. BERNARDO MARIA

Ordinis S. Benedicti, S.R.E. Presbytero

CARDINALI DE COMITIBUS,

Summo Pœnitentiario, & Sanctissimi Domini Nostri Papæ Divina Providentia

INNOCENTII XIII.

GERMANO FRATRI,

PER MANUS

Reverendiss. P. Fr. EMMANUELIS FERREYRA *Lusitani, Ordinis Antiquæ Observantiæ Beatiss. Virginis* MARIÆ *de Monte Carmelo, Sacræ Theologiæ Magistri, & Doctoris, olim Conventus Fluvii Januarii in Brasilia Prioris, necnon Provinciæ eodem titulo Fluvii Januarii nuncupatæ Provincialis, ac Fratrum sui Ordinis in toto Statu Americano Reformatoris, & Visitatoris Generalis, Reverendiss. P. Prioris Gener. Fr. Joannis Feyxoò de Villalobos Secretarii, Sociique Generalis assumpti pro Visitatione Provinciarum Hispaniæ, & Portugalliæ, postea pro Provinciis Lusitanæ Nationis Assistentis Generalis Apostolici, atque Provinciarum Daciæ, & Terræ Sanctæ Provincialis, & totius sui Ord. Socii Generalis, actuq; ejusdem Religionis Procuratoris, & Commissarii Gener.*

Emẽ, & Rmẽ Domine
PRINCEPS.

GRATITUDINIS *ergo, ob innumera beneficia, quæ mea Religio, per manus Sanctissimorum Summorum Pontificum Domus Signiæ, & Poli Præstantissimæ, usque ad Dominum nostrum, & Patrem* INNOCENTIUM XIII. *felicissimè regnantem, & Vestræ Eminentiæ Fratrem germanum,*

acce-

accepit, gratiasque concessas notabilissimas, & innumeras isti Trinitario Ordini, debui Vestræ Eminentiæ, utpote tanto Principi, præsentem librum dicare, simul exoptans volumen ipsum nomine adeò magnifico insignire, ac nobilitare, prout impræsentiarùm facio, statuens illud sub umbra protectionis Eminentiæ Vestræ, cujus magna benignitas, & amor, quem erga meam Familiam Trinitariam exercet, facient dissimulare doni hujus parvitatem, ac munusculi exiguitatem, nè talis proceritas offendatur, quandò similis tenuitas, qualis hujusce voluminis, vel libri est, ejus obtutibus sistitur. Dicam, quamvìs rudi stylo, quomodò inter multos Pontifices Romanos, qui plurimùm diligentes Trinitarios, eis conferre dignati sunt præstantissimos favores, excelluerunt Cognati Eminentiæ Vestræ procedentes ex Nobilissima Domo, & Familia de Comitibus, & Signiæ.

Fa-

Favit quidem Trinitariis ille Magnus in omnibus Innocentius III. maximè eos in Eccleſia Dei inſtituens, ipſiſque Regulam propriam concedens. Benefecit illis Gregorius Nonus verè Præclarus, eoſdem accuratè defendens. Subvenit etiam eis Inclytus Alexander Quartus, ipſos ubique ſtabiliens. Ea, quæ in bonum Trinitariorum cœpit ab Innocentio Magnificentia, habuit incrementum in Gregorio, complementumque in Alexandro. Sed, dicente de hac Religione, Sapientiſſimo illo ſimul, ac Sanctiſſimo Papa, Innocentio Tertio: Hic eſt Ordo approbatus, non à Sanctis fabricatus, ſed à ſolo Summo Deo: *quid facerent alii duo ejus cognati Maximi Pontifices, ejuſdem, ſicut erat Innocentius Tertius, Domus Præclariſſimæ Signiæ, vel Poli, niſi in ſignum de eo, quòd ex Polo iſte Ordo deſcendebat cœleſtis, illum locupletare favoribus, privilegiis, & gratiis. Fecerunt profectò.*

Id

Ideò in cordibus, & mentibus, ac etiam linguis, & calamis Religiosorum Trinitarii Instituti, ac professionis Regulæ prædictæ, cum perpetua memoria ad gratificandum, vivent tres prænominati Papæ Sanctissimi. Liceat tamen mihi dicere, quòd istos tres jam vidimus, & unum adoramus: quia in isto uno etiam illos tres invénimus. Mortui sunt isti tres relati Universales Patres, & quasi non sunt mortui, similem enim reliquerunt sibi post se in uno INNOCENTIO XIII. *quem nunc universus adorat Orbis Catholicus. In nostro Sm̃o. Patre vivit (maximè pro Trinitariis) magnifica pietas Innocentii, vigilans zelus Gregorii, liberalisq; munificentia Alexandri. Juxta quod plures Auctores referunt, apparuerunt aliquando felici prognostico in Cælo tres Soles in unum omnes tres convenientes. Ecce (Eminentissime Domine Princeps) Soles Innocentium Tertium, Gregorium Nonum, & Alexandrum Quar-*

tum

tum unum Solem efformantes INNOCENTIUM XIII. *qui, quamvìs radios sui splendoris maximi circumquaque diffundat; singulariter in bonum Familię Trinitariæ emicuit, quando identitatem Corporis Magni Patriarchæ ipsius declaravit, Sanctum Joannem de Matta valde honorans, illiusque filios illustrans. In hoc facto Dominus noster Papa Sanctissimus* INNOCENTIUS XIII., *Trinitarios instituit, ut Innocentius fecerat Tertius: defendit, ut anteà Gregorius Nonus: & stabilivit, ut ille Quartus Alexander verè Magnus. Propter quod deinceps per* INNOCENTIUM XIII. *gaudebit Religio Trinitaria, (velut erecta, defensa, atque firmata,) nova hæc beneficia recipiens, quando Cultum Corporis Sancti sui Fundatoris à nostro dignoscitur consequi* INNOCENTIO XIII. *Ab hoc Summo Pontifice verè Optimo, verissimè etiam Maximo, Sole Tergemino in Cælo Domus Poli,*



& Si-

& Signiæ fulgente, hæc meo bona dimanarunt Ordini.

Emineat igitur ſuper capita Trinitariorum ſplendidiùs, qui ſemper eminuit, atque nunc eminet clarior, & illuſtrior Polus: cujus altitudinem ſolus poterit non conſpicere, qui non habet oculos, quibus valeat res altas, & eminentes videre. Sed ſi defuerit viſus, ſupplebit auditus Famæ, quæ loquitur de nobiliſſima Poli, vel Signiæ Progenie, Magnorum Regum, atque Imperatorum conſanguinitate conjuncta: ex qua tot Sancti Cælicolæ, tot Papæ, ac Principes provenerunt.

Serm. 1. in Natali Apoſtolorum Petri, & Pauli, paulò poſt init.

Romam Caput Orbis laudabat olim Sanctus Leo Magnus, admirans in ipſa, quòd eſt Civitas Sancta, Sacerdotalis, & Regia. Itaque quia Sancti, quia Papæ, & etiam Reges inveniuntur in Progenie veſtræ Eminentiæ: Sancta, Sacerdotalis, & Regia poteſt etiam vocari Domus Poli, vel Signiæ.

Ideò-

Ideòque eminet in Orbe; ſiquidem Poli forum elevat ſuam magnitudinem à foro fori uſque ad cœlum.

Benignè igitur, ut exoro, Princeps Eminentiſſime, accipiat Veſtra Eminentia hunc librum: quatenùs ſuo celſiſſimo nomine ejus protegatur puſillus Auctor; qui eſt, ac ſemper erit provolutus

Ad pedes EMINENTIÆ VESTRÆ,
Ceu ſuus humillimus ſervus,

Fr. Euſebius à Sanctiſſimo Sacramento
Trinitarius Excalceatus.

Facultas, & Licentia Ordinis.

FR. Michael à S. Joseph, Ordinis Discalceatorum Sanctissimę Trinitatis Redemptionis Captivorum per Italiam Commissarius Generalis: potestate à Nostro P. Fr. Alexandro à Conceptione Majori, ac Generali Ministro, necnon Venerabili Nostro Generali Diffinitorio ad id nobis specialitèr impertita, facultatem tenore præsentium concedimus, ut Liber, cujus Titulus est: *Tractatus de pertinentibus ad Celebrationem Jejunii Ecclesiastici Quatuor Temporum, scilicet, Veris, Æstatis, Autumni, & Hiemis*, à P. Fr. Eusebio à Sanctissimo Sacramento Sacri Nostri Ordinis Sacerdote Professo compositus, & elaboratus; quoniam à Sacri Nostri Ordinis Theologis recognitus, & accuratè perlectus est, & nihil in eo inventum, quod Sacræ Nostræ fidei, aut bonis moribus contrarietur, verùm plurimas contineat valdè utiles ad virtutes sectandas, vitiaque fugienda instructiones, Typis mandari possit, servatis servandis, ceterisque ad id facultatibus necessariis obtentis. In quorum fidem has præsentes dedimus manu nostra, & Secretarii Nostri Chirographo subscriptas, Sigillique Nostri Officii impressione munitas in hoc Nostro Romano S. Caroli ad Quatuor Fontes Conventu Ordinis prædicti, die vigesima prima Junii, Anno Domini Millesimo Septingentesimo Vigesimo Tertio.

Fr. Michael à S. Joseph
Commissarius Generalis.

Mandato Patris N. Commissarii Generalis,
Fr. Joannes ab Ascensione Secretarius.

IM-

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiss. Patri Mag. Sac. Pal. Apost.

N. Episc. Bojanen. Vicesg.

APPROBATIO

Reverendissimi P. Fr. Ignatii de Oliveyra in Sac. Theol Magistri, & Doctoris, olim in suo Collegio Sacratiss. Religionis Fratrum Beatiss. Virginis Mariæ de Monte Carmelo apud Connibricensem Universitatem Theologicæ Cathedræ Moderatoris, nunc verò in suo Conventu S. Mariæ Transpontinæ de Urbe ejusd. Ord. Extraordinarii Pœnitentiarii Sacrosanctæ Basilicæ Vaticanæ Sancti Petri.

Reverendi admodum P. Fr. Eusebii à Sanctissimo Sacramento Ordinis Discalceatorum Sanctissimę Trinitatis Redemptionis Captivorum splendoris, suæque Hispaniæ Congregationis decoris maximi, jubente Reverendissimo P. M. Fr. Gregorio Selleri, Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatii Apostolici Magistro, Librum, cui titulus: *Tractatus de pertinentibus ad celebrationem Jejunii Ecclesiastici Quatuor anni Temporum, scilicet, Veris, Æstatis, Autumni, & Hiemis, seu Quadragesimæ, Pentecostes, Septembris, & Decembris*, exacta diligentia, magnaque voluptate evolvi: Opus quidem suo Auctore dignum; in illo enim tanti Patris, tantique Auctoris prudens, & ardens animarum salutis Zelus, Divinarum Litterarum singularis eruditio, necnon Apostolici doctrina sana, & devota pietas elucet. Unde experientia nunc cognosco, & oculis video, quòd mihi non fuit satis enuntiata sapientissimi P. Fr. Eusebii à Sanctissimo Sacramento eruditio, quam omnes asserebant reperiri in Sermonibus tum in Lusitania, tum in Hispania ab eo concinnatis, magnaque animarum salutis utilitate ab eo concionatis; neque summus zelus, quo Redemptionem Captivorum, qui sub tyrannico Turcarum jugo opprimebantur, exercuit; nam major est ejus sapientia, major ejus zelus, quam eorum rumor, quam multoties audivi. Nihil invenio in opere hoc Regulis Fidei, aut morum dissonum: quinimmò ad excitandas pietatis, aliarumque virtutum affectus erga Deum; & ad invocandum Sanctum nomen ejus in tractandis Sanctissimis Fidei Mysteriis satis idoneum puto, & quolibet nomine, laude, & publica luce diguis-

dignissimum. Ideo censeo Typis vulgandum, ut pluribus prosit ad salutem, & Christianam perfectionem, totaque Litteraria Respublica commodum percipiat. Romæ in Conventu Sanctæ Mariæ Transpontinæ de Urbe 4. Octobris 1723.

Fr. Ignatius de Oliveyra in Sacra Theologia Magister, & Doctor; necnon S. Petri Basilicæ Extraordinarius Pœnitentiarius.

CENSURA

R.mi P. Mag. D. Gasparis de Oliden Ord. Cleric. Regulariũ, in Salmantino S. Caietani Collegio Sac. Theol. Lectoris: Supremæ in Hispania Inquisitionis Qualificatoris: Regi Catholico à Concionibus: Archiepiscopatus Toletani Examinatoris Synodalis: ac in Urbe à Sac. Congreg. Indicis Revisoris, &c.

EX commissione Reverendissimi P. M. Fr. Gregorii Selleri, Ordinis Prædicatorum, Sacri Apostolici Palatii Magistri, sedula vigilantia introspexi Librum, cui titulus: *Tractatus de pertinentibus ad celebrationem Jejunii Ecclesiastici Quatuor Anni Temporum: scilicet, Veris, Æstatis, Autumni, & Hiemis: seu Quadragesimæ, Pentecostes, Septembris, & Decembris*: compositum à RR. P. Fr. Eusebio de Sanctissimo Sacramento, Missionario Ordinis Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis, Redemptionis Captivorum, Congregationis Hispaniæ. Si ad mentem S. Cypriani, *Jejunium, Scripturarum deliciis pascitur, contemplatione reficitur, gratia stabilitur, cælesti pane nutritur*: hæc omnia, velut in jugi convivio, exhibet in hoc opere Pius, ac Religiosus Auctor, ex plenitudine insinuata adhuc in nomine, agnomine, & Instituto approbato ab Innocẽtio Tertio, & insignito Titulo Sanctissimæ Trinitatis, juxtà triplicẽ colorem, quo Habitus constat. Sanctissimus, & Doctissimus Pontifex, diligenter investigando mysteria in observantia hujus Jejunii, illam meditatus est *ad gloriam Trinitatis*: suadens, *ut non solùm, quid fiat, sed qualiter fiat, & quarè fiat, ex ordine cognoscamus*. Ut illa cognoverit, ordinet, cognoscereque faciat Scriptor noster Missionarius, Opus ipsum uberrimè testabitur: profundo Scripturarum scrutinio, subtili textuum collatione, catena sententiarum verè aurea. Prodeat ergo opus undequaque præclarum; numeris omnibus absolutum: Fidei Orthodoxæ Regulis innixum: bonis moribus consentaneum. Sic contestor, salva Superiorum censura, &c. in Domo S. Andreæ della Valle, Clericorum Regularium: die 3. Octobris 1723.

[Margin notes: *S. Cyprian. de Jejun. & tentat.* — *Eusebius* ab Eusebiâ, dicitur; quasi bonus cultus. Unde est idẽ, quòd Religio *D. Thom. 2. 2. q. 80. art. un. ad 4.* — *Inocent. III. Serm. 1. in Capite Iejun.*]

D. Gaspar de Oliden. C. R. S. T. P.

CEN-

CENSURA

Reverendissimi P. Mag. Antonii Mariæ Bonucci Soc. Jesu, Qualificatoris Sanctæ Inquisitionis, & Consultoris Sacræ Congregationis Indicis.

JUssu Reverendissimi P. Fr. Gregorii Selleri, Ordinis Prædicatorum, Magistri Sacri Palatii Apostolici deputatus fui ad Revisionem Libri, qui inscribitur: *Tractatus de pertinentibus ad celebrationem Jejunii Ecclesiastici Quatuor anni Temporum, Auctore Admodum R. P. Fr. Eusebio à Sanctissimo Sacramento Ordinis Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis, Redemptionis Captivorum, Congregationis Hispaniæ.* Tantis huc usque per plures menses fui distentus curis, tàmque adversa postmodùm affectus valetudine, ut vix potuerim primis, ut ajunt, labiis attingere duodecim solùm folia hujusce Commentarii. Sed, si liceat mihi metiri ex ungue Leonem, sique in Operis progressu respondeant, uti spero, ultima primis, arbitror, posse cum magno pietatis incremento, legentibus palàm exiberi. Ita censeo, salvo semper peritiori omnium Censorum judicio. E Domo Professa Romana Soc. Jesu 23. Decembris An. 1723.

Antonius Maria Bonucci Soc. Iesu.

IM-

IMPRIMATUR.

Fr. Gregorius Selleri Ordinis Prædicatorum, Sac. Pal. Apost. Mag.

TABULA, SEU INDEX

Partium, Capitum, Sectionum, & Paragraphorum bujus Libri.

Pars Prima.

IN qua ponuntur triginta sex Homiliæ super aliqua verba duodecim Evangeliorum, quæ leguntur in Feriis Quartis, & Sextis, & in Sabbatis Quatuor Temporum: & cuilibet Evangelio horum duodecim, correspondent tres Homiliȩ.

Caput primum.

Pro Evangeliis Temporum Quadragesimæ, sive Veris.

Sectio prima.

Sectio secunda.

Sectio tertia.

Caput secundum.

Sectio prima.

Sectio secunda.

Sectio tertia.

Caput tertium.

Sectio prima.

Sectio

Sectio secunda.

Sectio tertia.

Ere-

Caput quartum.

Sectio prima.

Sectio secunda.

Sectio tertia.

Pars fecunda.

Caput primum.

Sectio prima.

Sectio secunda.

Sectio tertia.

Sectio quarta.

Caput secundum.

Sectio prima.

Sectio secunda.

Sectio tertia.

Sectio quarta.

Caput

Caput tertium.

Habet positas, & explanatas Orationes, quæ post proprias cujuslibet diei Temporum, dicuntur in Missis eorum. *pag.*406.

Sectio unica.

Dictas Orationes distributas ostendit pro Temporibus Quadragesimæ, Pentecostes, Septembris, & Decembris, sive Veris, Æstatis, Autumni, & Hiemis. *Ibidem.*

Paragraphus primus explicat Orationes: *A cunctis.* & *Omnipotens*, cum Secretis, & illis, quæ post Communionem respondent ipsis, pro Tempore Quadragesimæ in Missis Quatuor Temporum illius. *Ibidem.*

Paragraphus secundus explicat Orationes *Ecclesiæ*, & *Deus omnium*, &c. pro Papa (cum Secretis, & illis, quæ post Communionem respondent ipsis) pertinentes ad Missas dierum Quatuor Temporum Pentecostes. *p.*416.

Paragraphus tertius remittitur ad explicationem Orationis *A cunctis*, cum sua secreta, & ea quæ dicitur post Communionem, prout sunt positæ pro Temporibus Quadragesimæ. *pag.*426.

Paragraphus quartus explicat Orationem de Sancta Maria: *Deus, qui de Beatæ Mariæ Virginis utero*, &c. cum Secreta, & ea, quæ ipsi post Communionem respondet: & remittitur pro Temporibus Adventus [etiam post Orationem de Sancta Maria assignatam] ad explicationem Orationum *Ecclesiæ*, & pro Papa cum suis Secretis, & illis, quæ ipsis Orationibus primis post Communionem respondent, juxta posita pro Temporibus Pentecostes. *pag.*427.

Pars tertia.

Habet ea, quæ Durandus, Belethus, & Gavantus, agentes

Caput primum.

Caput secundum.

Caput tertium.

Caput quartum.

Errata plurima correcta vide in fine libri.

PROLOGUS.

Jejunium Ecclesiasticum Quatuor Anni Temporum semper fuit apud Fideles Venerabilissimum. Ejus celebratio, & mysteriis scatet, & doctrinis proficuis floret, dum etiam uberrimos fructus affert. Istorum exardesco voto, quando in re libellum istum illum visuris propino, desiderans mysteria enodare, & doctrinas potiùs, quàm oculis, legentium cordibus proponere.

Quæ sunt præcipua in horum jejuniorum celebritate, inveniuntur Sacrum Missæ Sacrificium, & Ecclesiasticum Officium cujuslibet diei Quatuor Temporum: & propterea in prima parte proponuntur Missarum dierum istorum duodecim Evangelia, pro quoque illorum electis tribus clausulis, & tribus his respondentibus Homiliis, quæ consequenter attingunt numerum trigesimumsextum. In secunda parte cum varietate sermonis, tum Scripturalis, tum Sententialis absque Sacræ Paginæ textibus, præsentantur explicatæ septuaginta, & octo Orationes, Officiis, & Missis aliæ; alteræ verò Missis tantùm dierum Quatuor Temporum prædictorum inservientes. In tertia demùm parte (quoniam multùm interest scire Mysteria Ceremoniarum Sanctarum, quæ in ipsis diebus Temporum fiunt) de eis multùm ex notissimis Auctoribus apponuntur.

Hunc tomum sequentur, Deo dante, quatuor in Latino idiomate, quibus peragendis incumbo, & quos in folio disponere statuo. Eorum quilibet Alphabeto integro Verborum, & Materiarum dissimilium ad Sacras conficiendas Conciones, tum de Festis, tum Morales, tum etiam Funerales, &c. constabit. Et fortè dabuntur, etiam in quarta parte folii, velut iste, quinque tomi miscellanei Concionum olim à me lingua Hispanica elaboratarum; in qua prælo mandabuntur. Sed priùs, propitiante Deo, tomus parvus à me disponitur proximè imprimendus continens explicationem sententialem Orationum omnium pro Dominicis in Missali, ac Breviario Romano designatis.

Ergo pie Lector, libellum hunc, quem nunc offero, benignè suscipe, & me Deo commendans, innumeris meis defectibus, quos in eo repereris, parce. Vale, atque in æternum vive.

PARS

PARS PRIMA.

In qua ponuntur triginta ſex Homiliæ ſuper aliqua verba duodecim Evangeliorum, quæ leguntur in Feriis Quartis, & Sextis, & in Sabbatis Quatuor Temporum: & cuilibet Evangelio horum duodecim, correſpondent tres Homiliæ.

Omnia ponuntur Evangelia, juxta novum Miſſale Romanum à S. Pio V. editum, & à Clemente VIII. & Urbano VIII. recognitum.

CAPUT PRIMUM.

Pro Evangeliis Temporum Quadrageſimæ, ſive Veris.

SECTIO PRIMA,

In qua apponitur Evangelium Feriæ Quartæ Quatuor Temporum Quadrageſimæ, ſive Temporis Verni, cum tribus correſpondentibus Homiliis.

Sequentia Sancti Evangelii ſecundum Matthæum; capite 12. verſ. 38.

IN illo tempore: Reſponderunt Jeſu quidam de Scribis, & Phariſæis, dicentes: Magiſter, volumus à te ſignum videre. Qui reſpondens ait illis: Generatio ma-

 la,

2

la, & adultera signum quærit: & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. Viri Ninnivitæ surgent in Judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. Et ecce plùs, quàm Jonas hic. Regina Austri surget in judicio cum generatione ista, & condemnabit eam: quia venit à finibus terræ audire sapientiã Salomonis, & ecce plùs, quàm Salomon hic. Cùm autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida quærens requiem, & non invenit. Tunc dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi: & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Sic erit, & generationi huic pessimæ. Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus, & fratres stabant foris, quærentes loqui ei. Dixit autem ei quidam: Ecce

ma-

mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te. At ipse respondens dicenti sibi, ait: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.

§. Primus.

HOMILIA PRIMA,

Super illa verba:

Magister, volumus à te signum videre.



UI estis vos, qui tentatis Dominum, perversi, & perfidi Judæi, generatio mala, & adultera, qui signum hodie quæritis, Christum Deum, & Hominem, Redemptorem humani generis tentantes? Verè estis genimina viperarum virulenta, & nunc non docemini fugere à ventura ira, cùm potius nunc in eo, quod dicitis, provocetis iracundiam Supremi Judicis, quem tentaverunt patres vestri, probaverunt, & viderunt opera ejus: & dura cervice, & incircumcisis cordibus, & auribus vos semper Spiritui Sancto resistitis. Sicut patres vestri, ita & vos. Dum fictè, & simulanter Christo appropinquantes, ab eo signum requiritis, sanè instar

(a) *Iudith. cap. 8. vers. 11.*
(b) *Lucæ c. 3. vers. 7.*
(c) *Psal. 94. vers. 9.*
(d) *Actor. c. 7. v. 51.*
(e) *Matth. cap. 26. vers. 48.*
(f) *Ad Rom. cap. 2. vers. 5.*
(g) *Psal. 73. vers. 5.*
(h) *Osee cap. 13. v. 9.*
(i) *Psal. 54. vers. 22.*
(j) *Psal. 63. vers. 4. & 5. & 9.*
(k) *Psal. 77. vers. 36.*
(l) *Psal. 51. vers. 3. & 4. & 5. & 6. & 7.*

Judæ posteà proditoris fraudulenter ad eum accedentis,& illum osculantis, datis signum in vestrę malitię induratę monumentum ęternum:& secundùm vestram duritiam, & impœnitens cor thesaurizatis vobis iram in die iræ nunc, & in futuro: & posuistis signa vestra signa, cùm sint signa justi judicii Dei contra vos à vobis data [quia perditio tua ex te, Israel] ipsa signa vestra fraudulenta, atque fallacia, quibus, cùm mellifluos vos fingitis, absynthium amarissimum in vobis ipsis absconditis. Verè molliti sunt sermones vestri super oleum, & ipsi sunt jacula. Sed, si exacuistis, ut gladium, linguas vestras, ut sagittaretis in occultis immaculatum: subitò sagittastis eum, & non timuistis, & firmastis vobis sermonem nequam: justo Dei judicio infirmatæ sunt contra vos linguæ vestræ, quando pessimo mendacio lingua sua quisque vestrum mentitus est Domino. Quid gloriamini igitur in malitia qui potentes estis in iniquitate, cùm dicitis Jesu Christo Redemptori nostro: Magister, volumus à te signum videre? Tota die injustitiam cogitavit lingua tua, perfide Scriba, & Pharisæe, qui talia profers verba. Sicut novacula acuta fecisti dolum. Dilexisti malitiam super benignitatem: iniquitatem magìs, quàm loqui æquitatem. Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa. Propterea Deus destruet te in finem: evellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo: & radicem tuam de terra viventium. E contrario verò [o Judæi] justi vos judicabunt, & condemnabunt in universali judicio Dei, quia crediderunt verbis ejus, & laudaverunt laudem ejus, qui verba vitæ æternæ habet: & sicut olivæ fructiferæ in domo Dei, speraverunt in mi-

seri-

(m) *Matth.* 19. *v.* 28.
(n) *Ps.* 105. *vers.* 12.
(o) *Ioan.* 6. *vers.* 69.
(p) *Ps.* 51. *vers.* 10. & 11.
(q) *Lucæ c.* 16 *v.* 31.
(r) *Matth. cap.* 15. *vers.* 14.
(s) *Psal.* 73. *vers.* 5.
(t) *Isaiæ c.* 1. *vers.* 3.
(u) *Psal.* 73. *vers.* 7. & 8. & 9.
(v) *Lucæ c.* 2. *v.* 34.
(x) *Threnor. cap.* 3. *vers.* 12.
(y) *Ioan. cap.* 1. *v.* 3.
(z) *Psal.* 4. *vers.* 7. & 9. & 10.
(aa) *Psal.* 59. *v.* 6. & 7.
(bb) *Genes. cap.* 4. *vers.* 15.
(cc) *Genes. c.* 9. *v.* 13.
(dd) *Num. cap.* 21. *vers.* 8.
(ee) *Lucæ cap.* 21. *vers.* 25.
(ff) *Ps.* 64. *vers.* 9.
(gg) *Isai. c.* 11. *v.* 10.
(hh) *Zachar. cap.* 9. *vers.* 9. & *Matth. cap.* 21. *vers.* 5.
(ii) *Psal.* 85. *v.* 17.
(jj) *Ioan. c.* 4. *v.* 48.
(kk) *Lucæ cap.* 21. *vers.* 11.
(ll) *Lucæ c.* 2. *v.* 12. & 15. & 16. & 17. & 20.

ſericordia Dei in æternum, & in ſæculum ſæculi: confitebuntur Domino in ſæculum ſæculi, quia fecit: & expectabunt nomen ejus, quoniam bonum eſt in conſpectu Sanctorum ſuorum. Qui verò, velut vos, ſunt obſtinati, ad quid volunt videre à Deo ſigna? quia, ſi Moyſen, & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent. Sed age jam, ſinamus iſtos miſeros Scribas, & Phariſæos, quia cæci ſunt, & duces cæcorum, qui, ut dictum eſt, poſuerunt ſigna ſua ſigna, & non cognoverunt, ſicut in exitu ſuper ſummum: & quando cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, Iſrael autem Chriſtum non cognovit, & populus ejus non intellexit; quin potiùs incenderunt igni Sanctuarium Dei, in terra polluerunt tabernaculum nominis ejus: & dixerunt in corde ſuo cognatio eorum ſimul: Quieſcere faciamus omnes dies feſtos Dei à terra. Signa noſtra non vidimus, jam non eſt Propheta, & nos non cognoſcet ampliùs. Dum Chriſtus Jeſus poſitus eſt in ruinam, & reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum, cui contradicetur: & poſuit eum Deus Pater, quaſi ſignum ad ſagittam, quando per ipſum [quia omnia per ipſum facta ſunt] ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus Dei, & dedit lætitiam in corde noſtro: ideoque in pace in idipſum dormiemus, & requieſcemus: quoniam ipſe Dominus ſingulariter in ſpe conſtituit nos per hoc ſignum; & dedit metuentibus ſe ſignificationem, ut fugiant a facie arcus, ut liberentur dilecti ſui, ille ipſe, qui anteà poſuerat ſignum Cain, ut non interficeret eum omnis, qui inveniſſet eum; ille etiam, qui arcum ſuum ſtatuit ponere in nubibus, qui eſſet ſignum fœde-

(mm) *Pſalm.* 144. *verſ.* 21.
(nn) *Eccli. cap.* 51. *verſ.* 15.
(oo) *Pſ.* 117. *v.* 23.
(pp) *Pſ.* 108. *v.* 31.
(qq) *In Hym. Laud. Solemnit. SS. Corp. Chriſti.*
(rr) 2. *Machab. c.* 8. *verſ.* 23. & 24.
(ſſ) *Pſ.* 123. *v.* 8.
(tt) *Ad Philip. c.* 2. *verſ.* 10.
(uu) *Marci* 16. *v.* 17 & 18.
(vv) *Pſ.* 90. *verſ.* 7.
(xx) *Pſ.* 67. *verſ.* 2.
(yy) *Pſ.* 90. *verſ.* 1. & 2.
(zz) 2. *Macb. c.* 14 *verſ.* 15.
(aaa) *Iſai. cap.* 11. *verſ.* 12.
(bbb) *Ad Philipp. cap.* 2. *verſ.* 9.
(ccc) *Iſai. c.* 7. *v.* 12.
(ddd) *Lucę cap.* 24. *verſ.* 8.
(eee) *Ioan. cap.* 11. *verſ.* 47. & 48.
(fff) *Marci cap.* 14. *verſ.* 65.
(ggg) *Lucæ cap.* 24. *verſ.* 25.
(hhh) *Ioan. cap.* 1. *verſ.* 26.
(iii) *Ioan. c.* 1. *v.* 11.
(jjj) *Ad Epheſ. c.* 5. *verſ.* 7.

(kkk) *Marci c.* 16. *verſ.* 20.
(lll) *Actor. cap.* 5. *verſ.* 12. & 14.
(mmm) 2. *Reg. c.* 12. *verſ.* 14.
(nnn) *Iſai. cap.* 52. *verſ.* 5.
(ooo) 1. *Reg. cap.* 2. *verſ.* 12. & 17.
(ppp) *Ad Epheſ. cap.* 5. *verſ.* 8.

fœderis inter ipſum, & inter terram: ac olim præceperat, fieri ſerpentem æneum, & poni eum pro ſigno, ut qui percuſſus aſpiceret eum, viveret: ipſe Redemptor noſter [ante cujus adventum ad judicium erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis, & turbabuntur gentes, & timebunt qui habitant terminos à ſignis ſuis] eſt etiam radix Jeſſe, qui ſtat in ſignum populorum, & ipſum gentes deprecabuntur, dum in primo adventu venit nobis manſuetus: & ſi voluerimus, faciet nobis ſignum in bonum, ut videant diaboli qui oderunt nos, & confundantur, quoniam ipſe Dominus adjuvit nos, & conſolatus eſt nos. Quod majus ſignum volunt à Deo peccatores, qui, niſi ſigna, & prodigia viderint, non credunt? Certè aliquando terrores de cœlo, & ſigna magna erunt; ſed uſq; nunc non ſunt viſa iſta ſigna diſtricti Judicis, immo alia manifeſta ſunt piiſſimi, & clementiſſimi Redemptoris. Reſtat, ut qui vult à Chriſto ſignum videre, videat in ipſo Dulciſſimo Jeſu magnum miraculum, & ſignum miſericordiæ; quia totum Verbum Divinum Incarnatum eſt mirabiliſſimum ſignum. Hoc erit vobis ſignum, dixit nobis in Paſtoribus Angelus: invenietis infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio. Tranſeamus ergo cum Paſtoribus uſque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum eſt, quod Dominus oſtendit nobis. Veniamus feſtinantes cum ipſis; & inveniemus infantem poſitum in præſepio. Videntes autem cognoſcemus de verbo, quod dictum erat nobis de puero hoc: & revertemur glorificantes, & laudantes Deum in omnibus, quæ audiverimus, & viderimus, ſicut dictum eſt ad nos. Nam æquum eſt, ut pro hoc ſigno laudationem Do-

Domini loquatur os nostrum, & laudemus nomen Domini assiduè, & collaudemus illud in confessione, quando à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris: quia astitit à dextris pauperis, ut salvas faceret à persequentibus animas nostras, dum se nascens dedit socium, juxta Sanctum Thomam Doctorem Angelicum, dum etiam nobis nascendo Christus advenit, secundum Sanctum, & Magnum Patrem Augustinum; nobis vivendo militavit, nobis moriendo conflixit. Voluit nascens frater noster fieri Deus homo factus, ait S. Joannes Chrysostomus: & sicut piè advertit S. Antonius Paduanus, Christi nati affectus plenus est charitate, & dilectione, ejus mens suavitate, ejus manus largitate, ejus opera sanctitate. Si, dato signo adjutorii Dei, ut dicit Sacer Textus, ipse dux Machabæus commisit cum Nicanore, qui erat Dei, & populi Israel inimicus: &, facto sibi adjutore Omnipotente, interfecerunt super novem millia hominum: majorem autem partem exercitus Nicanoris vulneribus debilem factam fugere compulerunt; quando nobis datum est majus signum adjutorii Dei [quia Christus est hoc signum] ad præliandum spiritualiter: dum etiam adjutorium nostrum est in nomine Domini, qui fecit cœlum, & terram, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum: cùm signa eos, qui crediderint, hæc sequantur, in nomine Jesu dæmonia ejicere, serpentes tollere; irruamus fortiter in diabolum inimicum Dei, & nostrum: & cadent decem millia à dextris Christi Domini, & dum exurget Deus, dissipabuntur inimici ejus, & fugient qui oderunt eum à facie ejus: ac tunc qui habitaverit in adjutorio Altissimi,

in

in protectione Dei cœli commorabitur: dicet Domino: susceptor meus es tu, & refugium meum: Deus meus, sperabo in eum. Verè iste Deus, & homo, qui est nostrum principale signum, nos Christianum populum, suam portionem, signis evidentibus protegit, potiùs, quàm dictum est de Machabæis. Jam Pater Æternus hoc levavit signum in nationes, quia exaltavit suum Filium, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen. Sufficit nobis à Deo obtinuisse hoc signum, quin alia requiramus miracula: aliud non petamus signum, & non tentabimus Dominum: nè simus, velut Herodes, qui perverso animo curiosè sperabat signum aliquod videre à Christo Domino fieri. Qui hodie dixerunt ei: Magister, volumus à te signum videre, posteà collegerunt concilium adversùs Jesum, dicentes. Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: & ideo condemnaverunt eum reum esse mortis. Usque ad occidendum Jesum Christum pervenit perversitas signum ab eo quęrentium; & qui signum petebant tentantes, posteà crucifixerunt invidentes. Quòd faceret signum aliquod desiderabant, & multa facientem, quia talia faciebat, oderant, & adversus ipsum Jesum concilium colligebant. O stulti, & tardi corde ad credendum in his, quæ locuti sunt Prophetæ! Medius eorum erat, quem illi nesciebant, quando in propria venit, & sui eum non receperunt. Nolimus ergo effici participes eorum; sed potiùs verorum discipulorum Christi, quos sequebantur signa ab eis non petita, quando profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus

signis

signis. Proficiscentes sequebantur signa, quia ad prædicandum ambulabant: sequebantur etiam signa proficientes, quia rectissimè vivebant. Profecti sunt, quia iter ad prædicationem Apostolicam aggressi: profecti sunt etiam, quia in omnibus virtutibus proficiebant, Dei servitio dediti, & lucris animarum dicati. Hos sequebantur, & similes ipsis sequentur signa prædestinatorum. Boni Christiani, illos imitantes, per quorum manus fiebant signa, & prodigia multa in plebe, facient, quòd magis augeatur credentium in Domino multitudo virorum, ac mulierũ: quando è contrà peccatores, qui quamvis sint Catholici, scandalosè vivunt, faciunt blasphemare inimicos Domini, cujus nomen tota die blasphematùr. Non se habent hi mali Christiani, ut filii Dei, sed, ut filii Belial, quia retrahunt homines à sacrificio Domini, cùm potius debeant benè vivere, & ut filii lucis ambulare.

§. Secundus.

HOMILIA II.

Super illa verba:

Viri Ninnivitæ surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam.



QUI se existimat stare, videat, nè cadat: quia, cùm verum sit, quòd si averterit se justus à justitia sua, omnes justitiæ ejus non recordabuntur; fortè qui cadit, de venia confidens, & rursum post tenebras peccati sperans lucem gratiæ, & veniæ, infernus domus ejus erit in æternum, & in tenebris stravit

(a) *1. ad Corinth. cap. 10. vers. 12.*
(b) *Ezech. cap. 18. vers. 24.*
(c) *Iob. c. 17. v. 12. & 13.*
(d) *Apocal. cap. 6. vers. 8.*

(e) *Apocal. cap.*20. *verſ.*14. & 15.
(f) 2. *Machab. c.* 9. *verſ.* 13.
(g) *Pſal.* 1. *verſ.* 5.
(h) *Pſal.* 1. *verſ.* 4.
(i) *Pſal.*36. *verſ.*17.
(j) *Matth. cap.* 21. *verſ.*31.
(k) *Lucæ c.*18. *v.*14.
(l) *Lucæ c.*18. *v.* 9.
(m) *Pſal.*30. *v.*19.
(n) *Matth. cap.* 20. *verſ.*16.
(o) *Lucæ c.*18. *v.*15.
(p) *Matth. cap.* 21. *verſ.* 43.
(q) *Matth. cap.* 21. *verſ.*41.
(r) 1. *Petri cap.* 2. *verſ.*10.
(ſ) *Serm.*8. *de Ieiunio, & eleemoſyna, circa medium.*
(t) *Tract.* 12. *in Ioannem ſub fine.*
(u) *Sapientiæ cap.*4. *verſ.*16.
(v) 1. *Petri cap.* 2. *verſ.*24.
(x) *Ad Timoth. c.*5. *verſ.*6. & *Apoc. c.*3. *verſ.*1.
(y) *Iob cap.*4. *v.*18.
(z) *Actor. cap.* 13. *verſ.*46.
(aa) *Pſal.*57. *verſ.*4.
(bb) *Actor. cap.*20. *verſ.* 30.
(cc) *Ad Tit. cap.* 1. *verſ.* 11.

jam lectulum ſuum, quia infernus ſequebatur equum pallidum, ſuper quem ſedebat ille, cui nomen erat mors: & mortem primam peccati ſequitur multoties mors ſecunda perennis ſupplicii. Poteſt accidere, ut oret ſceleſtus Dominum, à quo non ſit miſericordiam conſecutus: & non reſurgent impii in judicio, neq; peccatores in concilio juſtorum; quia impii tamquam pulvis, quem projicit ventus à facie terrę, & brachia peccatorum conterentur, confirmat autem juſtos Dominus. Multæ meretrices præcedent in regnum Dei eos, qui fuerunt juſti, & non ſunt: & pœnitens publicanus deſcendit juſtificatus in domum ſuam, ab illo Phariſæo ſuperbô, qui aſpernans cæteros, in ſe confidebat, tamquam juſtus, & in ſuperbia, & in abuſione juſtitiam perdidit, & repletus iniquitate condemnationem incurrit. Viri Ninnivitæ ſurgent in judicio, & condemnabunt generationem iſtam peccatorum ſuperborum; quia illi pertæſi anteactæ malæ ſuæ vitæ, pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. Sic erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi, quia multi ſunt vocati, pauci verò electi: & omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur. O! Fugiamus peccatum, quò damnantur ſuperbi, quamvis vocati: amplectamur pœnitentiam, quæ ita exaltat, ut electum, pœnitentem Ninnivitam. Ablatum eſt a Judæis regnum Dei, & datum eſt genti facienti fructus ejus. Dominus vineæ malos malè perdidit, & vineam ſuam locavit aliis agricolis, qui reddunt ei fructum temporibus ſuis: qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non conſecuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti: Ninnivitæ probant, ait Sanctus Petrus Chryſologus, quos jam ſenten-

tentiæ subjectos, pœnæ traditos, ad victimam stantes, morti deditos, misericordia sic rapuit, sic tenuit, sic prævenit, ut maluerit Deus deduci sententiam, nè misericordiæ quid negaret. Humilitate absoluti, & conjuncti sunt Deo pœnitentes humiles Ninnivitę. Qui confitetur peccata sua, dicit Sanctus Augustinus, & accusat peccata sua, jam cum Deo facit. Accusat Deus peccata tua: si & tu accusas, conjungeris Deo. Ideo, cùm surrexerit ad judicandum Deus, pęnitentes Ninnivitę se accusantes, surgent cum Deo in judicio. Condemnat justus mortuus vivos impios: itaque Ninnivitæ peccatis mortui, & justitiæ viventes, condemnabunt impios Judæos, qui viventes mortui sunt. Quando qui serviunt Deo non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit pravitatem, quem fœtorem non reperiet Deus in Judęis? vel potius, quam in eis non invenitet iniquitatem, & abominationem? siquidem ipsi indignos se judicantes æternæ vitæ, repulerunt verbum Dei, erraverunt ab utero, locuti sunt falsa, & perversa, ut abducerent discipulos post se: & qui de circumcisione sunt, cùm sint inobedientes, vaniloqui, & seductores, universas domos subvertunt, docentes quę non oportet, turpis lucri gratia. Posuerunt in cęlum os suum, & lingua eorum transivit in terra: iniquitatem in excelso locuti sunt. Isti sunt impii superexaltati, & elevati sicut cedri Libani: qui jam non sunt, & si quæsiti fuerint, non invenietur locus eorum; quibus bonum esset, si nati non fuissent, quia ab eis occisus est Christus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Per invidiam tradiderunt eum, qui multa bona opera in medio illorum operatus est. Hi perversi difficilè corriguntur, & horum stultorum infinitus est numerus. Utinam saperent,

(dd) *Psal. 72. vers. 9*
(ee) *Psal. 72. vers. 8.*
(ff) *Ps. 36. vers. 35. & 36.*
(gg) *Matth. cap. 26. vers. 24.*
(hh) *Daniel. cap. 9. vers. 26.*
(ii) *Matth. cap. 27. vers. 18.*
(jj) *Ioan. c. 10. v. 32.*
(kk) *Eccle. c. 1. v. 15.*
(ll) *Deut. c. 32. v. 29.*
(mm) *Ioan. cap. 15. vers. 22.*
(nn) *Ioan. c. 3. v. 19.*
(oo) *Ioan. c. 3. v. 20.*
(pp) *Ierem. c. 2. v. 19*
(qq) *Ioan. c. 3. v. 21.*
(rr) *Psal. 88. Ver. 17. & 18.*
(ss) *Psal. 1. vers. 3.*
(tt) *Eccli. c. 24. v. 19.*
(uu) *Psal. 136. v. 1.*
(vv) *Genes. c. 7. V. 17.*
(xx) *Genes. c. 8. v. 4.*
(yy) *Apocalyp. c. 21.*
(zz) *Matth. c. 5. v. 5.*
(aaa) *Ierem. cap. 17. vers. 18.*
(bbb) *Psal. 57. v. 12.*
(ccc) *Psal. 93. ver. 1. & 2.*
(ddd) *Apocalip. c. 5. vers. 5.*
(eee) *Amos cap. 3. vers. 8.*
(fff) *Ps. 118. v. 137.*
(ggg) *Psal. 57. v. 11.*
(hhh) *Matth. cap. 13. vers. 49. & 50.*

(iii) *Sapient. c. 5. v. 1. & 2. & 3. & 4. & 5.*
(jjj) *Psalm. 9. v. 17. & 18.*
(kkk) *Ps. 117. v. 16.*
(lll) *Psal. 68. ver. 8.*
(mmm) *2. Reg. cap. 7. vers. 15.*
(nnn) *2. Reg. cap. 12. vers. 13.*
(ooo) *1. Reg. cap. 13. vers. 14.*
(ppp) *Ioan. c. 8. v. 9. & 11.*
(qqq) *Actor. cap. 1. v. 25. & in eodem c. vers. 18. & 21.*
(rrr) *Matth. cap. 19. vers. 28.*
(sss) *Matth. cap. 26. v. 71. & 73. & 75.*
(ttt) *Ioan. c. 21. v. 18.*
(uuu) *Eccli. c. 7. v. 4.*
(vvv) *Ps. 106. v. 32.*
(xxx) *Luc. c. 22. v. 61*
(yyy) *Marci cap. 14. vers. 72.*
(zzz) *Luc. c. 22. v. 62.*
(aaaa) *Luc. cap. 23. v. 41. & 42. & 43.*
(bbbb) *Exod. cap. 15. vers. 5.*
(cccc) *Ps. 68. v. 29.*
(dddd) *Ecclj. c. 2. v. 1*
(eeee) *1. ad Corinth. cap. 10, vers. 13.*

& intelligerent, ac novissima providerent. Si Christus non venisset, & locutus fuisset eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem: erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui malè agit odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Ideo arguet Judæos malitia eorum, & aversio ipsorum increpabit illos, & similiter alios peccatores obstinatos: quos, & Judæos perfidos condemnabunt Gentiles Ninnivitæ conversi, ac etiam alii impii, qui veram pœnitentiam egerunt, & facientes veritatem venerunt ad lucem, ut manifestentur opera istorum pœnitentium bona, quia in Deo sunt facta: itaque in lumine vultus Dei ambulabunt, & in nomine ejus exultabunt tota die, & in justitia ipsius exaltabuntur: quoniam gloria virtutis eorum ille est, qui fecit, ut essent justi tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum dedit in tempore suo, & folium ejus non defluet, & omnia quæcumque faciet, prosperabuntur. Ipsi peccatores perversi anteà, & conversi postea, quasi platanus exaltati sunt juxta aquas, hoc est, propè suos fletus, & juxta mensuram aquarum lachrymarum ipsorum: quia peccata sua deplorantes, & super flumina Babylonis, illic sedentes, & flentes, dum recordarentur Sion cœlestis Patriæ, quam perdiderant, nam propter peccata antiqua ducti erant in captivitatem, ac diabolicæ tyrannidis servitutem: tunc velut arca Noe, exaltati sunt ab ipsis suis lachrymis, quoniam multiplicatæ sunt aquæ, & elevaverunt arcam in sublime à terra. Requievit quidem arca, post hanc elevationem, super

super montes Armeniæ: & ab oculis felicium peccatorum verè pœnitentium in requie jam Armeniæ melioris [altitudinis, scilicet, cœlestis [absterget Deus lachrymas omnes, & jam non erit ampliùs neque luctus, neque clamor, neque ullus dolor, quoniam priora transierunt: cùm beati sint, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Confundentur, qui justos pœnitentes persequuntur, & non confundentur pœnitentiam agentes: pavebunt impii damnati, & non pavebunt electi; inducet super reprobos diem afflictionis, & duplici contritione conteret eos Dominus Deus noster. Et dicet homo: Si utique est fructus justo: utique est Deus judicans eos in terra. Verè Deus ultionum Dominus, Deus ultionum liberè aget: exaltabitur qui judicat terram, reddet retributionem superbis, & in judicio vincet Leo de tribu Juda, Radix David; ac cùm Leo rugiet, quis non timebit? Rectum est judicium ejus, qui justus est Dominus: & lætabitur justus, cùm viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris. Tunc exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis. Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam,& finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est. Tunc etiam cognoscetur Dominus judicia faciens: in operibus manuum suarum comprehensus erit

pec-

peccator: convertentur peccatores in infernum, omnes gentes, quæ obliviscuntur Deum. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit pœnitentem, ut in judicio resurgeret. Operiet confusio faciem Saul, quem amovit Deus à facie sua, auferens ab eo misericordiam: quando David, qui dixit: Peccavi Domino, invenit se adeo exaltatum, ut Deus illum vocaverit virum, secundum cor suum. Unus post unum exibant, incipientes à senioribus, accusatores illius paupercula mulieris adulteræ, quando ipsa invenit propitiationem delicti, & Christus videns eam compunctam, noluit ipsam condemnare. Prævaricatus est ab Apostolatu Judas, ut abiret in locum suum, qui etiam suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus, & Episcopatum ejus accepit alter: & ideo non sedebit super sedem judicans duodecim tribus Israel: & Petrns, qui ter Christum negavit, post Resurrectionem nostri Redemptoris, ab eo obtinuit Principatum Ecclesiæ, accipiens à Rege, quin quæreret, Cathedram honoris, ut exaltaretur in Ecclesia plebis, & in Cathedra seniorum laudaret ur: quia quando conversus Dominus respexit Petrum, egressus est forás, & cæpit flere, & flevit quidem amarè. Inde provenit damnato Judæ major nota confusionis, & infamiæ perpetuæ. Quia pænituit Latronem bonum ejus antiquorum scelerum, in ipsa die mortis Christi, pauló post eum mortuus & ille, fuit in Paradiso in Divini Salvatoris societate; & latro alter, quia impœnitens mortuus, descendit in profundum quasi lapis, ad gehennam æternam destinatus, ut esset perenniter præscitus, de libro viventium deletus, & cum justis non scriptus. Accedentes ergo nos ad servitutem Dei, stemus in timore:

re: & præparemus animas nostras ad tentationem. Sed fidelis est Deus, qui non patietur nos tentari supra id, quod possumus: sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possimus sustinere.

§. Tertius.

HOMILIA III.

Super illa verba:

Fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.



EPLETA est terra idolis, idest, mundus iste vitiis; ideo cavendum nobis est à laqueo culpæ, & præcipuè à reti reincidentiæ, quando, quia incurvavit se homo, & humiliatus est vir ad talia adorandum idola, orat Isaias Dominum dicens: Nè ergo dimittas eis. Unus casus est incurvatio idololatriæ, alter corā idolo humiliationis indignæ. Fiunt sanè novissima hominis recidivantis pejora prioribus; quia qui fortè consequeretur remissionem primi lapsus, reincidens; venia factus est indignus. Utinam non cadant in hoc recasus retiaculo peccatores, ne postea in pœnam ipsius, cadant super eos carbones, & ignem deiiciat eos Deus: nè supercadat ignis, & non videant solem, & dicant sera, & infructuosa pœnitentia: Sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa, tam-

quam

quam umbra: in malignitate autem nostra consumpti sumus. Sumamus igitur experimentum proficuum viventes, ab istis miseris damnatis, nullam jam habentibus spem suæ salvationis. Nolimus seminare in sulcis injustitiæ, revertentes ad peccata præterita, quasi canis reversus ad vomitum, & sus lota in volutabro luti. Ille, qui de Maria Magdalena ejecit septem dæmonia, nos eruat ab illo immundo spiritu, de quò hodie loquitur Evangelium, & qui dicens: Revertar in domum meam, unde exivi, assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & ingressi habitant ibi. Sanè juxta Sanctum Gregorium Magnum, virtus boni operis perseverantia est. Quid tibi cum pompis diaboli, quibus renuntiasti? ait Sanctus Augustinus. Unde tu, Christiane, delicatus es miles? dicit Sanctus Joannes Chrysostomus, si putas te posse sine pugna vincere, sine certamine triumphare. Exere vires, fortiter dimica, atrociter in prælio isto concerta. Considera pactum, conditionem attende, militiam nosce: pactum, quod spopondisti, conditionem, qua accessisti, militiam, cui nomen dedisti. Ipse Deus homo Christus dixit: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit: & anteà per Isaiam dixerat: Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis: dereliquerunt Dominum, abalienati sunt retrorsum. Super quò percutiam vos ultrà addentes prævaricationem? Et derelinquetur filia Sion, ut umbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario, & sicut civitas, quæ vastatur. Loquitur etiam Deus ad recidivantes, dum dicit: Habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque, unde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera

ra

ra fac: sin autem venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris. Simus ergo fideles usque ad mortem, & dabit nobis Deus coronam vitæ. Audiamus etiam dicentem: Fili, peccasti? Non adiicias iterùm: item, ista terribilia pronuntiantem verba: Væ eis, cùm recessero ab eis. Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei. Cor durum habebit malè in novissimo, & qui amat periculum, in illo peribit. Cor nequam gravabitur in doloribus, & peccator adiiciet ad peccandum. Synagogæ superborum non erit sanitas: frutex enim peccati radicabitur in illis, & non intelligetur. Ergo filii hominum usquequò gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Verum dicebat qui ita loquebatur: Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, ut viderem. Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me. Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave, gravatæ sunt super me. Sanctus Petrus Simonem Magum in felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis videbat esse. Ideo multi similiter obligati sunt, & ceciderunt: quia ampliùs, & ampliùs, per reincidentiam in peccata, ligati, & pondere gravati repetitarum iniquitatum, ceciderunt abeuntes in abyssi profundum, passuri supplicium æternum. Recidivans factus est tamquam vas perditum, & erravit, sicut ovis, quæ periit. Utinam inveniatur à Divina Misericordia, quæ accendit lucernam, & quærit diligenter, donec inveniat perditam drachmam, & vadit ad ovem, quæ perierat. In circuitu impii ambulant: & dum circumeunt, committentes nova flagitia, nec dimittentes, quæ circumdant, peccata, for-

(a) *Isai. cap. 2. v. 8. & 9.*
(b) *Psal. 140. v. 10.*
(c) *Psal. 139. v. 11.*
(d) *Psal. 57. vers. 9.*
(e) *Sapient. cap. 5. vers. 6. & 7. & 8. & 9. & 13.*
(f) *Eccli. cap. 7. v. 3.*
(g) *2. Petri epist. c. 2. vers. 22.*
(h) *Marci cap. 16. vers. 10.*
(i) *Homil. 25. in Evangelia.*
(j) *De Symbolo ad Cathecum. lib. 4. c. 1. tom. 9.*
(k) *Serm. de Martyribus: quòd aut imitandi, aut non laudandi sunt, tom. 3.*
(l) *Matth. c. 10. v. 22.*
(m) *Isai. cap. 1. v. 4. & 5. & 8.*
(n) *Apocalyp. c. 2. vers. 4. & 5.*
(o) *Apocal. cap. 2. vers. 10.*
(p) *Eccli. c. 21. v. 1.*
(q) *Oseæ cap. 9. v. 12.*
(r) *Lucæ c. 9. vers. 62.*
(s) *Eccli. cap. 3. v. 27 & 29. & 30.*
(t) *Psal. 4. vers. 3.*
(u) *Psal. 39. vers. 13.*
(v) *Psal. 37. vers. 5.*
(x) *Actor. cap. 8. vers. 23.*
(y) *Psal. 19. vers. 9.*
(z) *Psal. 30. vers. 13.*

forsan viam civitatis habitaculi non invenient; sed cùm convertentur ad vesperam, & famem patientur, ut canes, & circuibunt civitatem, jam clausa erit janua: & foris canes remanebunt in æternitatis supplicio. Hunc fructum percipiunt qui ambulant vias non bonas, sed post peccata sua. Miseri facti sunt, & curvati sunt usque in finem: & ideo in conspectu Dei judicantis cadent omnes, qui descendunt in terram, pro nihilo habentes terram desiderabilem, cælestem, scilicet, Patriam: & omnes peribunt simul, nisi egerint pænitentiam. Facta sunt novissima Babylonis pejora prioribus, dum facta est habitatio dæmoniorum, quia cecidit, cecidit Babylon magna. Repetiit casum, & ideo in ea invenerunt diaboli domum. Certè novissima viæ peccati deducunt ad mortem: & in novissimo iniquitas malitiam manifestabit, quæ in novissimo mordebit, ut coluber. Ergo, quasi à facie colubri, fugiamus peccata: & si accesserimus ad ea, suscipient nos. Dentes peccati dentes leonis: & molares ejus, ut catuli leonis. Nolimus ergo ampliùs peccare, nè deterius nobis aliquid contingat: nam, nisi quia Deus adjuvit nos, paulò minùs habitasset in inferno anima cujusque nostrum propter peccata præterita. Misericordię Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes ejus. Deus eripuit animas nostras à morte, & non dedit in commotionem pedes nostros, & eruit animas nostras ex inferno inferiori, dum debebamus vapulari multis, quia peccavimus, scientes, esse peccata voluntati Dei Domini nostri opposita, ac etiam benè cognoscentes malitiam, quæ est in peccatis. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum, ne major scissura fiat, quod accidet, si

(aa) *Ps.* 118. *v.* 176.
(bb) *Lucæ c.* 15. *v.* 8.
(cc) *Lucæ c.* 15. *v.* 4.
(dd) *Psal.* 11. *v.* 9.
(ee) *Psal.* 106. *v.* 4.
(ff) *Psal.* 58. *v.* 15.
(gg) *Matth. cap.* 22. *vers.* 10.
(hh) *Apoc. cap.* 22. *vers.* 15.
(ii) *In Offic. Ecclesiastico S. Andreæ Ap. Respons. ultimo secundi Nocturni, juxta Isaiam cap.* 65. *vers.* 2.
(jj) *Psal.* 37. *vers.* 7.
(kk) *Ps.* 21. *vers.* 30.
(ll) *Ps.* 105. *v.* 24.
(mm) *Lucæ cap.* 13. *vers.* 3.
(nn) *Apocal. c.* 18. *vers.* 2.
(oo) *Prov. cap.* 14. *v.* 12. & *c.* 23. *v.* 32.
(pp) *Eccli. cap.* 21. *vers.* 2. & 3.
(qq) *Ioel. cap.* 1. *v.* 6.
(rr) *Ioan. c.* 5. *v.* 14.
(ss) *Psal.* 93. *v.* 17.
(tt) *Thren. c.* 3. *v.* 22.
(uu) *Psal.* 94. *v.* 8.
(vv) *Psal.* 65. *vers.* 9.
(xx) *Psal.* 85. *v.* 13.
(yy) *Luc. c.* 12. *v.* 47
(zz) *Ad Galat. cap.* 6 *vers.* 10.
(aaa) *Marc c.* 2. *v.* 21
(bbb) *Iudic. cap.* 10. *vers.* 6.

si peccatis veteribus jungentes nova fuerimus, ut in libro Judicum insinuat Sacer Textus, docens nos fugere à delictorum repetitione. Lapsus in nova crimina post præterita, verè novorum dæmoniorum videtur annuntiator esse, quamquam hæc verba ipsa falsissimè quondam aliqui Athenienses, ut legitur in Actibus Apostolorum, alia intentione dixerint. Si Joas jaculo terram percussisset quinquies, aut sexies, sive septies, percussisset Syriam usque ad consumptionem; sed quia non perseveravit percutiens [nam percussit tribus vicibus tantùm] iratus est vir Dei Eliseus contra illum, qui propter paucas in terra percussiones Syriam non consumpsit. Ita multi plenam victoriam contra vitia non consequuntur, quia revertentes ad peccata, à bona operatione desistunt. Pejus aliqui operati sunt, cùm deberent proficere in melius: & seductores proficiunt in pejus, ut loquitur S. Paulus. Ne illos imitemur, convertamur ad Dominum, & derelinquamus peccata, & minuamus offendicula. Misereamur animabus nostris placentes Deo. In mansuetudine servemus animas nostras, & demus illis honorem secundùm meritum suum. Magna dignitas est istarum animarum, ut docet Sanctus Doctor Maximus Hieronymus. Anima quamdam Sanctæ Trinitatis habet imaginem, dicit S. Ambrosius Ecclesiæ Doctor eloquentissimus. Cur tam vilis est tibi, qui tam pretiosus es Deo? clamat Sanctus Augustinus. Intendat Dominus animabus nostris, & liberet eas a recidivatione; propter inimicos nostros eripiat nos à relapsu, ne fiant novissima nostra pejora prioribus, in eadem peccata recadendo. Non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israel; sed nos, nè in peccata reincidamus, vigilemus,

19 (ccc) *Actor. cap. 17. vers. 18.*

(ddd) *4. Reg. cap. 13 v. 19. Ibidem. v. 18.*

(eee) *2. ad Timoth. cap. 3. vers. 3.*

(fff) *Eccli. cap. 17. vers. 21. & 22.*

(ggg) *Eccli. cap. 30. vers. 24.*

(hhh) *Eccli. cap. 10. vers. 31.*

(iii) *Lib. 3. Comment. in c. 19. in Matthæum.*

(jjj) *De dignit. hum. condit. c. 2. ejusdem libri.*

(kkk) *Ps. 68. v. 19.*

(lll) *Psal. 120. v. 4.*

(mmm) *Matth. c. 25. vers. 13.*

(nnn) *Lucæ cap. 12. vers. 40.*

(ooo) *Matth. cap. 26. vers. 41.*

(ppp) *Luc. c. 18. v. 1.*

 quia

quia nescimus diem, neque horam: & simus parati, quia qua hora non putamus, Filius hominis veniet: vigilemus, & oremus, ut non intremus in tentationem: quia oportet semper orare, & non deficere.

SECTIO II.

In qua apponitur Evangelium Feriæ Sextæ Quatuor Temporum Quadragesimæ, sive Temporis Verni, cum tribus correspondentibus Homiliis.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Joannem, capite 5. vers. 1.

I*N illo tempore: Erat dies festus Judæorum, & ascendit Jesus Jerosolymam. Est autem Jerosolymis Probatica piscina, quæ cognominatur Hæbraicè Bethsaida: quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini descendebat secundùm tempus in piscinam: & movebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate. Erat autem quidam homo ibi, triginta, & octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cùm vidisset Jesus jacentem, & cognovisset, quia jam multum tempus haberet, dicit ei:*

Vis

Vis sanus fieri? Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, ut cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit. Dicit ei Jesus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo ille: & sustulit grabatum suum, & ambulabat. Erat autem Sabbatum in die illo. Dicebant ergo Judæi illi, qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula. Interrogaverunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, & ambula? Is autem, qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Jesus enim declinavit à turba constituta in loco. Posteà invenit eum Jesus in Templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es: jam noli peccare, nè deterius tibi aliquid contingat. Abiit ille homo, & nuntiavit Judæis, quia Jesus esset, qui fecit eum sanum.

S. Pri-

§. Primus.

HOMILIA PRIMA,

Super illa verba:

Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate.

(a) *Ioan. c.4. v.38.*
(b) *Prov. c.10. v.5.*
(c) *Ad Roman. c.12 vers.11.*
(d) *Prov. c.6. v.9.*
(e) *Prov. c.21. v.25.*
(f) *Prov. c.18. v.8.*
(g) *Prov. c.19. v.15.*
(h) *Psal.75. vers.6.*
(i) *Indic. c.4. v.21.*
(j) *Matth. c.25. v.11 & 12.*
(k) *1. ad Timoth. c.2. vers.4.*



LIOS laborare, & nos in labores eorum introire, omnes volumus: cùm qui stertit æstate filius sit confusionis, & debeamus esse præ solicitudine non pigri. Usquequò tu piger dormies? Quando consurges è somno tuo? Certè desideria occidunt pigrum. Piger multum desiderat, & nihil laborat. Mundus iste periculosior est blandus, quàm amarus, ait Sanctus Augustinus. Plus ergo timendus, quando à nobis avertens solicitudinem, pigritiam infert, quàm cùm in nos crudelitatem exercet. Pigrum dejicit timor: & quia pigredo immittit soporem, pigri dormiunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis, soporem morti contociantes, velut Sisara, lactis pigritiæ dulcedine falsa, ac verè inimica decepti, & dum novissimè veniunt ad Deum, sicut fatuæ virgines, audiunt: Nescio vos; & morti adscribuntur secundæ, auscultantes sententiam damnationis æternæ. Ecce hodie, ut refert Evangelica Historia, omnibus languentibus sanandis, quantùm erat ex parte Dei, & Angeli moventis aquam, ipsa movebatur in Probatica piscina: sed tantùm qui prior descendisset in piscinam

post motionem aquæ, sanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate. Quia Deus, qui vult, omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, vult etiam, quòd manè oratio nostra præveniat eum, & quòd anticipent vigilias oculi nostri: & qui manè vigilant ad Deum, invenient eum: vult etiam, quòd negotiemus, dum venit; porrò unum est necessarium: quia salvare animam est negotium negotiorum, & planè negotium unicum, quando contendere intrare per angustam portam jubemur: quod quidem non facit, qui piger salvationi non intendit. Qui non descendebat in piscinam primus, neutiquam fiebat sanus: primi præmiabatur diligentia, quando reliquorum plectebatur desidia. Omnis piger semper est in egestate, dum sapientior sibi piger videtur: nec per hanc præsumptionem illius egestas exploditur, immo ipse majori ruinæ paratur. Vult, & non vult piger: itaque quis est homo, qui vult vitam? Non sufficit ad salutem damnosa velleitas; necessaria est vera, seria, efficax, & diligens salvationis voluntas. Festinans Zachæus, juxta præceptum Christi, descendit ab arbore; ideò excepit Dominum gaudens: ideò dixit Redemptor noster: Hodie salus domui huic facta est, eò, quòd & ipse filius sit Abrahæ. Magnopere hic Princeps Publicanorum est felicitatus, quoniam descendit festinus. Si pigritia ductus, volens descendere, & non volens, in arbore sycomoro perseverasset, non adeò benè fortunatus evasisset. Vade ad formicam, o piger. Observa, quomodo ejus diligentia adquiritur, & conservatur abundanter annona: & habet, quo vescatur, quoniam nulla pigritia præpeditur. Vir diligens, labores manuum suarum quia manducabit, beatus est, & benè illi erit. Ecce sic benedicetur ho-

(l) *Psalm.*87. *v.*14.
(m) *Psalm.*76. *v.*5.
(n) *Prov.c.*8. *v.*17.
(o) *Luc. c.*19. *v.*13.
(p) *Lucæ c.*10. *v.*42.
(q) *Lucæ c.*13. *v.*24.
(r) *Prov. c.*21. *v.* 5.
(s) *Prov.c.*26. *v.*16.
(t) *Prov. c.*13. *v.*4.
(u) *Psal.*33. *ver.*13.
(v) *Lucæ c.* 19. *v.* 6. & 9.
(x) *Prov.c.*6. *ver.*6.
(y) *Psal.*127. *ver.*2. 5. & 6.
(z) *Matth.c.*28. *v.*1. & 9.
(aa) *In hymno Apostol. temp. Paschal. ad vesp.*
(bb) *Deut.c.*4. *v.*15.

(cc) *ad Rom. cap.* 12. *verf.* 11.

(dd) *Prov. cap.* 15. *verf.* 19.

(ee) 2. *ad Corinth. c.* 6 *verf.* 14.

(ff) *Prov. c.* 19. *v.* 24

(gg) *Proverb. c.* 31. *v.* 25. *Ibidem, v.* 13. & 19.

(hh) *Lucæ c.* 17. *v.* 10

(ii) *Ad Rom. cap.* 7. *verf.* 24.

(jj) *Ad Rom. cap.* 7. *verf.* 25.

(kk) *Matthæi cap.* 20. *verf.* 28.

(ll) *Luc. cap.* 12. *v.* 37.

(mm) 1. *ad Corinth. cap.* 3. *verf.* 9.

(nn) 1. *ad Corinth. cap.* 16. *verf.* 10.

homo, qui timet Dominum. Benedicat illi Dominus ex Sion: & videt bona Jerusalem omnibus diebus vitæ suæ. Hoc est, Dominus de cœlo illum ditet benedictione; & quia laboravit, ut salvaretur, videat bona animæ suæ in omni jucundissima æternitate. Quia absque pigritia, immò maxima cum diligentia, vespere Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum, ecce Jesus occurrit illis dicens: Avete. Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum; quando ad anxios Apostolos currunt statim dum nuntiæ, illæ micantis obvia Christi tenent vestigia. Ideò, Christiane, quære solicitè, & diligenter: custodiamus solicitè animas nostras: cum diligentia cuncta faciamus. Curemus esse solicitudine non pigri. Gressu pellitur frigus: & solicitudine, ac diligentia excluditur absque dubio pigritia. Iter pigrorum quasi sepes spinarum: via justorum absque offendiculo. Ecce piger justo contraponitur, quia ubi reperitur pigritia mortalis, non est justitia salubris. Quæ societas luci ad tenebras? & consequenter quomodo associabuntur tenebris pigritiæ damnosæ, luces debitæ diligentiæ Christianæ? Si iter pigrorum quasi sepes spinarum, comburantur pigredinis spinæ igne amoris Divini, ut iter nostrum ad cœlum remaneat planum, & tutum. Ignis etiam diligentiæ necessariæ faciet ardere, & consumi spinas pigritiæ mortiferæ. Abscondit piger manum suam sub ascella, nec ad os suum applicat eam. Fame piger moritur, quia manus ejus ori non applicatur. Utinam excutiat pigritiam, nè miserè exhalet animam. Ridebit in die novissimo mulier fortis, quia panem otiosa non comedit. Fortitudo, & decor indumentum ejus, quia quęsivit lanam, & linum,

& ope-

& operata est consilio manuum suarum: quia (oo)*Psal.* 103. *v.* 23.
etiam manum suam misit ad fortia, & digiti
ejus apprehenderunt fusum. Ideo, si nos repu- (pp)*Psal.* 73. *v.* 12.
tantes usque nunc servos inutiles, & habentes
nos, ut homines infelices, quæramus, & in- (qq)*Eccli.c.*37.*v.*14
terrogemus: Quis nos liberabit de corpore
mortis hujus? hoc est, quis nos liberabit de hoc (rr)*Ioan.c.6.ver.*27.
corpore morti, & peccato obnoxio, ac taliter
pigritiæ, & otiositati omnem malitiam docen- (ss) *Ad Philippens.*
ti inclinato? respondebitur nobis, quòd nos *capite* 2. *vers.*12.
liberabit gratia Dei per Jesum Christum Domi-
num nostrum, qui quidem Redemptor noster (tt)*Prov.c.*20. *v.*4.
non venit ministrari, sed ministrare, & absque
pigritia ulla, etiam in beata Æternitate, præcin- (uu)*Eccle.capite* 10.
get se, & faciet servos suos discũbere, & transiens *vers.*18.
ministrabit illis, si eos cùm venerit ad judi-
cium, invenerit vigilantes. Sed, ut Dei adju- (vv) *Proverb. c.*24.
tores simus, ut loquitur Sanctus Paulus, &, *v.*30. *&* 31. *&* 32.
ut opus Domini, gratiæ cooperantes, opere- *&* 33. *&* 34.
mur; sicut ille, qui est Deus homo, exivit
homo ad opus suum, & ad operationem suam (xx)*Prov. cap.* 26.
usque ad vesperum, laborans pro nobis toto *vers.*13. *&* 14.
tempore sanctissimæ vitæ suæ, [quia Deus Rex
noster ante sæcula operatus est salutem in me- (yy)*Eccli.c.*22. *v.*1.
dio terræ:] ita nos tam mirabili operi concur- *&* 2.
rentes, si corpus nostrum fuerit servus piger,
tractemus cum hoc servo pigro de multa ope- (zz) *Ad Titum c.* 1.
ratione; & operemur non cibum, qui perit, *vers.*12.
sed qui permanet in vitam æternam: cum me-
tu, & tremore nostram salutem operemur. Re-
linquamus pigros. Propter frigus piger ara-
re noluit: mendicabit ergo æstate, & non da-
bitur illi. Sanè in pigritiis humiliabitur conti-
gnatio, & in infirmitate manuum perstillabit
domus. Ideo etiam in Sacro Textu à Sapiente
dicitur: Per agrum hominis pigri transivi, &
per vineam viri stulti; & ecce totum repleve-

(aaa) *Psal.61.v.10.* rant urticæ, & operuerant superficiem ejus spinæ, & maceria lapidum destructa erat. Quod (bbb) *2. ad Timoth. c.2.v.15.& 16.Ibidem v.20.& 21. & c.3.ejusdem Epistolæ v.1.& 2.& 4.& 5.* cùm vidissem, posui in corde meo: & exemplo didici disciplinam. Parùm, inquam, dormies, modicùm dormitabis, pauxillùm manus conseres, ut quiescas: & veniet tibi quasi cursor egestas, & mendicitas, quasi vir armatus. Hæc mala veniunt pigro: & possumus sumere experimentum ab eo, de quo etiam scriptum est: Dicit piger: Leo est in via, & leæna in itineribus: sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo. In lapide luteo lapidatus est piger, & omnes loquentur super aspernatione illius. De stercore boum lapidatus est piger; & omnis, qui tetigerit eum, excutiet manus. De Cretensibus dicitur: Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Ideo verificatur, quòd vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum. Ergo solicitè curemus nosmetipsos probabiles exhibere Deo, operarios inconfusibiles, rectè tractantes verbum veritatis. Prophana autem, & vaniloquia devitemus: multùm enim proficiunt ad impietatem. Ut dicit etiam Apostolus in Epistola ipsa, in qua omnibus tam proficua largitus est documenta: In magna domo non solùm sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum. Postquam Sanctus Paulus hæc docuit, etiam sequentia addidit: Hoc autem scito, quòd in novissimis diebus instabunt tempora periculosa: erunt homines se ipsos amantes, & voluptatum amatores magis, quam Dei. Et hos devita.

§. Se-

§. Secundus.

HOMILIA II.

Super illa verba:

Domine, hominem non habeo, ut cùm turbata fuerit aqua mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit.



QUOUSQUE irruitis in hominem? (a) Psal. 61. vers. 4.
interficitis universi vos: tamquam
parieti inclinato, & maceriæ depulsæ, (b) Genes. cap. 13.
homines pessimi, & peccatores vers. 13.
coram Domino, quicumque
potestis, & miserum paralyticum triginta, & (c) Threnor. cap. 1.
octo annos habentem in infirmitate sua, non vers. 2.
juvatis? Sanè, dum non subvenitis, necatis:
& omnes amici hujus hominis miserrimi sprevi- (d) Psal. 11. v. 1.
stis eum, & facti estis ei inimici. Lamentatur
hodie hic infirmus coram Christo Domino, (e) Psal. 87. v. 5.
dicens: Domine, hominem non habeo, ut,
cùm turbata fuerit aqua, mittat me in pisci- (f) Psal. 40. v. 10.
nam: dum venio enim ego, alius ante me de-
scendit. Verè poterat etiam dicere: Salvum (g) Ierem. cap. 4.
me fac Domine, quoniam defecit sanctus: quo- vers. 23. & 25.
niam diminutæ sunt veritates à filiis hominum;
quando ille miser factus est, sicut homo sine (h) Psal. 65. v. 12.
adjutorio, quia homo pacis ejus, in quo spe-
ravit, qui edebat panes suos, magnificavit super (i) Psal. 9. vers. 21.
eum supplantationem: dum etiam aspexit ter-
ram, & ecce vacua erat: intuitus est, & non (j) Eccli. c. 17. v. 12.
erat homo: vel potius, quando imposuit Deus
homines super caput paralytici, qui quidem ho-
mines ejus dolorem augebant, quia tot sustine- (k) Psalm. 38. v. 7.

 bat,

(l)*Psal.* 117. *ver.* 8. bat, quot desiderabat,& desiderans neque unum invenìebat, in populatissima civitate Ierusalem non habens vel unicum hominem, qui eum juvaret, inter tantam hominum multitudinem. Sciant gentes, quoniam homines sunt, quibus & ipsorum unicuique,mandavit Deus de proximo suo; sed, quoniam in imagine pertransit homo, bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine, quia vana salus hominis, quando tot sunt homines amorem hominum proximorum obliviscentes. Ideò maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor ejus: habitabit in siccitate in deserto. Benedictus vir, qui confidit in Domino: & erit Dominus fiducia ejus. Et erit quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas: & non timebit, cùm venerit æstus. Et erit folium ejus viride, & in tempore siccitatis non erit solicitum, nec aliquando desinet facere fructum. Quando qui paralyticum ad descendendum post motionem aquæ in piscinam, non juvabant, ei maximum nocumentũ afferebant;tunc piissimus Redẽptor noster Deus homo, ampliùs non reliquit, hominem nocere ei misero infirmo; quia cùm frater non redimit, redimet homo: & si primus homo de terra terrestris, secundus homo de cœlo cœlestis est Christus, qui paralyticum ab ægritudinis captivitate redemit: ac secundum Sanctum Augustinum, manens Deus accepit hominem qui fecit hominem, & nisi Deus fieret homo, non liberaretur homo. Illum hominem habuit tandem paralyticus benè jam fortunatus eum adjuvantem, & ab infirmitate sua longissima magno miraculo eripientem, super quem vidimus disciplinam pacis nostræ,& cujus livo-

(m)*Psal.* 59. *ver.* 13.

(n)*Ierem. c.* 17. *v.* 5. *&* 6. *&* 7. *&* 8.

(o)*Psal.* 104. *v.* 14.

(p)*Psal.* 48. *vers.* 8.

(q) 1. *ad Corinth. c.* 15 *vers.* 47.

(r)*Tract.* 28. *in Ioan.*

(s)*Tract. super Psal. in Psal.* 63. *vers.* 7.

(t)*Isai. c.* 53. *vers.* 5.

(u)*Isai. c.* 53. *ver.* 4.

(v)*Psal.* 123. *vers.* 8.

livore sanati sumus: languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Adjutorium hujus paralytici fuit in nomine Domini, qui fecit cœlum, & terram, qui etiam adjuvit pauperem de inopia, adjuvit eum, & salvus fuit: & non est in alio aliquo salus. Neque enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Anteà non erat homo, qui adjuvaret paralyticum: & ipse respiciens erat ad adjutorium hominum, & non erat. Sed Deus noster Christus adjutor in opportunitatibus, & in tribulatione, eum miraculosè sanavit. Itaque sperent in Domino qui noverunt nomen ejus, quoniam non dereliquit quærentes se. Ipsi derelictus est pauper: orphano ille erit adjutor. Dominus regnabit in æternum, & in sæculum sæculi; homines verò immisericordes, & crudeles gentes peribunt de terra illius, qui desiderium pauperum exaudivit, præparationem cordis eorum audivit auris ejus, judicare pupillo, & humili, ut non apponat ultrà magnificare se homo super terram. Posuit Æternus Pater adjutorium in potente ejus Filio Jesu Christo, qui quando paralytico favit, spem nobis etiam adjutorii nostri tribuit. Tempore accepto exaudivit nos, & in die salutis adjuvit nos. Et factus est nobis Dominus in refugium: & Deus noster in adjutorium spei nostræ. Quandocumque deficit auxilium humanum, promptius est Divinum subsidium. Homo non erat, qui operaretur terram, sed fons ascendebat de terra irrigans universam superficiem terræ. Ecce Divinæ Providentiæ, magis, quā fontis scaturigini, tribui debet, quòd haberet terra remedium, quando terram non colebat, sed neque incolebat homo, & si loqui posset terra, diceret etiam: Hominē non habeo. Missus est

(x) *Psal. 106. ver. 41.*
(y) *Psal. 118. v. 117.*
(z) *Actor. c. 4. v. 12.*
(aa) *Eccli. c. 51. v. 10*
(bb) *Psalm. 9. v. 10.*
(cc) *Psal. 9. vers. 11.*
(dd) *Psal. 10. v. 14. & 16. & 17. & 18.*
(ee) *Psal. 88. v. 20.*
(ff) *2. ad Corinth. c. 6. vers. 2.*
(gg) *Psal. 93. v. 22.*
(hh) *Genes. c. 2. ver. 5 & 6.*

(ii)*Tobiæ c.3. v.25.* est de cœlo S.Raphael,& vidit Tobias junior juvenem præcinctum, & quasi paratum ad ambulandū,cùm utrique Tobiæ,feniori, & juniori, ad

(jj) *Tobiæ c.5. v.5.* eorum remediū hominis deficere agnoscebatur auxilium. Sed notandum,quòd paralyticus hujus sacræ Historiæ Evangelij aliquomodò, quin

(kk)*Malach. cap.4. ver.2.* totum Deo, aut etiam hominibus, committeret, suæ prospiciebat saluti. Sanè, quamvis non prior in piscinam descendebat, tamen quantùm ex se erat, jam piscinæ appropinquabat. Dum venio enim ego, dicit, alius ante

(ll)*Iacobi c.2. v.24.* me descendit. Ideò non est factus indignus Divino auxilio; ideò à Christo Domino insigni est sanatus miraculo. Jam properabat; quamvis

(mm)*Genes.c.6.v.3* ex defectu virium, non prior, sed posterior accedebat. Multoties homines negotium salutis æternæ Deo, ac etiam creaturis taliter solent

(nn) 1. *ad Corith. cap.15. ver.10* committere, ut ad salvationem suam nihil curæ ex se videantur impendere. Verùm est, quòd orietur timentibus nomen Dei Sol Justitiæ;& sanitas in pennis ejus: sed necessarium est aperire

(oo)*Apocalips.c.12 vers.1. & 16.* portam, vel fenestram, ut sol ingrediatur aulam: opus est,ut præparetur proprijs diligentijs, qui talis Solis Christi illustrari optat radiis.Etiam orto jam Sole, qui taliter non se juverit, Solis

(pp)*AdRoman.c.13 vers. 14.* orbabitur lumine, neque ejus potiri poterit splendoris benefici claritate. Tribuat culpæ suæ defectum illuminationis aulæ, qui illam non voluerit disponere, neque portas, aut fenestras

(qq)*Ad Roman.c.8 vers.28.* aperire. Illam sol absque dubio illuminaret, si in ea obstacula non offenderet. Ex operibus justificatur homo: & non permanebit Spiritus Dei in homine, qui taliter noluerit suæ justificationi attendere, nec Divinæ gratiæ curaverit

(rr)*Lucæ c.16.v.20 & 21.& 22.& 25.* cooperari. Dum gratia Dei sumus id, quod sumus, faciat solicitudo nostra, ut gratia Dei in nobis vacua non sit. Adjuvit terra mulierem,

sed

sed eam, quæ erat amicta Sole: quia si induamur Dominum Jesum Christum, etiam ab ipsa terra, Deo disponente, habebimus adjutorium proficuum, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Canes veniebant, & lingebant ulcera Lazari mendici, leniter cum tractantes, quando ipse homines experiebatur crudeles: quia jacebat ad januam divitis, ulceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ de abundanti mensa cadebant, & nemo illi dabat. Juvabat ipse negotium suæ æternæ salutis, se Deo commendans, & tot mala patientissimè ferens; ideo ab ipsis canibus, [quorũ aliàs poterat timere morsus] accipiens quodammodò remedium; illud ipsum, quod timere poterat, ei vertebatur in bonum, usquequò factum est, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ:& quia recepit mala in vita sua, nunc consolatur in felicitate sempiterna. Ergo perficiamus sanctificationem in timore Dei. Pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. Qui autem efficit nos in hoc ipsum Deus, qui dedit nobis pignus spiritus. Audentes igitur semper, scientes, quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino [per fidem enim ambulamus, & non per speciẽ]audeamus autem & bonã voluntatẽ habeamus magìs peregrinari à corpore,& præsentes esse ad Dominum.Et ideo contendamus,sive absentes,sive præsentes placere illi.Omnes enim manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis,prout gessit,sive bonum,sive malum. Videamus itaque,quomodò cautè ambulemus: non quasi insipientes, sed, ut sapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Propterea

(ss) 2. ad Corinth. c. 7 vers. 1.

(tt) 2. ad Corinth. c. 5. vers. 15.

(uu) 2. ad Corinth. c. 5. vers. 5. & 6. & 7. & 8. & 9. & 10.

(vv) Ad Ephes. c. 5. v. 15. & 16. & 17

pterea nolimus fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei. Sic nos hortatur Paulus Apostolus Sacratissimus.

§. Tertius.

HOMILIA III.

Super illa verba:

Jesus enim declinavit à turba constituta in loco.

(a) *Habac. c. 1. v. 3.*
(b) *Psal. 54. v. 10.*
(c) *1. ad Corinth. c. 5. vers. 10.*
(d) *Osee cap. 2. v. 14.*
(e) *Isai cap. 46. v. 8.*
(f) *Lib. 2. Comment. in cap. 5. Matth.*
(g) *Serm. 8. de jejun. Decimi mens. & eleemosynis.*
(h) *Isai. cap. 9. v. 3*
(i) *Ierem. c. 51. v. 6.*
(j) *Psal. 118. vers. 10 & 11.*



Actum est judicium, & contradictio poten tior. Reliquum est, ut, quia vidim us iniquitatem, & contradictionem, elongemus fugientes, & maneamus in solitudine. Non debemus de hoc mundo corporaliter exire, nec omnibus præcipitur, immò nec conceditur, abdita eremi penetrare. Sed, quia Deus vult animam ducere in solitudinem, & loqui ad cor ejus; intùs redire jubemur, quando tumultibus populi, & negotiorum ab operibus nostræ salvationis distamus, & in via Dei præpedimur ab obstaculis sæculi hujus. Redeamus ergo prævaricatores ad cor. Intùs in corde nostro est, ubi redire jubemur, dicit Sanctus Hieronymus. Redi ad conscientiam tuam: & ibi invenies egentem, & mendicantem animam tuam, ait Sanctus Augustinus. Quamvis enim sine anima nihil caro desideret, & inde accipiat sensus, unde sumit & motus; ejusdem tamen est animæ quædam sibi subditæ negare substantiæ, & interiori judicio ab inconvenientibus exteriora frænare: ut à corporeis cupiditati-

bus

bus sæpiùs libera, in aula mentis possit Divinæ vacare sapientiæ: ubi, omni strepitu terrenarum silente curarum, in meditationibus sanctis, & in deliciis lętetur æternis. Hæc verba eloquentissima dixit Sanctus Leo Magnus Papa. Quando Deus multiplicavit gentem, sed non magnificavit lætitiam, fugiamus de medio Babylonis, & salvet unusquisque animam suam: & nos separantes à negotiis, quantùm fas fuerit, in toto corde nostro exquiramus Dominum, nè repellat nos à mandatis suis: in corde nostro abscondamus eloquia Dei, ut non peccemus sibi: lætemur coram eo, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores, capta præda, quando dividunt spolia; siquidem secundùm S. Augustinum, erigenda nobis est in Deum major intentio, & juxta ipsum, manifestum est, à Deo omnem nostram intentionem in interiora gaudia dirigi. Utique habitabit in solitudine judicium: & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium. Germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans: gloria Libani data est ei, decor Carmeli, & Saron. Hanc fugiendi tumultus doctrinam innuit Christus Dominus, qui secundùm S. Gregorium Magnum, dum aliquid tacitus facit, quid agere debeamus innotescit. Sano igitur facto, per miraculum Divini Redemptoris, paralytico, qui triginta, & octo annos habebat infirmitatis, dicit hodie Evangelica Historia: Jesus enim declinavit à turba constituta in loco. Postquàm miraculosè multiplicans panes in deserto trans mare Tyberiadis, fatiaverat ipse Jesus quinque millia hominum, cùm cognovisset, quòd venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterùm in montem ipse solus. Fugit Christus, ait S. Joannes Chrysostomus,

(k) *Isai. cap. 9. ver.* ,.
(l) *Tract. 67. in Ioann. & lib. 2. de Sermone Domini in monte, cap. 12. tom. 4.*
(m) *Isai. c. 32. v. 16.*
(n) *Isai. cap. 35. v. 1. & 2.*
(o) *Homil. 17. in Evang.*
(p) *Ioan. c. 6. v. 10, & 11. & 15.*
(q) *Isai. cap. 9. v. 5.*
(r) *Matth. cap. 23. vers. 6.*
(s) *Lucæ c. 13. v. 28*
)t) *Iudith. cap. 16. vers. 21.*
(u) *Tract. 19. in Ioann. sub finem.*
(v) *Homil. in Evangel. Matth. cap. 5.*
(x) *Psal. 83. vers. 11*
(y) *Amos c. 5. v. 23*

(z) *Eccli.c.18.v.32.* docens nos humanas contemnere dignitates. O! quàm pauci post opera bona declinant à tur-
(aa) *Isai.c.40.v.3.* ba! O! Quomodò fugit Christus solus! quia pauci sunt, qui volunt tale exemplum fugiendi
(bb) *Isai.c.35. v.6. & 7.* gloriam mundi imitari. Deseritur à plurimis sequela Christi, tum amore inordinato dignitatum, tum nociva occasione negotiorum, &
(cc) *Luca c.2. v.7.* tumultuum; quasi non esset verum, quòd omomnis violenta prædatio cum tumultu erit in
(dd) *Ps.118.v.155.* combustionem, & cibus ignis: multi amant primas cathedras in synagogis, & salutationes in
(ee) *Psal.72.v.27.* foro, & vocari ab hominibus Rabbi: sed Prælaturæ finientur, negotia post mortem cum se-
(ff) *Eccli. cap. 13. vers. 13.* culi tumultu cessabunt: & videbunt miseri peccatores, justos recumbere in Regno Dei, se autem expelli foràs, & dari à Deo ignem, & ver-
(gg) *Luca cap. 24. vers. 29.* mes in carnes eorum, ut urantur, & sentiant usque in sempiternum: quia, ut dicit S. Augustinus, temporalia perdere timuerunt, &
(hh) *Marci cap. 5. vers. 31.* vitam æternam non cogitaverunt, ac sic utrumque amiserunt. Ubi sunt amatores hujus sæculi? Nihil ex eis remansit, nisi cineres, & vermes,
(ii) *Apocalyps.c.12. vers.6. & 14.* dicit S. Pater noster Bernardus Doctor Mellifluus. Ideo in quadam Homilia dixit Doctor Eminens Sanctus meus Patriarcha Joannes de
(jj) *4.Regum cap.7. vers. 17.* Matta: Homo, quò à visibilibus remotior, eò cœlestibus propinquior. Sequentes igitur Christum hodie declinantem à turba consti-
(kk) *Luca cap. 18. vers. 39.* tuta in loco, eligamus abjecti esse in domo Dei nostri magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Auferat à nobis Deus tumul-
(ll) *1. Regum c. 16. vers. 7.* tum: nè oblectemur in turbis. Rectas faciamus in solitudine semitas Dei nostri, quando scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in soli-
(mm) *Ierem.cap.11. vers. 20.* tudine. Et quæ erat arida erit in stagnum, & sitiens in fontes aquarum. Fecit turba, quòd Jesus declinaret ab ea constituta in loco. Locus-

cus-

cus turbæ est concessus, & videtur Jesu Christo negatus. Felix fuit in principio vitæ Christi præsepium, in quo Redemptor noster reclinatus invenit domicilium cum habitaculo, quando non erat ei locus in diversorio. Beata etiam anima se præparans, quam Deus visitat, & in qua inhabitat, quando à turba constituta in loco declinat. Væ multitudini populorum Deum à se relegantium: & longè à peccatoribus salus, quia justificationes Dei non exquisierunt, cùm verum sit, quòd qui elongant se ab eo, peribunt. Ergo nè improbi simus, nè longè simus ab eo, nè eamus in oblivionem; sed potius cùm duobus discipulis Christi apud Castellum Emmaus dicamus ipsi: Mane nobiscum, quoniam advesperascit, & inclinata est jam dies. Si viderimus turbam comprimentem nos, meminerimus, quòd in Apocalypsi mulier fugit in solitudinem, & ibi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis: experimentum sumat quisque nostrum ab eo, quem conculcavit turba, ut docet nos Scriptura Divina, in introitu portæ, & mortuus est, juxtà quod locutus fuerat Eliseus vir Dei. Qui præibant increpabant cæcum propè Jerico, ut taceret: ipse verò multò magis clamabat: Fili David, miserere mei. Qui turbam, quia cæcus, fugere non valebat, malum consilium vincens clamitabat. Taliter impedit nos turba, ut non sufficiat ad vincendum ejus obstacula loqui; necessarium est clamare, & nè noceat nobis tumultus, orationes multiplicare, & augere. Audit sanè Deus, qui intuetur cor, & est scrutans renes, & corda; sed ut audiamur à reliquis per bonum exemplum, egemus voce permagna. Extulit vocem quædam mulier de turba, ut magnitudinem prædicaret Christi,

(nn) *Luc. cap.* 11. *vers.* 27.

(oo) *Psal.* 63. *v.* 3. & 7. & 8.

(pp) *Tract. super Psalmos, in Psalmum* 63. *vers.* 7.

(qq) *Exodi c.* 5. *v.* 3.

(rr) *Ad Rom. c.* 3. *vers.* 29.

(ss) *Exodi cap.* 15. *vers.* 2.

(tt) *Judith. cap.* 9. *vers.* 10.

(uu) *Matth. cap.* 11. *vers.* 28. & 29.

(vv) *Psal.* 101. *v.* 7.

(xx) *Isai. c.* 59. *v.* 2.

(yy) *Psal.* 4. *v.* 6.

(zz) *Psal.* 49. *v.* 23.

(aaa) *Ad Hebræos cap.* 13. *vers.* 13.

(bbb) *Ad Hebræos cap.* 11. *v.* 24. & 26.

(ccc) 2. *ad Timoth. cap.3. verſ.12.*
(ddd) *Matth. c. 19. verſ. 27. & 29.*
(eee) *Exodi cap. 15. verſ.18.*
(fff) *Ierem. cap. 46. verſ.25.*
(ggg) 1. *Reg. c. 15. verſ.6.*
(hhh) *Pſal.36.v.34.*
(iii) *Pſal. 33. v.9.*
(jjj) *Pſal.146. v.6.*
(kkk) *Pſal.36.v.10 & 11.*

Si non ita clamaſſet, forſan turba, quòd audiri poſſet à tã multis, impediſſet. Protegat ergo nos Deus à conventu malignantium, à multitudine operantium iniquitatem. Et dum mundani ſcrutati ſunt iniquitates, defecerunt ſcrutantes ſcrutinio, accedat homo ad cor altum [cor ſecretum, legit S. Auguſt.] & exaltabitur Deus. Olim Deus Hebræorum vocavit eos, ut irent viam trium dierum in ſolitudinem, & ſacrificarent Domino Deo ſuo, nè fortè accideret eis peſtis, aut gladius. An Iudæorum tantùm Deus? Nonnè & Gentium? Immò & Gentium. Ergo iſte Deus noſter, & glorificabimus eum: Deus patrum noſtrorum, & exaltabimus eum. Dominus conterens bella: Dominus nomen eſt illi. Vocat nos Dominus noſter Jeſus Deus noſter, qui eſt & Hebræorum, qui hodie declinavit à turba conſtituta in loco, & nobis dicit: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis; & ego reficiam vos. Tollite jugum meum ſuper vos: & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde: & invenietis requiem animabus veſtris. Eamus ergo ſpiritaliter in deſertum, remoti ab Ægyptiaca mundanorum concurſuum, ac negotiorum multitudine, ſimiles facti pellicano ſolitudinis: & ſacrificemus Deo noſtro, nè fortè accidat nobis peſtis exemplorũ malorum, aut peccati gladius, qui nos dividit a ſummo bono, propter quod dictum eſt: Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos, & Deum veſtrum. Euntes etiam viam trium dierum per bonum exercitium trium animæ potentiarum, ſacrificemus ſacrificium juſtitiæ, & ſperemus in Domino, qui dicit: Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei. Exeamus igitur ad Chriſtum extra caſtra, improperium ejus portantes: & ſi Moy-

Moyſes grandis factus negavit, ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum, improperium Chriſti; armemur ad contradictiones ſeculi hujus tolerandas, quia omnes, qui piè volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur. Relinquamus, ſaltem affectu, omnia, & ſequamur Divinum Redemptorem à turba declinantem conſtituta in loco, & ab ea ob exemplum nobis dandum ſe avertentem, ac ipſo ſuo facto nos miſericorditer vocantem. Qui ſecuti fuerimus ipſum, propter eum vel relinquentes, vel ſaltem deſpicientes mundum, centuplùm accipiemus: & vitam æternam poſſidentes, regnabimus in ſæcula, quoniam Dominus regnabit in æternum, & ultrà. Viſitabit Deus ſuper tumultum: recedamus, nè involvamur cum eo: & cùm perierint peccatores, videbimus. Tunc ſanè guſtabimus, & videbimus, quoniam ſuavis eſt Dominus: quia eſt ſuſcipiens manſuetos Dominus: humilians autem peccatores uſque ad terram. Et adhuc puſillùm, & non erit peccator: & quæres locum ejus, & non invenies. Manſueti autem hæreditabunt terram: & delectabuntur in multitudine pacis.

SE-

SECTIO III.

In qua apponitur Evangelium Sabbati Quatuor Temporum Quadragesimæ, sive Temporis Verni, cum tribus correspondentibus Homiliis.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Matthæum, cap. 17. vers. 1.

In illo tempore: *Assumpsit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelsum seorsum: & transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies ejus sicut sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyses, & Elias cum eo loquentes. Respondens autem Petrus, dixit ad Jesum: Domine, bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrabit eos. Et ecce vox de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipsum audite. Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valdè. Et accessit Jesus, & tetigit eos: dixitque eis: Surgite, & nolite timere. Levantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Jesum. Et descendentibus illis de monte, præcepit eis Jesus, dicens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat.*

§. Pri-

§. Primus.

HOMILIA PRIMA,

Super illa verba:

Duxit illos in montem excelsum seorsum: & transfiguratus est ante eos.

DUC in altum. Hæc sunt verba, quæ dixit aliquando Simoni, vel Simoni Petro Redemptor noster Deus, & homo Jesus Christus, qui hodie die eumdem Simonem Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus assumpsit: & duxit illos in montem excelsum seorsum: & transfiguratus est ante eos. Quando dixit Christus: Duc in altum, volebat, quòd Petrus cum navi ingrederetur altitudinem profundi maris: hic disponit, quod idem Petrus in ejus societate, cum aliis duobus discipulis, ascēdat multùm usq; ad montis supercilium. Magnus utiq; Dominus noster, & magna virtus ejus, & sapientiæ ejus non est numerus. Verè mirabilis in altis Dominus noster Jesus Christus, tum in altitudine maris, tum etiam in cacumine montis. Illic ascendens in unam navim, quæ erat Simonis, fecit mirabiliter, quòd piscatores concluderent piscium multitudinem copiosam: quod, cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua Jesu. Stupor enim circumdederat eum. Similiter autem Jacobum, & Joannem filios Zebedæi, qui erant socii Simonis: hìc in monte excelso, ejus altitudinem cum iisdem tribus Apostolis sanctis conscendens, ac pedibus suis, & co-

(a) *Lucæ cap. 5. v. 4.*

(b) *Psal. 146. v. 5.*

(c) *Psal. 92. v. 4.*

(d) *Lucæ cap. 5. v. 3. & 8. & 9. & 10.*

(e) *Daniel. cap. 3. v. 78. & in eodem cap. v. 75.*

(f) *Psal. 118. v. 64.*

(g) *Psal. 88. v. 10. & 14. & 15.*

(h) *Sapientiæ c. 10. vers. 10.*

(i) *Marci c. 8. v. 39.*

(j) *Psal. 95. v. 10. & Ecclesia in Hymno: Vexilla Regis prodeunt, v. 3.*

(k) *Psal. 92. v. 1.* corum, tantam sublimitatem submittens, vult
(l) *Lucæ c. 9. v. 31.* etiam Dominus Jesus manifestari mirabilis, ostendens tribus testibus electis gloriam suæ
(m) *Psal. 35. v. 10.* Transfigurationis. Et hos tres, quos stupor circumdederat in mari, magnus timor etiam
(n) *Lucæ c. 2. v. 32.* invasit in monte. Benedicite ergo maria, &, flumina Domino: benedicite montes, & colles
(o) *Psal. 75. v. 5.* Domino, cujus misericordia plena est terra. Ipse dominatur potestati maris. Thabor, &
(p) *Iob c. 24. v. 13.* Hermon in nomine ejus exultabunt, suum brachium cum potentia. Firmetur manus illius,
(q) *Iob c. 24. v. 17.* & exaltetur dextera ejus; justitia, & judicium præparatio sedis ipsius. Duxit Jesus Petrum,
(r) *Psal. 88. v. 16.* & Jacobum, & Joannem in montem excelsum seorsum: deduxit sanè eos Dominus per vias
(s) *Matth. c. 4. v. 1.* rectas, & ostendit illis regnum Dei, & dedit illis scientiam Sanctorum, honestavit illos in labo-
(t) *Psal. 142. v. 11.* ribus, & complevit labores illorum Redemptor, & Magister benignissimus; qui transfi-
(u) *Psal. 118. v. 105. & v. 130.* guratus est ante eos; nè gustarent mortem, donec viderent Filium hominis in regno suo, antequàm Dominus regnaret à ligno: & quando
(v) *Prov. cap. 12. vers. 28.* ita Dominus regnavit, & decorē indutus in vertice montis Thabor, apparuerunt Moyses, & Elias cum eo loquentes, & dicebant excessum
(x) *1. Ioan. cap. 1. vers. 2.* ejus, quem completurus erat in Jerusalem. In lumine Dei viderunt lumen hi tres Sancti Apostoli, lumen quidem ad revelationem gen-
(y) *Ioan. c. 14. v. 6.* tium:& quando istud lumen illuminans fuit mirabiliter à montibus æternis, turbati sunt omnes
(z) *Iudic. c. 4. v. 6.* insipientes corde, hoc est, peccatores cum dia-
(aa) *Iudic. cap. 5. vers. 20.* bolo, qui fuerunt rebelles lumini, & si subitò apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis: sed justi in lumine vultus Christi ambulabunt,
(bb) *Tobiæ cap. 12. vers. 2. & 3.* & in nomine ejus exultabunt tota die, & in justitia ejus exaltabuntur. Olim ductus est Jesus in desertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo: ho-

hodie Spiritus Christi bonus deduxit in terram rectam discipulos: propter nomen suum Dominus vivificavit in æquitate sua illos, verè pius, & misericors. Lucerna pedibus nostris verbum Dei, & lumen semitis nostris, dum etiam declaratio sermonum illius illuminat, & intellectum dat parvulis. In semita justitiæ, vita: & vita manifestata est, quando transfiguratus est in monte Dominus Jesus, qui via, veritas, & vita est. Duxit ipse exercitum in montem Thabor meliùs, quàm anteà duxerat exercitum ad eumdem montem, tempore Debboræ Prophetissæ, Barac, filius Abinoem contra Sisaram ducem exertus Jabin Regis Chanaan: quia quando Christus fecit ascendere montem Sanctos Apostolos Petrum, Jacobum, & Joannem, erant isti, qui posteà, velut stellæ manentes in ordine, & cursu suo adversum Sisaram diabolum pugnaverunt, & victoriam magnam mundum debellantes reportarunt. Quid dignum poterit esse beneficijs Dei hominis Christi, qui ascendens in montem, suos duxit, & reduxit sanos? Ex Bethleem exivit iste Dux, qui ducens Apostolos, regit, & reget populum Dei Israel. Notus in Judæa Deus, quamvìs aliquando hæc semitam ignoravit avis [Christi, scilicèt, ut explicat Sanctus Gregorius Magnus] ideoque dictum est Judæis: Medius vestrum stetit, quem vos nescitis, quando in mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit, qui in propria venit, & sui eum non receperunt: quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus: quem si principes cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Minavit Christus, meliùs, quam Moyses, gregem ad interiora deserti, illum gregem, inquam, cui quam-

(cc) *Michææ cap. 5. v. 2. & Matth. c. 2. vers. 6.*

(dd) *Psal. 75. ver. 2.*

(ee) *Iob. c. 28. vers. 7.*

(ff) *Homil. 29. in Evangel.*

(gg) *Ioan. c. 1. v. 26. & in eodem c. v. 10. & 11. & 12.*

(hh) *1. ad Corinth. cap. 2. vers. 8.*

(ii) *Exodi c. 3. v. 1.*

(jj) *Lucæ 12. ver. 32.*

(kk) *Psal. 144. v. 3.*

(ll) *Matth. c. 7. v. 14.*

(mm) *Ps. 17. v. 34.*

(nn) *Psalm. 16. v. 5.*

(oo) *Matthæi c. 13. vers. 31.*

(pp) *Iob. c. 41. v. 23.*

(qq) *Ps. 22. v. 3. & 4*

(rr) *Iudith. c. 10. v. 16*

(ss)*Psal.* 79. *vers.* 2. quamvìs erat pusillus, tamen placuit Patri eo-
rum dare illis Regnum, dum Regnum Dei est
(tt)*Ioan.c.*10. *v.*27. regnum omnium sæculorum, & dominatio
ejus in generationem, & generationem. Du-
(uu)*Ioan.c.*10. *v.*3. & 4. & 9. xit Apostolos electos Christus per semitas, quia
arcta est via, quæ ducit ad vitam: & perfecit
pedes eorum, tamquàm cervorũ, & super excelsa
(vv)*Psalm.* 22. *v.*2. statuens eos: ac perfecit gressus eorum in semi-
tis suis, ut non moverentur vestigia illorum:
(xx)*Cantic.c.*6. *v.*9. & ita securè duxit populum suum istum, qui qui-
dem erat granum sinapis, quod minimum est
(yy)*Psalm.*26. *v.*3. omnibus seminibus: cùm autem creverit, ma-
jus est omnibus oleribus. Post eum lucebit se-
(zz)*Ps.*27. *v.*8. & 9. mita, dum deducit quotidie nos super semitas
justitiæ propter nomen suum: & si ambulaveri-
(aaa)*Psalm.* 2. *v.*8. mus in medio umbræ mortis, non timebimus
mala, quoniam ipse Deus nobiscum est. Mun-
(bbb)*Psal.*59. *v.*10. dani, uti accidit Judith, ducunt nostras ani-
mas ad tabernaculum Holofernis, Dæmonis,
(ccc)*Osee c.*11. *v.*4. scilicet, ut aporiemur, & pereamus: sed Chri-
stus, qui regit Israel, intendit, & deducit ve-
(ddd)*Ierem.cap.*31. *vers.* 3. lut ovem Joseph, dum oves ejus vocem ipsius
audiunt, quando vocat eas nominatim, &
ante eas vadit, & deducit eas: & per illum,
(eee)*Cantic.c.*1. *v.*3. qui est ostium, si quis introierit, salvabitur, &
ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet:
(fff)2. *Reg.c.*3. *v.*31 quia Dominus regit nos, & nihil nobis deerit,
in loco pascuæ ibi nos collocavit: super aquam
(ggg)*Apocalyps.c.*1 *vers.* 18. refectionis educavit nos, animas nostras con-
vertit. Ideo Ecclesia diabolo, mundo, & car-
ni animæ pessimis inimicis terribilis est, ut ca-
strorum acies ordinata: & si exurgat adversum
(hhh) *Apocal.c.* 22. *vers.* 16. eam prælium, in Deo illa sperabit: quia Domi-
nus fortitudo plebis suæ, & protector salvatio-
num Christi sui est. Salvum itaque faciet po-
(iii)*Numer. cap.*24. *vers.* 17. pulum suum, & benedicet hæreditati suæ: &
(jjj) *Psalm.*109. *v.*1. reget eos, & extollet illos usque in æternum:
quam-

quandoquidem postulavit Christus à Patre, & dedit illi gentes hæreditatem suam, & possessionem suam terminos terræ: & in Idumæam extendit calceamentum suum, ipsi alienigenæ subditi sunt. In funiculis Adam traxit Apostolos, in vinculis charitatis, qui in charitate perpetua dilexit nos: ideo attraxit nos miserans nostri. Dum igitur traxit nos post se, in odorem curremus unguentorum suorum. Rex David, & omnis populus sequebatur feretrum Abner, qui quidem erat defunctus, quamvis fuisset dux strenuissimus: quid mirum si nos sequamur ducem Christum, qui fuit mortuus, sed est vivens in sæcula sæculorum? Ipse Jesus est stella splendida, & matutina. Dum ergo orta est stella ex Jacob, & consurrexit virga de Israel, confringat ipse omnes duces alienigenarum, & sit omnis terra possessio ejus: ponamus, inquam, peccata Deo inimica scabellum pedum suorum: quia ipse destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam. Transfiguratus est Christus ante discipulos, qui secuti ipsum fuerant, & altitudinem montis superaverant. Viderunt istum formosum in stola sua, gradientem in multitudine fortitudinis suæ, qui etiam gloriosus apparuit in conspectu Domini; propterea decorem induit illum Dominus. Hic est speciosus forma præ filiis hominum. Confessio, & pulchritudo in conspectu ejus: sanctimonia, & magnificentia in sanctificatione ejus. Intuentes in Beatum Prothomartyrem Stephanum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem ejus, tamquam faciem Angeli. Si tam pulcher apparuit in concilio miles strenuus, quæ pulchritudo apparere debuit apud montem Thabor in eo qui erat, & est Imperator summus, tamquàm verus homo Deus? Si taliter resplenduit homo purus

(kkk) *2. ad Timoth. cap. 1. vers. 10.*

(lll) *Isaiæ c.63. v. 1.*

(mmm) *Ps.44. v.3.*

(nnn) *Psal.95. v 6.*

(ooo) *Actor. cap.6. vers. 14.*

(ppp) *Ioan.c.1.v.14*

(qqq) *Psal.109.v.3.*

(rrr) *Psalm.30.v.17. & 18*

(sss) *Ioan.cap.1.v.9.*

(ttt) *Ad Galatas c.4. vers.26.*

(uuu) *Apocalyp.c.21 vers. 23.*

(vvv) *Genes.c.1.v.4. & 5.*

(xxx) *Ps. 135.v.8.*

(yyy) *Sermone de Oratione Dominica, ad fin.*

 San-

(zzz) *Psalm.* 18. *v.* 6.
(aaaa) *Serm.* 10. *de verbis Domini.*
(bbbb) 3. *Reg.* c. 10. *verf.* 8.
(cccc) *Matthæi* c. 12 *verf.* 42.
(dddd) *Ad Philipp.* c. 3. *verf.* 10. & 11.
(eeee) 2. *ad Corinth.* c. 7. *verf.* 1.

Sanctus Srephanus, quomodo æquum erat, quòd luceret Dei filius homo factus? Vidimus, inquit Sanctus Joannes Evangelista, qui huic interfuit Transfigurationi, gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre. Totum dixit, cùm hoc asseruit, loquens de eo, quem in splendoribus sanctorum ex utero genuit Pater ante luciferum. Illustret ipse Christus faciem suam [quæ hodie resplenduit, sicut sol] super servos suos: salvos nos faciat in sua misericordia, & disponat, quód non confundamur, quoniam invocavimus eum. Mundi Redemptor est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: & ideo Civitas cœlestis Ierusalem [quæ sursum est, quæ etiam libera est; quæ est mater nostra] non eget sole, neque luna, quia claritas Dei illuminabit eam, & lucerna ejus est Agnus. Vidit Deus lucem, quòd esset bona, appellavitque lucem diem: & dedit idem Dominus solem in potestatem diei, quoniam in æternum misericordia ejus. Dies verus est Christus, ait Sanctus Cyprianus: & in potestatem hujus veri diei datus est sol; dum Redemptor noster in sole posuit tabernaculum suum, & resplenduit facies ejus sicut sol. Promittitur nobis visio veri Dei, summi Dei, dicit Sanctus Augustinus. Beati servi Dei, qui steterint coram eo semper, magis quàm servi Salomonis, de quibus similia dixit Regina Saba: quoniam ecce plus, quàm Salomon hic. Considerantes igitur nos Christum in monte transfiguratum, configuremur morti ejus, si quomodò occurramus ad resurrectionem, quæ est ex mortuis. Has ergo habentes promissiones, charissimi [Prosequitur Sanctus Paulus] mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.

§. Se-

§. Secundus.

HOMILIA II.

Super illa verba:

Et accessit Iesus, & tetigit eos: dixitque eis: Surgite, & nolite timere.



Æ illis, qui sunt convivantes sine timore, sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in æternum. Væ etiam eis, qui dum adhærent doctrinis dæmoniorum, sunt ex patre diabolo, qui ab initio peccat, & imitantur in pessima operatione dæmones, qui credunt, & contremiscunt. Væ demùm his, qui timebunt die, ac nocte, & non credent vitæ suæ. Timor pœnam habet; sed est etiam timor sanctorum, ait Sanctus Ambrosius. Timor Domini sanctus est, [etiam timor Domini castus est, permanens in sæculum sæculi, dicit Sanctus Augustinus.] Damnantur itaque qui non timent, dum mala agunt. Condemnatio est etiam timentibus, & tamen malè obstinatis [quamvis credant] peccatoribus: timentibus quoque, sed non credentibus. Beati verò sunt omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus. Nihilominus dicit hodie Historia Evangelica, quòd accessit Iesus, & tetigit in monte suos discipulos Petrum, & Iacobum, & Ioannem, [qui quidem discipuli audientes vocem de nube ceciderunt in facies suas, & timuerunt valde:] dixitque eis: Surgite, & nolite timere. En quomodo Dominus Deus Israel visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ, ut sine timore de

(a) *Iudæ Epist. v.* 12. & 13.
(b) 1. *ad* Timoth. *c.* 4. *vers.* 1.
(c) *Ioan. c.* 8. *v.* 44.
(d) 1. *Ioan. c.* 3. *v.* 8.
(e) *Iacob. cap.* 2. *v.* 19
(f) *Deut. c.* 28. *v.* 66.
(g) 1. *Ioan. c.* 4. *v.* 18.
(h) *In Psal.* 118. *sermone* 21.
(i) *Psal.* 18. *vers.* 10.
(j) *Psalm.* 127. *v.* 1.
(k) *Lucæ c.* 1. *v.* 63. & 74. & 75.
(l) *Psal.* 118. *v.* 25.

manu

(m)*Ad Ephesios.c.5. vers.14.* manu inimicorum nostrorum liberati servia-
mus illi in sanctitate, & iustitia coram ipso om-
nibus diebus nostris. Sed dixit: Nolite timere,
(n)*Actor.c.3.v.6* postquam dixerat: Surgite; quia surgentibus
tantùm est nolle timere. Qui non surgunt, ju-
(o)*Ierem.cap.3.v.2. & 3.* re timere possunt. Itaque si adhæsit pavimento
anima nostra, orare necesse est Dominum, ut
sua gratia vivificet nos secundum verbum suum.
(p) *Psal. 118. v. 1 & 3.* Surgamus qui dormimus,& exurgamus à mor-
tuis, & illuminabit nos Christus. Surgamus,
& ambulemus. Levemus in directum oculos
(q)*Lucæ c.15.v.18.* nostros, & videamus ubi non prostrati simus.
Quamobrem prohibitæ sunt stillæ pluviarum,
(r)*Actor.c.9.ver.7.* & serotinus imber non fuit. Sunt beati imma-
culati in via, qui ambulant in lege Domini.
(s) *Psal. 45. vers. 5.* Non enim qui operantur iniquitatem,in viis ejus
ambulaverunt. Surgamus ergo, & eamus ad
(t) *Lucæ c.15. v. 7.* Patrem nostrum. Surgamus, & ingrediamur
civitatem, sicut Saulus conversus. Quia si à vi-
(u) *Psal. 45. vers. 5* tiis, & peccatis, & à terra inordinati amoris
hujus mundi non surgimus, viam Dei non in-
(v) *Psal. 48. vers. 6.* veniemus. Sed, cùm fluminis impetus lætificet
Civitatem Dei, quia gaudium est in cœlo co-
(x)*Psal. 45. vers. 3* ram Angelis Dei super uno peccatore pœniten-
tiam agente, si in nobis per pœnitentiam ve-
(y)*Iudith. c.10. v.1. & 3.* ram sanctificaverit tabernaculum suum Altissi-
mus, cur timebimus in die mala? Non time-
bimus, dum turbabitur terra, & transferentur
(z) *Iacobi c. 4. v.7.* montes in cor maris. Surrexit Iudith, & orna-
vit se vestimento, ac sic non timuit Assyrios:
(aa) *Ad Ephes. c.4. vers. 24.* neque nos timebimus, si à terra passionum ter-
renarum surgentes, vestimento gratiæ induti
fuerimus: immò facti diabolo terribiles, resiste-
(bb)*Isai.c.61. v. 10* mus diabolo, & fugiet à nobis: appropinquabi-
mus Deo,& appropinquabit nobis.Surgamus er-
(cc)*Eccli.c.15. v.5.* go, & induamur novum hominem, qui secun-
dùm Deum creatus est, ac consequenter indue-
mur

mur à Deo vestimento salutis & indumento justitiæ circũdabimur, atque stola gloriæ vestiemur. Surgamus, & circumeamus civitatẽ: per vicos, & plateas quęramus quẽ diligunt animę nostrę, & inveniemus eum, si dolentes quæramus. Accedamus ad illum, & illuminabimur, & facies nostræ non confundentur. Surge ergo, illuminare Ierusalem [anima] quia venit lux tua, & gloria Domini super te orta est. Absque dubio illuminabimur, si spiritaliter surrexerimus. Angelus Domini fuit, qui Sanctissimo Deiparæ Sponso Ioseph dixit: Surge, & accipe puerum. Multi Jesum in Eucharistia non accipiunt, quia non surgunt. Alii non surgentes, accipiunt ad suum damnum. Quàm multi de Altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur! ait dolens, & gemebundus S. Doctor Augustinus. Ideò hoc, quia non surgentes, accipiunt. Jacent in peccatis: ideo eis non prodest, quem recipiunt, panis ille cœlestis: immò eos necat: quia est mors malis, & vita bonis. Neutiquam talia mala eis evenirent, neque super eos ruerent, si surgentes Jesum acciperent. Surgite, fratres, & accipite: & manducantes, & bibentes surgite Principes: quia qui surgentes à peccato Christũ in Eucharistia accipiunt, à mensa Domini surgent Principes, & in hoc sæculo habentes felicem statum gratiæ, principabuntur, ac in æterna gloria cum Christo jucundissimè sine fine regnabunt. Surgamus igitur strenuè: surgamus, & aperiamus dilecto nostro, qui stat ad ostium, & pulsat. Martha abiit, & vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & vocat te. Illa, ut audivit, surgit citò, & venit ad eum, nondum enim venerat Jesus in Castellum: sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha. Ecce quomo-

(dd) *Cantic. cap. 3. vers. 2. & 4.*

(ee) *Psal. 33. v. 6.*

(ff) *Isai. c. 60. v. 1.*

(gg) *Matth. cap. 2. vers. 3.*

(hh) *Tract. 26. in Ioan. circa medium.*

(ii) *Isai. c. 21. v. 5.*

(jj) *Apocal. cap. 3. vers. 20.*

(kk) *Ioan. cap. 11. vers. 28. & 29. & 30.*

(ll) *Cantic. cap. 2. vers. 10. & cap. 3. vers. 8.*

(mm) *Ierem. cap. 31. vers. 6.*

(nn) *Matth. cap. 9. vers. 9. & 10.*

(oo) *Lucæ c. 7. v. 14. & 15.*

modò Magdalena citò surrexit, quando Christum adesse, & eam vocare, audivit. Vocat animam Sponsus cœlestis, dicens: Surge, propera amica mea: veni, coronaberis. Ita libenter, & liberaliter eis, qui surrexerint, & ad eum accesserint, coronam Paradisi offert. Surgamus, & ascendamus in Sion ad Dominum Deum nostrum: & imitantes Sanctum Evangelistam Matthæum, surgentes sequamur, & recipiamus Jesum Christum. Dum dicitur de hoc Domino Sacratissimo, qui Matthæum vocaverat: Et factum est, discumbente eo in domo, intelligitur domus ipsius Matthæi, juxta quod expresse Sancti Evangelistæ Marcus, & Lucas referunt, ut notavit Glossa Interlinealis, & S. Augustinus de consensu Evangelistarum. Quia in propinquitate portæ Civitatis Naim; ille defunctus obediens Christo dicenti; Adolescens, tibi dico: Surge, surrexit, & resedit qui erat mortuus: ideo dedit illum Matri suæ Redemptor Divinus. Utique Mater nostra Ecclesia cum gaudio nos suscipiet etiam lætantes, si Christo obedierimus à peccati morte surgentes. Hæc profectò Rachel plorans filios suos, & nolens consolari, quia non sunt, videns cum gaudio quemlibet peccatorem conversum, ac filium resuscitatum, dicet: Mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus est. Utinam mittat nobis Deus auxilium de sancto, & de Sion tueatur nos! Impleat Dominus omnes petitiones Ecclesiæ, ut quando tot miseri peccatores irremediabiliter introierunt in inferiora terræ, & traditi sunt in manus gladii ultionis Divinæ, & damnationis æternæ; nos surgamus, & erecti simus, ac ipsam Matrem nostram Ecclesiam spiritali, & nobis proficua lætificemus resurrectione. Sic disponemus sermones nostros in judicio,

(pp) *Ierem. cap.* 31. *vers.* 15. *& Matth. cap.* 2. *vers.* 18.

(qq) *Lucæ cap.* 15. *vers.* 32.

(rr) *Psal.* 19. *v.* 3. *&* 7.

(ss) *Psal.* 62. *v.* 10.

(tt) *Psal.* 19. *v.* 9.

(uu) *Psal.* 111. *v.* 5. *&* 7. *&* 8. *&* 10.

(vv) *Matth. cap.* 8. *vers.* 7.

(xx) *Matth. cap.* 9. *vers.* 13.

(yy) *Lucæ c.* 7. *v.* 14.

(zz) *Lib.* 5. *Comment. in Lucam, c.* 7. *post initium.*

(aaa) *Ioan. cap.* 10. *vers.* 10. *&* 28.

(bbb) *Ioan. cap.* 3. *vers.* 15.

(ccc) *Lucæ cap.* 19. *vers.* 10.

clo, & ab auditione mala non timebimus, dum paratum fuerit cor nostrum sperare in Domino, confirmatum fuerit cor nostrum, quando è contrario peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet: desiderium peccatorum peribit. Sed notatione in præsenti Evangelio est dignissimum, quòd accessit Jesus, & tetigit discipulos, dixitque eis: Surgite, & nolite timere. Priùs tetigit eos, ac posteà dixit: Surgite, & nolite timere. Noverat Sapientissimus, & misericordissimus Dominus, quòd, si non accederet, & tangeret, non poterant discipuli surgere, nec valebant non timere. O maxima efficacia Divinæ Gratiæ! Nisi Jesus accedat, nisi tangat, nemo à peccato surget, nec erit sine justo timore damnationis, ac perditionis æternæ. Sed ille Dominus, qui volens sanare servum Centurionis, isti dixit: Ego veniam, & curabo eum, de cœlo venit, ut nos curaret: non venit vocare justos, sed peccatores. Accessit ad nos, per Unionem Hypostaticam secum nostram incorporans naturam. Accessit, & tetigit loculum defuncti Naim, dicit S. Ambrosius, ut esset indicio, salutem populo per Crucis patibulum refundendam. O mirabilis, & proficuus accessus ejus, qui venit, ut vitam habeamus, & abundantiùs habeamus, qui etiam vitam æternam dat suis ovibus: ut omnis, qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam, si fidem cum gratia, & bona operatione habet conjunctam. Venit enim Filius hominis quærere, & salvum facere quod perierat. Spiritus vitæ erat in in rotis: ideò, cùm ambularent animalia, ambulabant pariter, & rotæ. Iste est effectus spiritus Divinæ gratiæ. Apud Ezechielem etiam legimus, quòd erant ossa multa valdè

(ddd) *Ezechiel. c. 1. v. 20. & in eodem cap. v. 19.*

(eee) *Ezechiel. c. 37. v. 2. & 7. & 10.*

(fff) *Psal. 143. v. 7.*

(ggg) *Psal. 68. v. 31 & 16.*

(hhh) *Trenor. cap. 1. v. 14.*

(iii) *Lucæ c. 5. v. 13.*

(jjj) *Marci cap. 7. v. 35.*

(kkk) *Matth. cap. 20 vers. 34.*

dè ſuper faciem campi, ſiccaque vehementer: paulò poſt acceſſerunt oſſa ad oſſa, unumquodque ad juncturam ſuam: ſteteruntque ſuper pedes ſuos exercitus grandis nimis valdè. Quarè ſteterunt? Quia ingreſſus eſt in ea ſpiritus, & vixerunt. Non ſtarent, niſi per ingreſſum ſpiritus viverent: ſicut etiam rotæ ambulare cum animalibus non poſſent, niſi in eis ſpiritus vitæ eſſet. Similiter, niſi cum ſpiritu gratiæ per Adventum, & aſſiſtentiam Chriſti, nec ſtare, nec ambulare, immò nec poſſumus a peccato ſurgere. Non eſt tam facile exire de fovea, ſicut in eam cadere, dicit Sanctus Pater noſter Bernardus. Non poſſumus naturæ viribus liberari à morte, quæ eſt in peccatis, nec liberabimur, niſi Deus emittat manum ſuam de alto, & liberet nos de aquis multis, quando peccando venimus in altitudinem maris, & abſorpſit nos profundum, & urſit ſuper nos puteus os ſuum. Taliter vigilavit jugum iniquitatum noſtrarum, & infirmata eſt virtus noſtra. Utinam ille, qui in Incarnatione acceſſit ad nos per miſericordiam, tangat nos per ſuam gratiam. Ipſe Chriſtus tetigit leproſum, & confeſtim lepra diſceſſit ab illo. Jeſus miſit digitos ſuos in auriculas ſurdi, & muti: & ſtatim apertæ ſunt aures ejus, & ſolutum eſt vinculum linguæ ejus. Miſertus duorum cæcorum Jeſus tetigit oculos eorum. Et confeſtim viderunt, & ſecuti ſunt eum. Oremus ergo Dominum, ut ad nos accedens, & nos tangens per ſuum Divinum auxilium, faciat, quòd poſſimus ſurgere, & jam nolimus timere.

§. Ter-

§. Tertius.

HOMILIA III.

Super illa verba :

Levantes autem oculos ſuos , neminem viderunt , niſi ſolum Jeſum .


EATI qui non viderunt, & credi-
derunt, ac etiam beati oculi, qui (a) *Joann.cap.20.*
videbant, quæ Apoſtoli videbant. *Verſ. 19.*
Multi enim Prophetæ, & Reges
voluerunt videre quę videbant ipſi, (b) *Lucæ cap. 10.*
& non viderunt. Sanè non omnes ceperunt *verſ. 23. & 24.*
verbum iſtud, ſed illi, quibus datum eſt: &
Apoſtolis datum eſt noſſe myſteriū Regni Dei. (c) *Matth.cap. 19.*
De illis beatis oculis videtur poſſe intelligi, *verſ. 11.*
quod dicitur: Viderunt ingreſſus tuos Deus,
ingreſſus Dei mei, Regis mei, qui eſt in San- (d) *Lucæ c.8.v.10.*
cto. Prævenerunt Principes conjuncti pſallen-
tibus: quia, cùm Apoſtoli fuerint primitias (e) *Pſalm.67.verſ.*
ſpiritus habentes, intravit, & exivit inter eos *25. & 26.*
Dominus Jeſus, incipiens à baptiſmate Joan-
nis uſque in diem, qua aſſumptus eſt ab eis. (f) *Ad Rom. cap.8.*
Hodie in Monte Thabor Sancti Apoſtoli Pe- *verſ.23.*
trus, Jacobus, & Joannes (inter ceteros ma-
ximo privilegio donati, quia juxta S. Leonem (g) *Actor. cap. 1.*
Magnum, aperuit hodie Dominus coram ele- *verſ.21. & 22.*
ctis teſtibus gloriam ſuam) levantes oculos
ſuos, neminem viderunt, niſi ſolum Jeſum. (h) *Serm de Trans.*
Anteà apparuerunt eis Moyſes, & Elias cum *figur. ante med.*
eo loquentes. Sed poſtquam fuerunt majeſta-
te vocis Æterni Patris proſtrati, & à Chriſto (i) *Iſai.c.38.v.14.*
Domino ad eos accedente, illoſque tangente,
ut à terra ſurgerent, adjuti, jam non vident (j) *Pſalm.72.v.25.*

 Moy-

Moysen, neque Eliam: solùm vident Jesum, qui eos ad tantam gloriam ipsius Transfigurationis provexerat, & eos ad exurgendum animaverat. Levaverunt oculos suos: itaque attenuati sunt oculi eorum suspicientes in excelsum. Qui elevat oculos suos ad videndū solem, certè solē solùm jam videre valet, quia aspectus hujus luminaris majoris ita oculos attenuat, ut facilius sit plorare, quàm aliquid præter solem aspicere. Visio solis facit, quòd qui eum intuetur, videre non possit divitias, nec pulchritudines; quia omnia videntur, ut umbræ, illa fruentibus luce, ac nimio eo illuminatis splendore. Quid visuri erant isti Beatissimi Apostoli, quibus concessum est frui gloria Christi transfigurati? Quid mihi est in Cœlo? & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Si consideremus, ait S. Gregorius Magnus, quæ nobis promittuntur in Cœlis, vilescunt animo omnia, quæ habentur in terris. Videre Deum volumus, dicit S. Augustinus, videre Deum quærimus, videre Deum inardescimus. Quis non? Sed vide, quid dictum est: Beati mundicordes: quoniam ipsi Deum videbunt. Hoc para, unde videas. Ut enim secundùm carnem loquar, quid desideras ortum solis cum oculis lippis? Sani sint oculi, & erit illa lux gaudium. Non sint oculi sani, & erit illa lux tormentum. Non enim corde non mundo videre permittèris, quod non videtur, nisi mundo corde. Repellèris, auferèris, non videbis. Hæc omnia dixit Sanctus Augustinus. Utinam illa semper in corde teneamus! Puris oculis viderunt Jesum Apostoli in monte: & præter ipsum, surgentes, & elevantes oculos suos, neminem viderunt. O! quo-

(k) *Homil. 37. in Evangel.*

(l) *Serm. 14. ex additis à Parisiens. c. 6. to. 10.*

(m) *Ad Galat. cap. 5. vers. 6.*

(n) *Psal. 76. ver. 17.*

(o) *Habac. cap. 3. vers. 10.*

(p) *Job. capit. 42. vers. 5. & 6.*

(q) *1. ad Corinth. cap. 13. v. 12.*

(r) *Psal. 39. v. 4.*

(s) *Ioan. c. 21. v. 22. & in eod. cap. v. 19. & 20.*

(t) *1. Ioan. cap. 3. vers. 2.*

(u) *Actor. c. 9. v. 8. & 17.*

(v) *Isai. c. 30. v. 20.*

(x) *3. Reg. cap. 22. v. 19. & 24. & 26. & 27.*

quomodò nobis proficiet oculis fidei; quæ per charitatem operatur, videre Christum, ad neminem alium contra ejus voluntatem videndum! & ad benè operandum, quamdiu incolimus hunc mundum! Viderunt Deum aquæ, & timuerunt: viderunt eum,& doluerunt montes: quia animæ puriores, & excelsiores spiritus timent, & dolent, quando Deum fide viva aspiciunt, & in faciem ipsius, ut ei placeant, intendunt. Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te. Idcircò ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla, & cinere, ajebat ille vir Sanctissimus Job. Ecce quomodò ex eo, quòd viderat Deum [quamvìs videamus nunc per speculum in ænigmate]procedebat ejus pœnitentia, unde maxima consecutus est lucra. Videbunt multi, & timebunt, & sperabunt in Domino. Faxit ipse Deus, ut ab eo non avertamus oculos, nè acriter reprehendamur. Reprehendit Christus S. Petrum, dicens illi. Quid ad te? Tu me sequere. Quia anteà dixit Jesus Petro: Sequere me. Conversus autem Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem. Noluit Christus, quòd Petrus averteret ab ipso, qui Creator, & Redemptor est, oculos, neque ad videndum Sanctum Evangelistam Joannem, licèt bonum, ac etiam Divinum sequentem Magistrum. Vult iste Dominus, quòd ipsum Petrus sequatur, ac, ut eum attentè aspiciat, quin visum etiam ad bonam creaturam divertat. Si sic reprehenditur aspiciens personam Sanctam, quid non potest timere attendens ad aspectus, quibus non solùm attentio ad Creatorem, & Redemptorem nostrum minuitur, sed quibus etiam graviter Divina Majestas offenditur? Discamus neminem videre, nisi solum Jesum: ac sic, cùm appa-

(y) *Isai. cap.6. v.1. & 6. & 7. & 8.*
(z) *Psal. 44. v. 11.*
(aa) *Proverb. c. 4. v.25. & 26. & 27.*
(bb) *Proverb. c.23 vers.26.*
(cc) *Luca c.2. v.29. & 30.*
(dd) *Ps.118. v.123. & 124.*
(ee) *Actor. cap. 3. vers.4. & 5.*
(ff) *4. Reg. cap. 2. vers.10. & 12.*
(gg) *Psal. 122. v. 2. & 3.*
(hh) *Psal. 24. v.1.*
(ii) *Psal. 77. v.7.*
(jj) *Psal. 122. v.1.*
(kk) *Psalm. 24. v.1. & 2. & 3.*
(ll) *Ezechiel. c. 33. v. 25. & 27. & 28. & 29.*

(mm) *Ezechiel.c.*18. *v.*15. & 17. apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum, sicuti est. Post conversionem surrexit Saulus de terra, apertisque oculis nihil vi-
(nn) *Eccli. cap.* 23. *v.* 5. & 6. debat: quia apparuit illi Dominus in via, qua veniebat; & ideo nihil videbat Saulus; nam Deus homo Christus illum illuminans, ipsius
(oo) *Lucæ cap.* 18. *vers.*13. tum animæ, tunc corporis in se converterat oculos. Sint igitur oculi nostri videntes Præceptorem nostrum. Vidit Michæas Dominum
(pp) *Isai. c.*51.*v.*6. sedentem super solium suum, & posteà patienter sustulit persecutionem Achab. Isaias vidit
(qq) *Isai.c.*40.*v.*26 Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum: & volavit ad eum unus de sera-
(rr) *Ad Philipp.c.*3. *vers.* 8. phim, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de Altari, & tetigit os ejus, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniqui-
(ss) *Psal.* 61.*v.*11. tas tua, & peccatum tuum mundabitur: ac ita quando ipse Propheta audivit vocem Domini
(tt) 1. *ad Corinth.* c.7.*v.*30. & 31. dicentis: Quem mittam? & quis ibit nobis? dixit: Ecce ego, mitte me. Audi ergo filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere po-
(uu) *Joan.c.*2.*v.*17. pulum tuum, & domum Patris tui. Ergo oculi nostri recta videant, & palpebræ nostræ præ-
(vv) *Psal.*48.*v.*18. cedant gressus nostros. Dirigamus semitam pedibus nostris, & omnes viæ nostræ stabilien-
(xx) *Psal.*38.*v.*7. tur. Ne declinemus ad dexteram, neque ad sinistram: avertamus pedes nostros à malo,
(yy) *Psal.*33.*v.*11. vias enim, quæ à dextris sunt, novit Dominus: perversæ verò sunt quæ a sinistris sunt. Ipse au-
(zz) *Psal.*48.*v.*15. tem rectos faciet cursus nostros, itinera autem nostra in pace producet. Dominus dicit: Præ-
(aaa) *Ezechiel.c.*7. *v.* 19. & 25. & 27. be, fili mi, cor tuum mihi: & oculi tui vias meas custodiant. Sanctus Senex Simeon ait: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Oculi nostri deficiant in salutare Dei, & in eloquium justitiæ suæ: & faciet

faciet cum servis suis secundùm misericordiam suam, & justificationes suas docebit nos. Si audiens claudus Sanctum Petrum dicentem: Respice in nos, intendebat in Petrum, & Joannem, sperans se aliquid accepturum ab eis: si Eliseus confidit, quòd fieret in eo spiritus Eliæ duplex, si videret Eliam Magistrum, quando ab illo tolleretur: quantò magis debemus curare, quòd oculi nostri sint ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri? & dicere: Miserere nostri Domine, miserere nostri, quia multùm repleti sumus despectione? Levaverunt ideo etiam discipuli ad Jesum Dominum nostrum in monte Thabor suos oculos; & viderunt ipsum, quia oculos levaverunt. Utinam nos ad Jesum levemus oculos: ut etiam animam ad ipsum levantes, spem solùm in eo ponamus. Ille ipse David, qui Domino dixit: Ad te levavi oculos meos, qui habitas in coelis, dixit etiam: Ad te levavi animam meam: Deus meus, in te confido, non erubescam, neque irrideant me inimici mei: etenim universi, qui sustinent te, non confundentur. Væ illis, qui ad mundana levant oculos, avertentes se à Deo. Cùm ipse per Ezechielem quibusdam dixisset: Oculos vestros levatis ad immunditias vestras, dixit etiam illis: Vivo ego, quia qui in ruinosis habitant, gladio cadent: & qui in agro est, bestiis tradetur ad devorandum: qui in præsidiis, & speluncis sunt, peste morientur. Et dabo terram in solitudinem, & in desertum, & deficiet superba fortitudo ejus: & desolabuntur montes Israel, quòd nullus sit, qui per eos transeat. Et scient, quia ego Dominus, cùm dedero terram eorum desolatam, & desertam, propter universas abominationes suas, quas operati sunt. Idem Dominus anteà dixerat: Qui oculos non levaverit

ad

ad idola domus Iſrael: hic non morietur in iniquitate patris ſui, ſed vita vivet. Utinam non ad idola reſpiciamus, neque ad peccata inclinemur. Talem extollentiam oculorum noſtrorum nè dederit nobis Dominus: auferat à nobis concupiſcentiam, & animæ irreverenti, & infrunitæ nè tradat nos. Non ſumus digni videre altitudinem cœli præ multitudine iniquitatis noſtræ, quoniam irritavimus iram Dei, & malum coram eo fecimus. Sat nobis debebat eſſe cum publicano verè pœnitente nolle nec oculos ad cœlum levare: ſed quando audimus dicentem: Levate in cœlum oculos veſtros, levate in excelſum oculos; levemus oculos noſtros, & videamus, videamus, inquam, excelſum Jeſum, levantes à terra, & à mundanis rebus imis oculos: & ita avertentes nos à ſæcularibus, neminem, niſi ſolum Jeſum videbimus. Nè erigamus oculos noſtros ad opes, vel delicias, aut honores, quæ omnia proponit, ut nos ſeducat, mundus: arbitremur omnia, ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciamus. Divitiæ, imprimis, ſi affluant, nolimus cor apponere: ſint qui emunt, tamquam non poſſidentes, & qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur, dum adeo verum eſt, quòd mundus tranſit, & concupiſcentia ejus. Dives cùm interierit, non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria ejus. Theſaurizat, & ignorat cui congregabit ea. Divites eguerunt, & eſurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. Multi mundanorum ſicut oves in inferno poſiti ſunt: mors depaſcet eos. Argentum eorum foràs projicietur. Et aurum eorum in ſterquilinium erit. Argentum eorum, & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini. Animam ſuam non ſaturabunt, &
ven-

tres eorum non implebuntur: quia ſcandalum iniquitatis eòrum factum eſt. Anguſtia ſuperveniente, requirent pacem, & non erit. Rex lugebit, & Princeps induetur mærore, & manus populi terræ conturbabuntur.

CAPUT SECUNDUM,

In quo apponuntur Evangelia Feriæ Quartæ, & Sextæ, ac Sabbati Quatuor Temporum Pentecoſtes, ſeu Temporis Æſtatis, cum Homiliis ipſis correſpondentibus.

SECTIO PRIMA,

In qua proponitur Evangelium Feriæ Quartæ Quatuor Temporum Pentecoſtes, & tres Homiliæ ipſi correſpondentes.

Sequentia Sancti Evangelii ſecundum Joannem, capite 6. verſ. 44.

IN illo tempore: Dixit Jeſus turbis Judæorum: Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum: & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die. Eſt ſcriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me. Non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is, qui eſt à Deo, hic vidit Patrem. Amen, Amen dico vobis: Qui credit in me,

 habet

habet vitam æternam. Ego ſum panis vitæ. Patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt. Hic eſt panis de cœlo deſcendens: ut ſi quis ex ipſo manducaverit, non moriatur. Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.

§. Primus.

HOMILIA PRIMA,

Super illa verba:

Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.

(a) *Iſai. c. 53. v. 1.*
(b) *Matth. c. 11. v. 27. & in eodem c. v. 25.*
(c) *Matth. c. 16. v. 17 & in eodem c. v. 16.*
(d) *Pſalm. 88. v. 19.*
(e) *Oſeæ cap. 13. v. 9.*
(f) *Ioan. c. 14. v. 13.*



QUIS credidit auditui noſtro? & brachium Domini cui revelatum eſt? cùm verum ſit, quòd nemo novit Filium, niſi Pater, qui abſcondit myſteria Divina à ſapientibus, & prudentibus, & revelavit ea parvulis. Parvulo itaque piſcatori Petro caro, & ſanguis non revelavit, quis eſſet Ieſus Chriſtus Redemptor noſter, ſed Pater ipſius, qui in cœlis eſt. Revelavit utique Pater Æternus Principi Ordinis Apoſtolici, qui reſpondens dixit: Tu es Chriſtus Filius Dei vivi. Hoc modo traxit Pater Simonem Petrum ad Jeſum Salvatorem noſtrum: quia nemo poteſt venire ad illum, niſi Pater, qui

qui misit Filium, traxerit eum. Domini quidem est assumptio nostra, & Sancti Israel Regis nostri, quando assumimur ad credendum in Christum, quia auxilium nostrum in Deo est, cùm perditio nostra ex nobis fit. Ut glorificetur Pater in Filio, Deus Patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum: qui quidem Pater Christi usque modo operatur, & Christus operatur, quando, ut sit Domini assumptio nostra, Pater trahit animas ad Filium, & Filius meritis infinitis suis est ostium ovium, & Pastor bonus, qui reducit, & conducit oves rationales ad cœlum. Omne datum optimum [quale est præcipuè cognitio, ac etiam amor Christi] desursum est, descendens à Patre luminum. Benedictus ergo Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra: qui etiam secundùm misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam per Resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem, conservatam in cœlis in illis, qui in virtute Dei custodiuntur per fidem in salutem. Qui ergo indigemus sapientia, postulemus à Deo; postulet quisque à Patre Sapientiam incarnatam suum sacratissimum Filium, ad quem nemo potest venire, nisi Pater traxerit eum. Verum est, quòd non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, qui miserebitur, cujus miseretur, & misericordiam præstabit, cujus miserebitur; sed tamen vult, omnes homines ad agnitionem veritatis venire, & dat omnibus affluenter: qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos. Nè igitur torpeamus: quæramus, & invenie

(g) *Actor c.3.v.13.*
(h) *Ioann. c.5. v.17.*
(i) *Ioann. c. 10. v.7. & 11.*
(j) *Iacob. c.1. v. 17.*
(k) *2. ad Corinth. c.1. vers. 4.*
(l) *Petri, c. 1. v. 3.*
(m) *Iacobi c.1. v.5.*
(n) *Ad Roman. c.9. vers.16.*
(o) *Ad Rom. cap.9. vers.15.*
(p) *1. ad Timoth. c.2. vers.4.*
(q) *Iacobi c.1. v.5.*
(r) *Matth. c.5. v.45.*
(s) *Lucæ c. 11. v.9.*
(t) *Psalm. 71. vers.6.*
(u) *Psalm.77. v.23. & 24.*
(v) *Ioan. c.3. ver. 16*

(x)*Ioan.c.16.v.27.* veniemus. Descendit Christus Dominus, sicut pluvia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram. Portas cœli aperuit Dominus, & pluit nobis manna, id est, Christum, qui est panis vivus, qui de cœlo descendit. Et sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret. Cùm ergo Pater amet eos, qui Christum amarunt, & crediderunt, curemus non effici indigni ejus amore; & fide, quæ per charitatem operatur, talis Patris amori correspondere. Nemo utique potest ad Christum venire, nisi Pater, qui misit hunc, traxerit illum. Amore misit, amore trahet, quia ipse erit trahens, qui fuit mittens. Nè retrahamus nos à mittente, ut ita trahamur ab amante. Pater Christi Agricola est: Omnem palmitem in ipso Christo non ferentem fructum, tollet eum. Unum de duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis: si in vite non est, in igne erit: ut ergo in igne non sit, in vite sit, ait Sanctus Augustinus. Maneamus in Christo, & ille manebit in nobis: quia ipse est vitis, & nos palmites. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, ita & nos, nisi in Christo manserimus. Itaque, ut Pater, qui misit Christum, nos trahat ad eum, ut in eo maneamus; feramus in Christo fructum, & sic purgabit nos, ceu fructuosos palmites, Agricola Pater Æternus; ut fructum plus afferamus. Quotquot receperunt Christum, dedit eis potestatem ipse Christus filios Dei fieri. Ecce ex receptione Christi nobilissima progenies. Isti non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Sed Pater non haberet eos, ut filios, si anteà ad Filium suum, & ad ejus fidem, & cognitionem non traxisset, & attraxisset illos. Gratia gratiam cumu-

(y) *Ad Galat. c. 15. verf.6.*

(z)*Ioan.c.15.ver.1. & 2.*

(aa) *Tract. 81. in Ioan. sub medium.*

(bb)*Ioan. c.15. v.4. & 5. & in eodem c. verf.2.*

(cc)*Ioan.c.1. v.12. & 13.*

(dd)*Matth. cap.25. verf.34.*

(ee)*Ioan.c.12. v.28.*

(ff)*Ierem.c.31.v.18.*

(gg) *1. ad Corinth. c.9. verf. 24. & 26. & 27.*

(hh) *Ad Philipp. c.3.verf.9.& 10.& 11.& 12.*

(ii)*Ioan.cap.13.v.3.*

(jj)*Ioan.cap.6.v.40.*

cumulat: misericordiam ipse Æternus Pater (kk)*Ioan.c.14. v.9.*
coronat alia misericordia, dum molem magnificam ipsos adoptandi, erigit super pietatem (ll)*Ioan.cap.9. v.7.*
trahendi. Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, dicet Divinus Judex felicibus præ- (mm)*Psal.68.v.35*
destinatis. Anteà à Patre benedicuntur, & postea ad regnum vocantur: ut discamus adorare (nn)*Ioan.c.5. v.37.*
benignitatem per benedictionẽ trahentis, & clementiam electos in Arce cœli locantis. Et cla- (oo)*1.Ioan.c.5.v.9 & 10.*
rificavit quidem Pater Æternus Filium suum, & iterum clarificabit. Clarificavit Christum, cùm nos ad ejus traxit fidem; clarificabit in (pp) *Ad Hebræos cap.6. vers.18.*
futuro, quando ad gloriam ejusdem Filii sui nos constituerit in cœlo. Convertat nos Dominus, & convertemur. Trahat nos ad Fi- (qq)*Matth. cap.22. vers.16.*
lium Pater, ut feliciter Paradisum ingrediamur. Ergo, quando hi, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bra- (rr) *Sapientia cap.6. vers.26.*
vium; sic curramus, ut comprehendamus. Sic curramus, non quasi in incertum: sic pugnemus, non quasi aerem verberantes, sed casti- (ss)*Psal.103.ver.24*
gemus corpora nostra, & in servitutem redigamus illa. Despiciamus sæculum: & curemus, (tt)*Psalm.50. v.8.*
ut inveniamur in Christo, non habentes justitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide (uu)*Ioan.c.20.v.31.*
est Christi Jesu: quæ ex Deo est justitia in fide, ad cognoscendũ illum, & virtutem Resurrectionis ejus, & societatem passionum illius: configurati morti ejus. Sequamur autem, si quomodò comprehendamus in quo & comprehensi sumus à Christo Jesu. Hoc unum per omnia quærendũ, ut Divinitas non auferatur à nobis, ajebat Ecclesię Doctor Sanctus Isidorus Hispalensis. Omnia dedit Pater in manus Christi, cui dicebat Magnus ille Patriarcha Seraphicus Sanctus Franciscus: Deus meus, & omnia. Omnia sine Christo Filio Dei nihil sunt: sed Christus absque alia

re aliqua, est omnia utilia, delectabilia, & honesta. Omnibus caret qui miserabiliter damnatur ad infernum, quia perdit in æternum Dominum nostrum Redemptorem Jesum Christum. Sic ergo vivamus, ut à nobis non deperdatur ejus Divinitas, neque tam pretiosa Humanitas, sed in perpetua beatitudine Christo Deo fruamur, & Homine. Hæc est autem voluntas Patris Christi, qui misit eum, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, dummodo fidem habeat cum gratia, & charitate conjunctam.In cœlo qui Filium videt, & Patrem suum videt. Oremus ergo Patrem, ut trahens nos ad Filium, faciat, quod videntes per æterna sęcula Filiū,& Patrem suum, feliciter beemur, & glorificemur. Faxit ipse Deus Pater, ut ab illo ad Christū trahamur credentes, ad eumdē accedamus eum amantes, & ipsum sine fine possidentes. Optemus ardenter, ut manifestentur operaDei in nobis à nativitate ob peccatum primi hominis cæcis, ut quando Christus nos illuminaverit, laudent illum cœli, & terra, mare, & omnia reptilia in eis, ac etiam Patrem ipsius Christi, propter opera trahendi, & nos benignè, ut speramus, glorificandi. Testimonium perhibuit de Christo, qui misit eum, Pater. Si testimonium hominum accipimus,testimonium Dei majus est:quoniam hoc est testimonium Dei, quod majus est, quoniam testificatus est de Filio suo. Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se. Hoc testimonio trahit nos Pater ad Filium, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum. Non potest mentiri, quia nequit falli, nec fallere. Est res immobilis ejus veracitas, quia verax est Pater, & viam Dei in veritate docet: est etiam res immobilis ejus sapientia,

tia, quia Rex sapiens stabilimentum populi: & Deus omnia in sapientia fecit, & occulta sapientiæ suæ nobis manifestavit. Credamus ergo Deo Patri, cujus testimonium verum est: & ipsius trahamur testimonio ad Christum. Gratia trahentis Patris imploretur enixè à nobis; quia sine ipsa nihil dignum vita æterna possumus facere; sicut nec ad Christum venire. Gratia Dei est quasi anima animæ rationalis nostræ. Non movetur absque anima corpus: nec anima nostra sine gratia movebitur per salutaria opera. Trahat Pater, ut moveri, & venire possimus: concedat nobis gratiam suam, ut ad Christum veniamus, & ut in eum credentes, vitam habeamus in nomine ejus.

§. Secundus.

HOMILIA II.

Super illa verba:

Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei.



ICUT locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt, Prophetarum ejus: sic nunc per se ipsum dicit: Et erunt omnes docibiles Dei, ille Dei Filius, qui, ut notavit Sanctus Augustinus, loquitur, ut Magister, & Dominus; & quando alibi dicit: Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos? omnes retrò Prophetas à se missos esse testatur, ut dicit Sanctus Hieronymus. Erunt sanè omnes docibiles Dei: qui, quia Deus est, docebit

(a) *Lucæ cap. 1. v. 70.*

(b) *Ser. 189. de temp.*

(c) *Matth. cap. 22. vers. 37.*

(d) *Lib. 4. Commentar. in c. 25. Matth.*

(e) *Psalm. 17. v. 28. & 29.*

(f) *Psalm.12.ver.4.* bit: & etiã quia Deus eſt, tenebras noſtræ ignorantię illuminabit, juxta illud: Quoniã tu populũ
(g) *Geneſ.cap.1. v.4.* humilem ſalvum facies, & oculos ſuperborum humiliabis. Quoniam tu illuminas lucernam
(h) *Geneſ.cap.1. v.2.* meam Domine: Deus meus, illumina tenebras meas: & ipſi etiã dicitur: Illumina oculos meos;
(i) *Pſalm. 41. v. 8.* nè umquàm obdormiam in morte: nè quando dicat inimicus meus: Prævalui adverſus eum.
(j) *1. Reg.cap.6.v.6.* Vidit Deus lucem, quòd eſſet bona: & diviſit lucem à tenebris. Priùs bonitatem lucis vidit,
(k) *Ioan. c.3. v. 20.* ac poſt modum tenebras relegavit. Utinam videns [quia Deus infinitè ſapiens eſt] quàm bo-
(l) *Pſalm.93.verſ.8.* na ſit lux ſapientiæ, clementer extorres faciat à nobis tenebras noſtræ ignorantiæ. Tenebræ
(m) *Pſalm.35. v.4.* quidem ſunt ſuper faciem abyſſi in peccatore cęco, & abyſſus abyſſum invocat, quia omnis
(n) *Iſai.c.1. ver.16.* peccans eſt ignorans, augens quotidie cæcitatem, dum aggravat, ſicut Ægyptus, & Pha-
(o) *Pſalm. 70. v.17.* rao, cor ſuum, & qui malè agit, odit lucem. Eja, intelligite inſipientes in populo, & ſtulti
(p) *Pſalm. 17. v.36. & 37.* aliquando ſapite; qui noluiſtis intelligere, ut benè ageretis, quieſcite agere perversè, diſcite benè facere. Erunt omnes docibiles Dei, qui docuit nos à juventute noſtra: quapropter [Fratres] ſi
(q) *Exodi c.15. v.5.* diſciplina Dei correxerit vos in finem, & diſciplina ejus ipſa vos docuerit, dilatabit Dominus
(r) *Matth.c.15.v.14* greſſus veſtros ſubtus vos, & non erunt infirmata veſtigia veſtra; aliàs cadetis in foveam, & ope-
(ſ) *Sophon.c.1.v.17.* rient abyſſi novæ ignorantiæ vos, qui voluiſtis ambulare, ut cæci. Beatus homo, quem Do-
(t) *Pſalm. 93. v.12. & 13.* minus erudierit, & de lege ſua docuerit eum, ut mitiget ei à diebus malis, donec fodiatur peccatori fovea. Apparuit gratia Salvatoris noſtri
(u) *Ad Titum cap.2. verſ.11.* Dei omnibus hominibus, erudiens nos. Apparuit erudiens: & ad hoc apparuit, ut erudiret. Omnibus apparuit, ut omnibus remedium con-
(v) *Ierem.c.22.v.29* tra pernicioſam ignorantiam apponat, ſi fuerint

rint docibiles Dei, & recipere voluerint erudientem ejus gratiam. Terra, terra, terra, audi sermonem Domini. Audite cæli, & auribus percipe terra: quoniam Dominus locutus est. Ossa arida audite verbum Domini. Audiamus eum, & vivet anima nostra. Sapientes consilii Pharaonis dederunt consilium insipiens: similiter mundus, diabolus, & caro, inimici animæ, nobis. Qui odistis disciplinam, & projecistis sermones Dei retrorsum, apprehendite disciplinã, nè quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa. Non invenitur in terra suaviter viventium sapientia. Et, quia sapientiam, atque doctrinam stulti despiciunt, & stultorum infinitus est numerus, ideo pauci sunt qui salvantur. Audiunt multi audientes, & nolunt intelligere. Sunt qui audiunt: deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorùm: nè credentes salvi fiant. Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam. In capite turbarum clamitat, in foribus portarũ urbis profert verba sua, dicens: Usquequò parvuli diligitis infantiam, & stulti ea, quæ sibi sunt noxia, cupient, & imprudentes odibunt sapientiam? Convertimini ad correptionem meam: en proferam vobis spiritum meum, & ostendam vobis verba mea. Quia vocavi, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis id, quod timebatis, advenerit. Cùm irruerit repentina calamitas, & interitus, quasi tempestas ingruerit; quando venerit super vos tribulatio, & angustia, tunc invocabunt me, & non exaudiam: manè consurgent, & non invenient me; eo, quòd exosam habuerint disciplinam, & timorem Domi-

(x) *Isai. c. 1. vers. 2.*
(y) *Ezechiel. cap. 37. vers. 5.*
(z) *Isai. c. 55. vers. 3.*
(aa) *Isai. c. 19. v. 11.*
(bb) *Psal. 49. ver. 17*
(cc) *Psalm. 2. v. 12.*
(dd) *Iob. c. 28. v. 13.*
(ee) *Prov. c. 1. v. 7.*
(ff) *Eccle. c. 1. v. 15.*
(gg) *Luca cap. 13. vers. 23.*
(hh) *Isai. cap. 6. v. 9.*
(ii) *Luca c. 8. ver. 12.*
(jj) *Proverb. cap. 1. vers. 20. & reliquis ejusdem capitis usq; ad 33. inclusivè.*
(kk) *Proverb. cap. 2. v. 1. & reliquis usq; ad 7. exclusivè.*
(ll) *1. Reg. c. 3. ver. 9.*

(mm) Ps.118. v.66. & 68. & 125. ni non susceperint, nec acquieverint consilio meo, & detraxerint universæ correptioni meæ. Comedent igitur fructus viæ suæ, suisque con-
(nn) Psalm. 31. v.8. & 9. siliis saturabuntur. Aversio parvulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet illos. Qui autem me audierit, absque terrore requie-
(oo) Psalm. 48. v.13. & 21. scet, & abundantia perfruetur, timore malorum sublato. Fili mi, si susceperis sermones meos, & mandata mea absconderis penes te,
(pp) Daniel. cap. 9. vers. 21. ut audiat sapientiam auris tua; inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam. Si enim sapientiam invocaveris, & inclinaveris cor tuum pru-
(qq) In hymno laud. Solemn. SS. Corp. Christi. dentiæ; si quæsieris eam quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam; tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei invenies; quia Dominus dat sapientiam, & ex ore ejus
(rr) Psal. 18. vers. 6. prudentia, & scientia. Audivimus loquentem Sapientem, vel potius in illo Deum tales verita-
(ss) Isai. c. 26. ver. 21. tes ad nostram pronuntiantem eruditionem. Eja ergo, fratres, qui talia audivit, dicat Deo: Loque-
(tt) Habacuc. cap. 3. vers. 13. re Domine, quia audit servus tuus. Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me: quia mandatis tuis credidi. Bonus es tu: & in bonitate
(uu) Daniel. c. 9. v. 22 tua doce me justificationes tuas. Servus tuus sum ego: da mihi intellectum, ut sciam testimo-
(vv) Ierem. c. 6. v. 8. nia tua. Si fuerimus docibiles Dei, intellectum nobis dabit, & instruet nos in via hac,
(xx) Eccli. c. 34. v. 9. qua gressi fuerimus: firmabit super nos oculos suos: & nolemus fieri sicut equus, & mulus, qui-
(yy) Psalm. 24. v. 5. bus non est intellectus. Tunc non dicetur de nobis: Homo cùm in honore esset, non intellexit:
(zz) Prov. c. 8. v. 33. comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Filius Dei meliùs, quàm Archan-
(aaa) Prov. c. 3. v. 1. gelus Gabriel pro Daniele, venit in mundum: & Patris non relinquens dexteram, de cælo tamquam sponsus procedens de thalamo suo, properavit ad nos, egrediens de loco sancto

suo

ſuo venit, ut ſalvaret populum ſuum: egreſſus eſt in ſalutem populi ſui: & ſi Gabriel dixit Danieli: Daniel, nunc egreſſus ſum, ut docerem te, & intelligeres: egreſſus eſt Dei Filius, ut homo factus doceret nos, & intelligeremus. Erudit Chriſtus, quaſi Paſtor gregem. Ille paſcat nos: non error illudat, dicit Sanctus Auguſtinus. Erudire ergo Jeruſalem ab eo, qui etiam nos erudit in tentationibus, quas nobis permittit; quia qui non eſt tentatus quid ſcit? Ille diriget nos in veritate ſua, & docebit nos, quia unici, & pauperes ſumus nos. Audiamus diſciplinam, & ſimus ſapientes, & nolimus abjicere eam. Nè obliviſcamur legis Domini: & præcepta ejus cor noſtrum cuſtodiat: longitudinem enim dierum, & annos vitæ, & pacem apponent nobis.

§. Tertius.

HOMILIA III.

Super illa verba:

Qui credit in me, habet vitam æternam.



DUM lucem habemus, credamus in lucem, ut filii lucis ſimus: & ut filii lucis ambulantes, induamur arma lucis. Chriſtus, qui eſt lux mundi, quem qui ſequitur non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ, eſt etiam Agnus, qui poteſt deducere nos ad vitæ fontes aquarum: & vitam æternam poſſidebimus, ſi in eum verè crediderimus, hoc eſt, ſi fidem, & bonam operationem habuerimus. Ecce in hodierno Evangelio dicit ipſe: Qui credit in me,

(a) *Joan. cap.12. verſ.* 36.

(b) *Ad Epheſ.c.*5. *verſ.* 8.

(c) *Ad Rom. c.*13. *verſ.* 12.

(d) *Ioan. c.8.v.*12.

 ha-

habet vitam æternam. Ergo credere [modo dicto] in eum est via ad sine fine lætandũ, ac æternaliter vivendum. Credentes, agamus benè, ait S. Augustinus, ut vitã habeamus plenè. Ab æterno in Verbo vita erat, & vita erat, sicut etiam nunc est, ipsum Verbum Divinum. Vita erat lux hominum: parata erat lux, ut, cùm homines crearentur, in hanc lucem credentes, filii lucis essent, & vitam æternam habentes, verè efficerentur felices. Qui habet Filium, habet vitam: itaque, ut vitæ æternę hæredes simus, habeamus illum, fideliter credentes in eum, & super omnia diligentes ipsum. Veniamus ad Christum, ut vitam habeamus: & operemur non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam: & dum corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, credamus, & confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, Deus, & homo est: Deus est ex substantia Patris ante sęcula genitus: & homo est ex substantia Matris in sæculo natus. Qui eum invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino: qui autem in eum peccaverit, lædet animam suam. In creatione Adæ, inspiravit Deus in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem: ac nunc inspirat in nostram notitiam [Quid per faciem exprimitur, nisi notitia? dicit S. Gregorius Magnus.] Deus spiritum fidei Filii sui, ut credamus, & ut credentes vitam habeamus in nomine ejus. Trahit Pater ad Filium eum hominem, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur justitia, delectatur sempiterna vita, quod totum Christus est, dicit S. Augustinus: & quando ita præbens Christi notitiam nobis Pater Æternus, ad Filium nos trahit, nobis inspirat fidem ejus, ut credamus, & vi-

(e) *Apocalyps. c.7. vers.17.*

(f) *Serm. 27. de verb. Domini.*

(g) *Ioan. c.1. v.4. & cap. 14. vers.6.*

(h) *Ioan. c.12. v.35*

(i) *Ioan. c.6. v.27.*

(j) *Ad Rom. c.10. vers.10.*

(k) *In Symbol. Sanct. Athanasii, vers.28. & 29.*

(l) *Proverb. cap.8. vers.35. & 36.*

(m) *Genes. c.2. v.7.*

(n) *Super Ezechiel. Homil.3. lib.1.*

(o) *Ioan. c.20. v.31.*

(p) *Tract. 26. in Ioan. post initium.*

(q) *Ad Galat. cap.5. vers.6.*

(r) *2. ad Corinth. c.4. vers.10.*

vitam æternam in eum credentes habeamus. (s) Notandum, quòd signanter dicitur: Qui credit in me, habet vitam æternam. Tempore præsenti credit: tempore etiam præsenti [si fidem operibus tenet: si fidem non fictam habet: si fide, quæ per charitatem operatur, potitur: si amans Deum Filium super omnia, credit in eum] habere dicitur æternam vitam: quia qui credit in Christum, & verè diligit Deum, habet gratiam, & habebit posteà gloriam, vitam, & felicitatem æternam: habet semen æternæ vitæ, ut vita Jesu manifestetur in corde suo: incipit quodammodò possidere jure beatitudinem, qui in Christum jam habet fidem, si eam vera charitate associaverit: quia, ut docet Sanctus Gregorius Magnus, ille verè credit, qui exercet operando quod credit. O bone Jesu! Quàm bonus, & suavis est spiritus tuus in omnibus! Ideoque eos, qui exerrant, partibus corripis: & de quibus peccant, admones, & alloqueris: ut, relicta malitia, credant in te, Domine. Non enim est alius Deus, quàm tu, cui cura est de omnibus. Cùm ergo sis justus, justè omnia disponis. Virtus tua justitiæ initium est: & ob hoc, quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis. Tu Dominator virtutis, cum tranquillitate judicas, & cum magna reverentia disponis nos, subest enim tibi, cùm volueris posse. Docuisti autem populum tuum per talia opera, quoniam oportet, justum esse, & humanum, & bonæ spei fecisti filios tuos: quoniam judicans das locum in peccatis pœnitentiæ. His verbis Sapientis allocuti sumus Dominum, & Deum nostrum Jesum Christum, qui operatur omnia in omnibus. Sicut enim Pater suscitat mortuos, & vivificat: sic

(s) *Homil. 16. in Evang. post med.*

(t) *Sapient. cap. 12. vers. 1. & 2. & 13. & 15. & 16. & 18. & 19.*

(u) *1. ad Corinth. cap. 12. vers. 6.*

(v) *Ioan. c. 5. v. 21. & 22. & 23. & 24.*

(x) *Ioan. c. 6. v. 28. & 29. & 35.*

(y) *Tract. 26. in Ioan. sub finem.*

(z) *Isai. c. 30. v. 21.*

(aa) *Ioan. c. 16. v. 8. & 9.*

(bb) *Psal. 10. v. 6. & 7.*

(cc) *Ad Rom. c. 1. vers. 16. & 18.*

(dd) *1. Petri cap. 2. vers. 5. & 6. & 7.*

(ee) *Genes. c. 2. v. 9.*

(ff) *Apocalyps. c. 22. vers. 2.*

(gg) *Proverb. c.3. v.16. & 17. & 18.*
(hh) *Genes. cap. 3. vers.22.*
(ii) *In Hymno Festivitatis Transfigurationis Domini ad Vesp. v. 3. & 4.*
(jj) *Matth. cap. 17. vers.5.*
(kk) *Ioan. c.3. v.17.*
(ll) *Genes. c.3. v.22.*

sic & Filius, quos vult, vivificat. Neque enim Pater judicat quemquam: sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illũ. Qui verbum Filii audit, & credit ei, qui misit illum, habet vitam æternam, & in judicium non venit, sed transiit à morte in vitam. Verba sunt hæc Christi Domini, qui etiam quibusdàm interrogantibus: Quid faciemus, ut operemur opera Dei? respondit: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quẽ misit ille. Et iterùm: Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet umquàm. Hæc legens S. August., dixit: Cum cibo, & potu, id appetant homines, ut neque esuriant, neque sitiant. Hoc veraciter non præstat, nisi iste cibus, & potus, qùi eos, à quibus sumitur, immortales, & incorruptibiles facit. Itaque, fratres, cùm verum sit, quòd qui credit in Christum habet vitam æternam: hæc est via, ambulemus in ea, & non declinemus neque ad dexteram, neque ad sinistram. Spiritus Sanctus Paraclitus, cùm venit, arguit mundum de peccato, quia non crediderunt in Christum: qui hanc in eum non credendi diligit iniquitatẽ, odit animam suam: & super similes peccatores Dominus pluet laqueos: ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum. Et quando virtus Dei est in salutem omni credenti, etiam revelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem, & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent. Audiamus Sanctum Apostolorum Principem Petrum Christi Vicarium dicentem: Offerte spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum. Propter quod continet Scriptura: Ego pono in Sion lapidem sum-

summum angularem, electum, pretiosum: & qui crediderit in eum, non confundetur. Vobis igitur honor credentibus. Lignum vitæ posuit Deus olim in Paradiso. Posteà visus est Christus in medio plateæ Civitatis Sanctæ Jerusalem, quia ipse est lignum vitæ ibi monstratum, juxta Sanctos Athanasium, Paschasium, & Doctorem Angelicum: & affert fructus duodecim per menses singulos, & folia ligni ad sanitatem gentium. Longitudo ergo dierum in dextera Christi, & in sinistra illius divitiæ, & gloria. Viæ ejus viæ pulchræ, & omnes semitæ ejus pacificæ. Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eum, & qui tenuerit eum beatus. Jam non dicitur: Nè fortè sumat Adam de ligno vitæ, & vivat in æternum; sed potiùs, quia Christus hic ille Rex est Gentium, populique Rex Iudaici, promissus Abrahæ Patri, ejusque in ævum semini: hunc & prophetis testibus, iisdemque signatoribus, Testator, & Pater jubet, audire nos, & credere. Ipse pater de nube in monte Thabor dixit: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipsum audite. Itaque quando Pater misit Filium suum in mundum, ut salvetur mundus per ipsum; credamus in Filium, ut habeamus vitam æternam gaudentes: sumamus de ligno vitæ, ut vivamus in æternum lætantes.

SECTIO II.

In qua apponitur Evangelium Feriæ Sextæ Quatuor Temporum Pentecostes, cum tribus Homiliis illi correspondentibus.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam.
cap. 5. vers. 17.

IN *illo tempore: Factum est in una dierum, & Jesus sedebat docens. Et erant Pharisæi sedentes, & legis Doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ, & Judææ, & Jerusalem: & virtus Domini erat ad sanandum eos. Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus: & quærebant eum inferre, & ponere ante eum. Et non invenientes, qua parte eum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum, & per tegulas summiserunt eum cum lecto in medium ante Jesum. Quorum fidem ut vidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua. Et cœperunt cogitare Scribæ, & Pharisæi, dicentes: Quis est hic, qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Ut cognovit autem Jesus cogitationes eorum, respondens, dixit ad illos: Quid cogitatis in cordibus vestris? Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata? an dicere: Surge, & ambula? Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata: (ait Paralytico) Tibi dico, surge, tolle lectum*

ctum tuum, & vade in domum tuam. Et confestim consurgens coram illis, tulit lectum, in quo jacebat, & abiit in domum suam, magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore, dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie.

§. Primus.

HOMILIA PRIMA

Super illa verba:

Factum est in una dierum, & Jesus sedebat docens.



REQUIREBANT Jesum Parentes ejus (a) inter cognatos, & notos. Et non invenientes, regressi sunt in Jerusalem requirentes eum. Et factum (b) est, post triduum invenerunt illum in Templo, sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Hoc accidit, cùm factus esset Jesus annorum duodecim. Hodie dicit Sacra Evangelica Historia, quòd factum est in una dierum, & Jesus sede- (d) bat docens. Et erant Pharisæi sedentes, & legis Doctores. Ibi sedens in medio Docto- (e) rum illos audiebat, & eos interrogabat: hìc sedebat docens, quando erant Pharisæi, & legis (f) Doctores sedentes. Anteà audiebat, & interrogabat; sed nunc jam sedens docebat. Oportet, quòd nemo ad docendum sit sedens, nisi (g) priùs sedens, fuerit interrogans, & audiens. Hodie

(a) *Luca c. 2. v. 44. & 45. & 46.*

(b) *Luca c. 2. v. 42*

(c) *Libro 1. de Serm. Domini in monte, sub init.*

(d) *Luca c. 5. v. 3.*

(e) *Ioan. c. 13. v. 13.*

(f) *Matth. cap. 23. vers. 10.*

(g) *Ioan. c. 3. v. 2.*

(h) *Ioan. c. 11. v. 28.* (i) *Marci cap. 10. vers. 17.* (j) *Lucæ c. 10. v. 25.* (k) *Psal. 142. v. 10.* (l) *Matth. c. 5. v. 1.* (m) *1. Petri, c. 2. vers. 4. & 5.* (n) *Matth. cap. 24. vers. 3.* (o) *Actor. cap. 11. vers. 26.* (p) *Isai. c. 16. v. 5.* (q) *Psal. 9. vers. 5.* (r) *Psal. 28. v. 10. & 11.* (s) *Iudicum cap. 4. vers. 5.* (t) *Apocalyps. c. 5. vers. 5.* (u) *Isai. cap. 2. v. 3.* (v) *Marci c. 3. v. 32*

die sedet Christus docens: &, ut S. Augustinus notat, sedens docet, quod pertinet ad dignitatem Magisterii. Alio in loco dicitur, quòd sedens docebat de navicula turbas. Et qui vocat eum: Magister, & Domine, benè dicit: est etenim. Magister noster unus est Christus, qui à Deo venit Magister: nemo enim posset facere illa signa, quæ ipse faciebat, nisi fuisset Deus cum eo. Erat Divinitas per Unionem hypostaticam in Christo: est in eo, & in æternum erit, quia quod semel assumpsit, numquam dimisit. Hic Magister adest, & vocat nos, maximè hodie, quando sedens docet, ut nobis sacrum Evangelium dicit. Rogemus eum, & interrogemus: Magister bone, quid faciam? Quid faciendo vitam æternam possidebo? Dicamus ei: Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Alibi, cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus: ad quem accedentes lapidem vivum, à Deo electum, & honorificatum, ipsi tamquam lapides vivi superædificemur, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, ut hortatur nos S. Apostolus Petrus. Etiam sedente Jesu super montem Oliveti, accesserunt ad eum discipuli. Nos ergo discipuli, qui, secundum S. Lucam, nominati sumus Christiani [cùm olivæ, & mons Oliveti sint symbola misericordiæ, quia prædictum erat de Christo: Præparabitur in misericordia solium ejus, & sedebit super illud in veritate] accedamus ad talem misericordem Magistrum, ut ejus pietas nos doceat, ac nobis benignè indulgeat. Sedit super thronum qui judicat justitiam, & sedet super præparatum in misericordia solium, ut ejus experiamur clementiam. Utique sedebit Dominus Rex in æternum, & Dominus virtutem populo suo dabit, Dominus benedicet populo suo in

in pace. Quando sedebat sub palma illa Prophetissa Debbora, ascendebant ad eam filii Israel in omne judicium. Ergo, quando Humanitas Sacratissima Christi habet palmam victoriæ, quia vicit Leo de Tribu Juda: & victi ab eo jacent nostri inimici mors,& diabolus,& peccatum; dum etiam sedens misericorditer, docet: ascendamus per bonam operationē ad Humanitatem,& per ipsam ad Divinitatem Jesu,quem sanè inveniemus benignissimum Magistrum, qui docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus. Si aliquando sedebat circa Jesum turba, quarè nos non curabimus ambulare gressibus perfectæ Christianæ vitæ, ut in cœlo circa ipsum, & cum ipso valeamus in æternum sedere? Igitur, quia regnavit Deus super Gentes, & Deus sedet super sedem sanctam suam: & Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham: quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt: hoc est, quia Christus Magister noster, Rex, & Verus Deus in cœlo sedet cum Apostolis, & Sanctis aliis: psallite Deo nostro, psallite, psallite Regi nostro, psallite: & omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis: hoc est, verbo, & opere Christo serviamus: fide, & charitate ipsi placere discamus, ut, velut discipuli, ejus societate felicissima ditemur. Postquam in Apocalypsi vidit S. Evangelista Joannes super nubem sedentem similem Filio hominis,habentem in capite suo coronam auream, audivit quasi vocem turbæ magnæ, dicentium: Alleluja, quoniam regnavit Dominus Deus noster Omnipotens. Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei: & audivit etiam: Beati, qui ad cænam nuptiarum Agni vocati sunt. Ecce, quomodò, quando sedet Christus, feli-

(x) *Ps. 46. v. 9. & 10*

(y) *Ibidem, vers. 7. & 1.*

(z) *Apocalyps. c. 14. vers. 14. & cap. 19. vers. 6. & 9.*

(aa) *2. Machab. c. 9. vers. 13.*

(bb) *Ad Hebr. c. 12 vers. 17.*

(cc) *Ad Galat. c. 6. vers. 10.*

(dd) *2. ad Corinth. cap. 6. v. 2.*

(ee) *Psal. 68. v. 4.*

(ff) *Psal. 94. v. 8.*

(gg) *Serm. 14. de Sanctis.*

(hh) *Actor. cap. 9. vers. 3. & 4.*

(ii) *Ibidem, vers. 6. & 15.*

(jj) *Eccli. cap. 17. vers. 26.*

(kk) *Eccli. c. 5. v. 8. & 9.*

(ll) *Ierem. cap. 13. verſ. 23.*

licitantur multi. Ergo, quando hodie ſedet docens, diſcentes ab eo, curemus eſſe felices. Sed eſt myſterium notandum, cùm hodie Evangelium dicit: Factum eſt in una dierum. In illa die ſedebat Jeſus docens miſericorditer: altera dies erit, in qua forſan docere ſedens nolet: quia, ſi peccator Divinum non lucratur auxilium, fortè hoc à Deo quando quærat, non inveniet, & in illa die tremenda Judicii miſerè in æternum peribit. Orabat ſceleſtus Antiochus Dominum, à quo non erat miſericordiam conſecuturus. Non invenit Eſau locum pœnitentiæ, quia, quando potuit pœnitere noluit, ut dicit S. Auguſtinus. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum. Dominus dicit: Tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies ſalutis. In una dierum ſedebat Jeſus docens: alia die, ſi conferre doctrinã noluit ſedens, dedit illam tranſiens. Sedebit in nobis per gratiam excitantem, ſi ipſum audierimus; ſed ſi talem pietatem non magni facimus, nec in pretio juſto habemus, vocabit tranſeunter, & docebit minùs efficaciter. Ideo dicit: Laboravi clamans: raucæ factæ ſunt fauces meæ. Si non adſit raucedo in clamante, vox benè percipitur; ſed, ſi vocans aliquem ſit raucus, minùs quod dicit auditur, & difficulter ejus monita intelliguntur. Suis ovibus quotidie Chriſtus bonus Paſtor clamitat: nolimus obdurare corda noſtra, hodie ſi vocem Domini audierimus, nè fortè, dùm laboravit clamans, quin clamoris conſequeretur fructum, in pęnam noſtræ ſurditatis, ejus diminuantur vocatio, clamor, & auxilium. Quando Chriſtus, ut ait Sanctus Auguſtinus, proſtravit Saulum perſecutorem, ut faceret Eccleſiæ Doctorem, ſub i-

tò

tò circumfulsit eum lux de cœlo. Et cadens in terram audivit vocem dicentem sibi: Saule, Saule. Cognovit posteà, quòd eum Jesus vocabat: & tremens, ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere? Audivit bis vocantem: timuit, nè Deus tertiò vocare nollet, si ipse Saulus suam conversionem differret. Ideò conversionem non remoratur: ideo statim est conversus: ideò promptè Divinæ committitur voluntati: atque ideò est misericordiam consecutus, ac ut Vas Divinæ Electionis sublimatus: qui si tale auxilium non fuisset benè lucratus, forsan mansisset æternaliter reprobus. Audiamus dicentem: Non demoreris in errore impiorum, &: Non tardes converti ad Dominum, & nè differas de die in diem: subitò enìm veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Hæc est dies, in qua sedet Christus docens, veniam verè conversis promittens. Sed languor prolixior gravat medicum, & pœnitentiam differentes raro benè convertuntur, cùm scriptum sit: Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas: & vos poteritis benè facere, cùm didiceritis malum.

§. Sc-

§. Secundus.

HOMILIA II.

Super illa verba:

Et virtus Domini erat ad sanandum eos.

(a) 4. *Reg. cap.*13. *vers.*23.

(b) *Psal.*106.*vers.*20.

(c) *Psal.*105.*vers.*42.

(d) *Psal.*139. *vers.*8.

(e) *Psalm.*87. *vers.*2.

(f) *Psal.*106.*vers.*21. & 22.

(g) 1. *Paralipomen. cap.*29.*vers.*12.

(h) 1. *Paralipomen. cap.*16.*vers.*11.

(i) *Judith cap.* 6. *vers.*17.

(j) *Psal.*23. *vers.*10.

(k) *Ibid. vers.*8.

(l) *Psal.*88. *vers.*18.

(m) *Psal.*47.*vers.*14.



Isertus est Dominus populi sui, misit verbum suum, & sanavit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum: Sæpè liberavit eos. Jure ergo dicebat etiam David: Domine, Domine virtus salutis meæ: obumbrasti super caput meum in die belli. Domine Deus salutis meæ, in die clamavi, & nocte coram te. Ergo confiteantur Domino misericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum. Et sacrificent sacrificium laudis: & annuntient opera ejus in exultatione. Ecce hodie dicit Evangelium, quòd virtus Domini erat ad sanandum homines, quando Jesus sedebat docens. Et erant Pharisæi sedentes, & legis Doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ, & Judææ, & Jerusalem. Erat virtus Domini ad sanandum eos, & in manu ejus virtus,& potentia semper est. Ideò quæramus Dominum, & virtutem ejus, ut benedicat nos Dominus in virtute sua, cujus nos virtutem prædicaverimus. Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ, qui etiam est Dominus fortis, & potens: Dominus potens in prælio. Et gloria virtutis nostræ ipse est, & in beneplacito suo exaltabitur cornu nostrum. Ponamus ergo corda nostra in virtute ejus, quia magnus Dominus, & laudabilis nimis, & Deus noster refugium, & virtus, quem debemus orare, ut man-

mandet virtuti suæ, & confirmet hoc Deus, (n) *Ibidem vers.2.*
quod operatus est in nobis; Deus est enim, qui
operatur in nobis, & velle, & perficere, pro (o) *Psal.47.vers.2.*
bona voluntate. Sanè, si virtus Altissimi obum-
braverit nobis, fiet pax in virtute sua, & abun- (p) *Psal.67.vers.29.*
dantia in turribus suis: & anima hominis, cui
ita faverit Deus, erit sicut turris David, quæ (q) *Lucæ cap.1.v.35.*
ædificata est cum propugnaculis: & ipse Domi-
nus exaltabitur in virtute sua, cantabimus, & (r) *Psal.121.vers.7.*
psallemus virtutes suas, quando in brachio vir-
tutis suæ disperdet inimicos suos, & cadent a
latere suo mille, & decem millia a dextris suis. (s) *Cantic.cap.4.v.4.*
Hic Dominus Deus noster Jesus, cujus hodie
virtus erat ad sanandum eos, qui aderant, est (t) *Psal.20.vers.14.*
ipse, qui quondam novit, virtutem à se
exiisse, quando mulier quædam, quæ erat (u) *Psal.88.vers.11.*
in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quæ
in medicos erogaverat omnem substantiam (v) *Psalm.90.vers.7.*
suam, nec ab ullo potuit curari: accessit re-
trò, & tetigit fimbriam vestimenti ejus: & (x) *Lucæ cap.8.v.45.*
confestim stetit fluxus sanguinis ejus. Omnis
turba quærebat hunc sacratissimum Redempto- (y) *Ibidem, vers.43. & 44.*
rem tangere, quia virtus de illo exibat, & sa-
nabat omnes. Confortemur ergo in Domino,
& in potentia virtutis ejus, & annuntiemus vir- (z) *Lucæ cap.6.v.19.*
tutem ejus, qui nos de tenebris vocavit in ad- *vers.10.*
mirabile lumen suum. Virtus, quæ erat ad sa- (aa) *Ad Ephes.cap.6.*
nandum illos homines, est virtus etiam hodie
ejus Domini Jesu, quem unxit Deus Spiritu San- (bb) *1.Petri, cap.2.*
cto, & virtute, qui pertransiit benefaciendo, *vers.9.*
& sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam
Deus erat cum illo. Cùm Jesus sedebat docens, (cc) *Actor. cap.10.*
virtus Domini erat ad sanandum: quia vox Do- *vers.38.*
mini in virtute, vox Domini in magnificen-
tia, & quamvis corda hominum obduruerint, (dd) *Psal.28.vers.4.*
emittet verbum suum, & liquefaciet ea, fla-
bit spiritus ejus, & fluent aquæ, sive lachry- (ee) *Psal.147.v.18.*
ma-

(ff) *Ad Roman.c.1. vers.16.* marum rivuli. Virtus Dei est in salutem omni credenti: & verbum Crucis salvandis, Dei virtus est. Dabit voci suæ vocem virtutis: demus glo-
(gg) *1. ad Corinth. cap.1.vers.18.* riam Deo super Israel, quem populum suum docens Christus Deus, & homo, sedebat, & eum legis Doctores auscultabant. Simon Oniæ filius
(hh) *Psal.67. v.34. & 35.* Sacerdos magnus iteravit orationem suã volens ostendere virtutem Dei. Jesus Sacerdos in æternum sedebat docens: & virtus Domini erat ad
(ii) *Eccli.cap.50.v.6. & 23.* sanandum eos, qui ipsius attendebant doctrinæ, & qui sanitatem, & salvationem poterant consequi, Divinæ cooperantes gratiæ. Propitius
(jj) *Ad Hebraos c.5. vers.5. & 6.* erit Dominus peccatis nostris, & sanabit terram nostram ille Divinus Agricola, qui expectat pretiosum fructum terræ nostrorum cordium; si
(kk) *2.Paralip. c.7. vers.14.* conversi ad eum, ipsum deprecati fuerimus, & egerimus pœnitentiam à viis nostris pessimis. Scindamus ergo corda nostra: derelinquat im-
(ll) *Jacobi c.5.v.7.* pius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus:
(mm) *2.Paralipom. cap.7.vers.14.* & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. Virtus Domini est ad sanandum nos: quia Dominus exaltat animam, & illumi-
(nn) *Ioelis c.2.v.13.* nat oculos, dat sanitatem, & vitam, & benedictionem. Priùs exaltat animam, deinde illu-
(oo) *Isai. c.55. v.7.* minat oculos, & postmodùm dat sanitatem, & vitam, & benedictionem. Exaltat animam Deus
(pp) *Eccli.cap.34. vers.20.* per vocationem, nè imposterùm ampliùs declinet ad ima. Illuminat oculos per fidem, gratia, & charitate associatam, ut homo ten-
(qq) *De Civit. Dei lib.22.cap.30.* dat ad æterna despiciendo transitoria. Deinde dat sanitatem, & vitam, & benedictionem: dat quidem sanitatem, qua lætemur; vitam, qua
(rr) *Matth. cap.19. vers.28.* feliciter proficiamus; & benedictionem, qua, ut filii Dei sublimemur. Felices itaque sunt sanati, quia exaltantur: felices vita gratiæ viven-
(ss) *Ibidem.* tes, quia maximo honore afficiuntur: felices item

item à Deo benedicti, quia æterna gloria decedentes in gratia nobilitantur. Virtus Domini erat hodie ad sanandum audientes Christum: dum ex parte sua ipse eos facere volebat beatos, ipse desiderabat ipsis conferre sanitatem, & vitam, & benedictionem, volens ad hoc Dominus piissimus exaltare eorum animas, & illuminare ipsorum oculos. Sed videamus ad quos sanandos præcipuè erat Domini virtus: ad eos profectò, de quibus loquitur Evangelium, dum dicit: Erant Pharisæi sedentes, & legis Doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ, & Judææ, & Jerusalem: illos, scilicet, qui tunc erant sedentes, sed ante venerant. Sedebant, postquàm ambulaverant, & noluerant habere delectationem quietis absque perpessione laboris. Prius est sequi Christum ambulando, prius ipsum quærere, labores pęnitentiæ in itinere hujus vitæ tolerando, quàm ei associari sedendo. Illos honorat cōsessu, quos videt in virtute ambulantes, & multa pro ejus amore patientes. Verus in cęlo honor erit gloriæ, qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno, ait S. Augustinus: Christus dixit discipulis: Cùm sederit Filius hominis in sede Majestatis suæ, sedebitis & vos, sed anteà dixerat: Vos, qui secuti estis me. In hac quippe vita pro ejus nomine laborantes, in alia præmium sperare docuit, ait Venerabilis Beda. Si voluerimus, quòd utiliter nobis sit virtus Domini ad sanandum, & salvandum nos: si appeterimus fructuosè lætari in his, quæ dicta sunt nobis: In domum Domini ibimus: audiamus dicentem: Jerusalem quæ ædificatur, ut civitas: cujus participatio ejus in idipsum. Illuc enim ascenderunt Tribus, Tribus Domini, testimonium Israel ad confitendum nomini Domini: Quia illic sederunt sedes in judicio: sedes

(tt) *Homil. in Natali S. Benedicti.*

(uu) *Psalm. 101. v. 1. & 3. & 4. & 5.*

(vv) *Ioannis cap. 16. vers. 22.*

(xx) *Matthæi cap. 5. vers. 1.*

(yy) *Psal. 91. vers. 6.*

(zz) *Deuteronom. capit. 39, vers. 3.*

(aaa) *Psalm. 78. v. 9.*

(bbb) *Psal. 146. v. 3*

 super

super domum David. Priùs iste (cujus sunt verba prædicta) loquitur de labore ascensionis, dum ait: Illuc enim ascenderunt Tribus, Tribus Domini; posteà sermonem facit de sessionibus, & sedibus, quando dicit: Quia illic sederunt sedes in judicio: ut discamus nos præpare ad felicitatem æternæ quietis per amplexum laboris, & itineris. Veniamus ergo ad Christum credendo, ut sedeamus cum ipso æternaliter illum amando: Itaque videbit nos, & gaudebit cor nostrum, & gaudium nostrum nemo tollet à nobis. Venerant quondam turbæ ad Christum, & videns Iesus turbas ascendit in montẽ. Ascendet Christus altitudinem gloriæ accidentalis, si nos viderit eum sequentes, & post ipsum ambulantes, quamvìs per magnos labores. Ut magnificentur igitur opera Dei in nobis, & ut demus magnificentiam Deo nostro [sicut dicit Scriptura] eo in sensu accidentalis ejus gloriæ, cum Christo ambulemus, post ipsum gradientes, & labores sequèlæ ipsius sustinentes, ut ipse gloriam habeat accidentalem, cùm viderit nos æternaliter felices. Propitius erit peccatis nostris propter nomen suum: & gaudebit de nostra salute, qui sanat contritos corde: sanabit contritiones nostras, quia commoti fuerimus: alligabit etiam contritiones ex corde se conterentium ille Dominus piissimus, qui cor contritum, & humiliatum non despiciet: itaque revelemus Domino vias nostras, & speremus in eo: & ipse faciet. Agnoscamus ergo, ad hoc in præsenti Evangelio notam fieri nobis Domini nostri Jesu Christi virtutem, & præsentiam [dum dicitur: Jesus sedebat docens. Et virtus Domini erat ad sanandum eos:] nobis, inquam, qui in virtute Dei custodimur per fidem in salutem. Et dum Christus vivit ex virtute Dei, vivemus cum eo ex

(ccc) *Psalm. 59. v. 4.*

(ddd) *Psal. 146. v. 3.*

(eee) *Psal. 50. v. 19.*

(fff) *Psal. 36. vers. 5.*

(ggg) *2. Petri, cap. 1. vers. 16.*

(hhh) *1. Petri, cap. 1. vers. 5.*

(iii) *2. ad Corinth. cap. 13. vers. 4.*

(jjj) *Psal. 20. vers. 14.*

ex virtute Dei, ut dicit S. Paulus. Itaque ipsi nostras præsentemus animas, dicentes: Exaltare Domine in virtute tua: cantabimus, & psallemus virtutes tuas.

§. Tertius.

HOMILIA III.

Super illa verba:

Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus: & quærebant eum inferre, & ponere ante Jesum.



Ominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam, dicebat Christo Domino ille paralyticus, qui passus fuerat infirmitatem suam per triginta, & octo annos. Et ecce [nunc in præsenti Evangelio sacra dicit Historia] viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus: & quærebant eum inferre, & ponere ante Jesum, & non invenientes, qua parte eum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum, & summiserunt eum cum lecto in medium ante Jesum. Hic hodierni Evangelii paralyticus multorum abundabat suffragio: ille alius nullius hominis potiebatur adjutorio. Immò paralyticus piscinæ triginta, & octo annos in infirmitate sua habens, hominem non habebat, qui, ut descenderet in piscinam, ipsi applicaret manum adjutricem, cùm multi sint quotidiè, qui ad præcipitandos proximos apponunt

(a) *Ioan. cap. 5. v. 7*

(b) *Ex lib. Meditat. cap. 24. tom. 9.*

(c) *Lib. 5. in cap. 5. Lucæ, post initium.*

 ma-

manum crudelem: sed Evangelii hodierni homo, qui paralypsi gravatus erat, habebat multos, qui eum ascendere facerent, cùm rarus inveniatur, qui proficuè filios Adæ pro ascensionibus tum in spiritualibus, tum in temporalibus juvet: aliàs non essent quotidie quoad animam, & corpus tot desolati, & gementes in orbe. Utrumque paralyticum Redemptor noster sanavit sua miraculosa, atque Divina potentia. Sed videtur, quòd antè hæc duo miracula præcesserunt duo mira; dum unus ad descendendum nullum hominem adjutorem habebat, & alium ad ascensum viri illi multi juvabant. Portantium paralyticum merito, hodie Christus ipsum sanavit: & alterius infirmitatem, simulque orbitatem conspiciens, sua sola clementia, ac pietate, nemine deprecante, voluit illi salutis beneficium impendere. Sufficit Christo ad benefaciendum nobis sola misericordia, atque benignitas sua; sed merita Sanctorum multum faciunt ad Dei favores consequendos, & ad patranda miracula à Divina Omnipotentia. Alloquens Cœlicolas dicebat S. Augustinus: Obsecramus vos per vestram charitatem: qui securi estis de vobis, soliciti estote de nobis: securi estis de vestra immarcescibili gloria, soliciti estote de nostra multiplici miseria. Estote jugiter memores nostri, subvenite nobis miseris, qui adhuc in salo hujus vitæ circumstantibus agitamur procellis. Et S. Ambrosius [super illa verba hujus præsentis Evangelii: Quorum fidem ut vidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua] ait: Magnus Dominus, qui aliorum merito ignoscit aliis; & dum alios probat, aliis relaxat errata. Cur apud te, homo, collega non valeat, cùm apud Deum servus, & interveniendi meritum, & jus habeat interpretandi? Disce qui judicas,

(d) *Actor. cap. 3. vers. 2. & 3. & 4. & 5. & 6. & 7. & 16.*

(e) *Psal. 150. v. 1.*

(f) *Psal. 105. v. 21. & 22. & 23. & 28. & 29. & 30.*

dicas, ignoscere: disce qui æger es, impetrare. Si gravium peccatorum diffidis veniam, adhibe precatores, adhibe Ecclesiam, quæ pro te precetur, cujus contemplatione, quod tibi Dominus negare posset, ignoscat. Hucusque S. Ambrosius, semper, sed hic specialiter eloquentissimus. Illi viri, qui portabant in lecto paralyticum, de quo agit hodie Evangelium, magna fulgebant fide. Misericordia moti infirmum cum lecto portabant, sed etiam fide instructi ipsum ægrum ante Jesum collocare satagebant. Fide quærebant paralyticum inferre, fide quæsierunt qua eum parte possent coram Christo statuere, fide ascenderunt supra tectum, ac tandem fide per tegulas summiserunt infirmũ cum lecto in mediũ ante Jesum Redemptorẽ nostrum: qui videns eorum fidem, permotus etiam sua infinita misericordia, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua: & iterùm: Tibi dico: surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et confestim [dicit Sacer Textus] surgens coram illis, tulit lectum, in quo jacebat, & abiit in domum suam magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore, dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie. Paralyticus miraculosè curatur: sed portantium eum fides magnoperè extollitur, & ob eorum fidem illud prodigium fuit factum. Homines illi credebant, & eorum fides plurimùm ad ægrum sanandum adjuvabat. Paralytico peccata remittuntur, & salus perdita redditur; sed merito, ut videtur, fidei ipsum ante Jesum collocantium. Illorum actiones fidem, & misericordiam eis adesse, probabant; & hac fide, misericordia associata, Christus Dominus permotus, infirmo fuit monstratus beneficus. Discamus

(g) *Numer. cap. 16. v. 46. & 47. & 48.*

(h) *Iob cap. 4. v. 18. & 19. & 20. & 21. Item cap. 5. vers. 1. & 18. & 19.*

camus ergo Sanctorum meritis inhærere, si salutem voluerimus recipere. Ille vir, qui erat claudus ex utero matris suæ, quem ponebant quotidie ad portam Templi, quæ dicitur Speciosa, cùm vidisset Petrum, & Joannem incipientes introire in Templum, & audisset Petrum dicentem: Respice in nos: intendebat in eos, sperans, se aliquid accepturum ab eis. Huic claudo dedit nomen Jesu integram sanitatem; sed Sanctos respexit, & de eorum subsidio confidit, antequàm ipsum nomen Jesu sanum faceret. Accessit interpositio Sanctorum nomini Jesu salutifero: ac sic tam benè accidit in recuperanda perdita salute illi claudo. Laudemus igitur Dominum in Sanctis ejus, & laudemus etiam ipsum in firmamento virtutis ejus: quod sanè firmamentum videtur esse quoad nos meritum, & intercessio Sanctorum. Hodie dicitur, quòd virtus Domini erat ad sanandum; sed non dedit Jesus paralytico sanitatem usquequò vidit virorum, qui eum portabant, fidem. Firmata est virtus in paralyticò sanato, dum fuit virtutis ipsius firmamentum ipsa fides eum portantium virorum. Laudemus Deum in fide istorum hominum, & in tantæ virtutis firmamento, quando virtus Domini, quæ erat ad sanandum, voluit ipse Deus, quòd prodesset paralytico fide illum adjuvantium suffulto. O grandis efficacia patrocinii, quod invenitur in Sanctis! Obliti sunt Israelitæ Deum, qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari Rubro. Et dixit, ut disperderet eos: si non Moyses electus stetisset in confractione in conspectu ejus: ut averteret irã ejus, nè disperderet eos. Iterum de Israelitis dicitur: Initiati sunt Beelphegor, & comederunt sacrificia mortuorum, & irritaverunt

(i) *Iosue c. 2. v. 6. & 15.*

(j) *Iacobi c. 2. v. 23.*

(k) *Ad Hebr. c. 11. vers. 31.*

(l) *Psal. 83. v. 6.*

runt Dominum in adinventionibus suis:& multiplicata est in eis ruina. Et stetit Phinees, & placavit: & cessavit quassatio. Alibi, peccante eodem populo, egressa est ira à Domino, & plaga desæviit:sed,cùm cucurrisset Aaron ad mediam multitudinem, quam jam vastabat incendium, obtulit thymiama: & stans inter mortuos, ac vivéntes pro pòpulo deprecatus est, & plaga cessavit. Eliphaz Themanites dixit Job: Ecce qui serviunt Deo non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit pravitatem: quantò magis hi, qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur, velut à tinea? De mane usque ad vesperam succidentur: & quia nullus intelligit, in æternum peribunt. Qui autem reliqui fuerint, auferentur ex eis: morientur, & non in sapientia. Voca ergo, si est, qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere. Deus vulnerat, & medetur: percutit, & manus ejus sanabunt. In sex tribulationibus liberabit te: & in septima non tanget te malum. Ecce quomodò in istis verbis Sancto Job dictis exhortatur nos Divina Scriptura, spem patrocinii Sanctorum nobis ingerens: quorum merita Deus videt, & orationes acceptat, ut nobis sua benignitate, & clementia benè faciat. Quod etiam persuadent relata exempla Moysi, Phinees, & Aaron, similiter, ac efficaciter nos moventia ad Sanctorum patrocinia procuranda. Sed interim observandæ sunt actiones mysterio non vacantes, immò potius eo plenæ, quas illi viri fecerunt, qui portabant hodierni Evangelii paralyticum. Ascenderunt supra tectum secum ducentes infirmum: & sicut Rahab fecit ascendere viros exploratores in solarium, & demisit eos posteà per funem de fenestra ad eos liberandos: & ex ope-

(m) *Ierem. cap. 22. vers. 20.*

(n) *Psal. 10. v. 7.*

(o) *Psal. 104. v. 32.*

operibus justificata est, suscipiens nuntios, & alia via ejiciens, ut loquitur Sanctus Jacobus Apostolus: ac, ut ponderat Sanctus Paulus, Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens explorantes cum pace: ita fides cum bona operatione virorum istorum portantium paralyticum commendatur, quando

(p) *Isaiæ c.4.v.6.* tectum cum infirmo ascendentes, per tegulas summiserunt eum cum lecto in medium ante Jesum: & ita infirmi saluti sunt misericorditer cooperati, quoddam nobis exemplum proponentes necessitatis, quam habemus ad salutem æternam, credendi, ac simul bene operandi, si nostra fide Deo desideramus placere. Discamus ergo ab his viris. Ascensiones in corde nostro disponamus: & ascendamus Libanum, & clamemus. Per tegulas illi summiserunt pa-

(q) *Eccli. cap.* 14. *verſ.*12. ralyticum. Ex luto componitur tegula, & tamen, dum benè est in fornace concocta, hominem defendit à pluvia; ita [dum pluet Dominus super peccatores laqueos, ipse, qui in Ægypto posuit pluvias eorum grandinem] erit nobis Dei patrocinium quoddam tabernaculum in absconsionem à turbine, & à pluvia, & Dominus, qui aufert stillas pluviæ, nobis parcet, & benefaciet, si ad hoc concurrerint tegulæ benè concoctæ, & ardenter consideratæ recordationis nostri pulveris, & luti. Et quando

(r) *Psal.* 17. *v.*21. memores simus, quia mors non tardat, hac mortis meditatione, quasi tegulis juvabimur; ac per tegulas cogitationis mortis benefaciemus proximis nostris, compatientes infirmitatibus suis, & curantes, ut sani fiant ab eis: ac sic retribuet nobis Dominus secundum justitiam nostram: & secundum puritatem manuum nostrarum retribuet nobis.

SE-

SECTIO TERTIA,

In qua proponitur Evangelium Sabbati Quatuor Temporum Pentecoſtes, cum tribus illi correſpondentibus Homiliis.

Sequentia Sancti Evangelii ſecundum Lucam, capite 4. verſ. 38.

IN *illo tempore: Surgens Jeſus de Synagoga, introivit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogaverunt illum pro ea. Et ſtans ſuper illam, imperavit febri: & dimiſit illam. Et continuò ſurgens miniſtrabat illis. Cùm autem ſol occidiſſet, omnes, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. At ille ſingulis manus imponens curabat eos. Exibant autem dæmonia à multis, clamantia, & dicentia: Quia tu es filius Dei: & increpans non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum. Facta autem die egreſſus ibat in deſertum locum, & turbæ requirebant eum, & venerunt uſque ad ipſum: & detinebant illum, nè diſcederet ab eis. Quibus ille ait: Quia & aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei: quia ideo miſſus ſum. Et erat prædicans in Synagogis Galilææ.*

§. Primus.

HOMILIA PRIMA,

Super illa verba:

Surgens Jeſus de Synagoga introivit in domum Simonis.

(a) *Proverb. c. 21. verſ. 28.*



IR obediens loquetur victoriam. Profectò hic vir obediendo poterit victoriam obtinere, quam poſtmodum ei liceat loqui, atque enarrare. Narrabit, & loquetur: quia

(b) *Ad Corinth. c. 15 verſ. 57.*

erit vir in obediendo conſtans, ac erit obediens, dum obedientiæ utilitatibus percitus, vixerit ad obediendum ex toto corde applicatus. Erit vir, ſi conſtanter quis inobedientiæ reſtiterit, ac ſe ad parendum viriliter applicuerit: eritque obediens, ſi, ut dicto fiat audiens, ſe

(c) *Ad Hebr. c. 5. verſ. 8.*

accinxerit. Deus iſtam det nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui didicit ex his, quæ paſſus eſt, obedientiam: qui non venit miniſtrari, ſed miniſtrare: & qui factus eſt obediens uſque ad mortem, mortem

(d) *Matth. cap. 20. verſ. 28.*

autem crucis, ut nos ſequentes veſtigia ejus, obedientes loquamur victoriam ſuam, quam contra principem ſuperbiæ, & inobedientiæ, ac proinde tenebrarum, obtinuit: loquemur etiam victoriam noſtram, Redemptoris noſtri

(e) *Ad Philip. c. 2. verſ. 8.*

imitantes obedientiam. Victoriam ſimul, & honorem adquiremus, ſi obedierimus, & narrantes mirabilia Dei uſque in æternum lætabimur. Victoria tamen non reputabitur nobis, ſed

(f) *1. Petri, cap. 2. verſ. 21.*

Chriſto, quia ſine ipſo nihil poſſumus facere, quamvis adjuvantes noſmetipſos, Dei aſpirante

te gratia, ipsi nos possimus cooperari gratiæ Divinæ, nostra benè utentes libertate. Hodie jure mirari justum est loquentem victoriam Sanctum Apostolum Petrum, si aspiciamus Jesum Christum ejus ingredientem domum, ac suum felicitantem discipulum, per ipsius Redemptoris sacratissimum introitum. Surgens Jesus de Synagoga, introivit in domum Simonis, ait hodie Historia Evangelica. Mysterio non vacare videtur, quòd Jesus non dicatur introiens in domum Petri, sed in domum Simonis: quia juxta Biblicum Indicem, nomen Petri significat: Saxum, Petra; nomen Simonis interpretatur: Obediens. Ergo intravit Christus domum obedientis, quando introivit in domum Simonis. Viderunt ingredientem Dominum in domum Simonis qui aderant, ut nos videamus quanti faciat Christus obedientes, quando nobilitat introitu suo obedientium animarum habitationes. Canat, & loquatur hanc victoriam Simon Petrus, quia, dum fuit Saxum, & Petra in sua fortitudine, & constantia ad obediendum viriliter, accepit, tamquàm qui erat etiam Simon, nostrum Redemptorem, obedientem Simonem visitantem. Parabimus Deo domum, si prompti fuerimus ad obediendum: eòque magis appropiabimus Redemptori, ac redemptioni, quò plùs accedamus ad felicitatem promptæ, ac sinceræ obedientiæ. Secundum præscientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam, & aspersionem sanguinis Jesu Christi, loquebatur Sanctus Apostolus electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Assiæ, & Bythiniæ, desiderans, quòd gratia illis, & pax multiplicaretur: gratia optans videre ipsos imbutos abundante, ac etiam ditatos pace multiplici. Sed

(g) *Psal. 74. v. 2.*

(h) *Iudic. cap. 4. v. 9.*

(i) *Ioan. c. 15. v. 5.*

(j) *1. Petri, cap. 1. vers. 2. & 3.*

(k) *1. Petri, cap. 1. vers. 14.*

(l) *4. Regum, c. 17. vers. 14.*

(m) *Psal. 17. v. 15.*

(n) *4. Reg. c. 17. v. 18.*

(o) *Ierem. cap. 35. vers. 14. & 17.*

 priùs

(p) Eccli.c.4.v.11. priùs collocavit obedientiam, posteà aspersionem sanguinis Jesu Christi: quia aperitur janua ad sanguinis aspersionem redemptricis per obedientiam Deo humiliter parentis: ac eò major redemptionis intrabit in hominem cum Domino ipso gratia, quò amplior ei fuerit factus aditus per obedientiam, qua mandata erunt custodita Divina. Domino igitur pareamus, ut ipsi domum paremus: obediamus, ut copiosa Jesu Christi sanguine simus feliciter tincti. Satagamus à nobismetipsis exhiberi quasi filii obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ nostræ desideriis. Nobis cura insit, nè cum illis adnumeremur, qui noluerunt obedire Domino, sed potius his possimus assimilari, qui in auditu auris obedierunt illi. Noluerunt quidam Israelitæ obedire Domino Deo suo. Iratusque est Dominus vehementer Israeli, & abstulit eos a conspectu suo. Per Jeremiam conquerebatur Deus de viris Juda, & habitatoribus Jerusalem, dicens: Ego locutus sum ad vos, de mane consurgens, & loquens, & non obedistis mihi. Ecce ego adducam super Juda, & super omnes habitatores Jerusalem, universam afflictionem, quam locutus sum adversum illos: eo quòd locutus sum ad illos, & non audierunt: vocavi illos, & non responderunt mihi. Simus ergo nos, velut filii Altissimi obedientes, & miserebitur nostri magis, quàm mater. Ideo Apostolus ait: Filii, obedite parentibus per omnia. Parati igitur simus, & non turbati, ut custodiamus mandata Dei, & nostrorum superiorum: quia, si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit: &, ut ait Doctor Ecclesię S. Isidorus Hispalensis, si quod præcipit Deus, facimus, sine dubio id, quod petimus, obtinebimus. Et, ut asserit S. Augustinus, citiùs

(q) Ad Colossens. cap.3. vers.20.

(r) Psal.118.v.60.

(s) Ioan.c.9.v.31.

(t) Dan. c.14.v.23

(u) Eccli. c.15.v.16.

tiùs exauditur una obedientis oratio, quàm centum millia contemptoris. Vir obediens [ait alibi ipse Doctor Sanctus] mandatum non procrastinat; sed parat aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri: & sic se totum in se colligit, ut mandato pareat. Optimus Minister tuus est, Domine Deus, qui non magìs vult hoc à te audire, quod ipse voluerit, sed vult quod audierit. Audiamus super omnia Christum Dominum dicentem: Si quis diligit me, sermonem meum servabit: & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Juxta hæc verba dicit Sanctus Gregorius Magnus: Qui mandata Dei custodit, in ejus cor Dominus venit, & mansionem facit. Ideo in domum Simonis [qui obediens interpretatur] Dominus descendit. Tunc Filius Dei in utero Virginis receptus est, cùm Maria verbo Angeli obedivit. Verba sunt Mariæ: Fiat mihi secundùm verbum tuum. Hucusque Sanctus Gregorius. Et Sanctus Bernardinus Senensis sic loquitur: Plus meruit Beata Virgo eo actu, quo Angelo nuntianti assensit, quàm omnes Sancti omnibus & meritis suis. Itaque, si voluerimus mandata Dei conservare, conservabunt nos. Juxta Proverbia, Equus paratur ad diem belli: Dominus autem salutem tribuet. In conflictu, & bello mortis, si fuerimus obediendo parati, ac antea benè per obedientiam dispositi, à Domino consequemur salutem, & loquemur victoriam obedientes, ac etiam triumphantes de magnà vi mortis: quia si quis sermonem Christi servaverit, mortem non gustabit in æternum, & verbum custodiens filius, extra perditionem erit. Hoc nos docuit ille, qui talis est, quòd venti, & mare obediunt ei, quia stetit sol in medio cœli, & non

(v) *Prov. cap.21. vers.31.*

(x) *Ioan.c.8. v.51.*

(y) *Proverb.c.29. vers.27.*

(z) *Mat.c. 8. v.27.*

(aa) *Iosue c.10.v.14.*

(bb) *Isai.c.48.v.17. & 18. & 20. & 22.*

(cc) *Iob c.38.v.15.*

& non fuit anteà,nec posteà tam longa dies,obe-
(dd) *Psal.17.v.45.* diente Domino voci hominis: & juxta S. Gregorium Magnum, si obedientes fuerimus Præpositis nostris, obediet Dominus orationibus nostris. Hæc nobis dicit Redemptor noster Sanctus Israel: Ego Dominus Deus tuus, docens te
(ee) *Isai.cap.1.v.3.* utilia, gubernans te in via, qua ambulas. Utinam attendisses mandata mea: facta fuisset sicut flumen pax tua, & justitia tua sicut gurgites maris. Egredimini de Babylone, fugite à Chaldæis,
(ff) *Psalm.17.v.46.* in voce exultationis annuntiate: auditum facite hoc, & efferte illud usque ad extrema terræ: Dicite: Redemit Dominus servum suum Jacob. Non est pax impiis, dicit Dominus. Hodie ocu-
(gg) *Iob cap.38. vers.15.* lis fidei videmus in Evangelio Christum Jesum de Synagoga surgentem, & in domum Simonis introeuntem. Utique ablata est ab impiis lux sua, dum Deus à proterva Synagoga Judæorũ transivit ad obedientem Ecclesiam Gentiũ:quia popu-
(hh) *Matth.cap.21. vers.43.* lus,quem non cognovit Dominus, servivit ei:in auditu auris obedivit illi: Israel autẽ Redemptorem Jesum Christum non cognovit, & populus suus non intellexit. Filii alieni mentiti sunt ipsi: filii alieni inveterati sunt, & claudicaverunt à semitis suis. Brachium itaque excelsum est con-
(ii) *Ibidem,vers.41.* fractum, dum ab Hebræis ablatum est Regnum Dei, & datum genti facienti fructus ejus: & ipsi Judæi testimonium, ac sententiam terribilem contra se dederunt, dicentes: Paterfamilias ma-
(jj) *Actor.cap.28. v.17.& 23.& 24. & 25.& 26.& 27. & 28.& 29.* los malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis. Sanctus Paulus, cùm convocasset Romæ primos Judæorum,ipsiq; constituissent illi diem, venerunt ad eum in hospitium plurimi, quibus exponebat restificans Regnum Dei, suadensque eis de Jesu ex lege Moysi, & Prophetis à mane usque ad vesperam. Et quidam credebant his,

quæ

quæ dicebantur, quidam verò non credebant. Cùmque invicem non essent consentientes, discedebant, dicente Paulo unum verbum: Quia benè Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam Prophetam ad Patres nostros, dicens: Vade ad populum istum, & dic ad eos: Aure audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non perspicietis. Incrassatum est enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos suos compresserunt: nè fortè videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & sanem eos. Notum ergo sit vobis, quoniam Gentibus missum est hoc salutare Dei, & ipsi audient. Et cùm hæc dixisset, exierunt ab eo Judæi, multam habentes inter se quæstionem. Ecce quomodò non est pax impiis, quia impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest. En Dominus, ut introeat in domum Simonis, de Synagoga surgit: quia Fidelibus datum est nosse mysterium Regni Dei, ceteris autem in parabolis, ut videntes non videant, & audientes non intelligant. Ita accidit, ut dicit Sanctus Gregorius Magnus, quòd à Judæa Apostolorum repulsa prædicatio tunc nobis in adjutorium fieret, cùm hanc ipsa ad damnationis suæ testimonium superba repulisset. Tamen, ut dicit Sanctus Ambrosius, videamus clementiam Salvatoris: nec indignatione commotus, nec scelere offensus, nec injuria violatus Judæam deserit: quin etiam immemor injuriæ, memor clementiæ, nunc docendo, nunc liberando, nunc sanando, infidæ plebis corda demulcet. Hæc Sanctus Ambrosius. Ex quo infertur, quòd quamvìs tunc præsentialiter Judææ Salvator aderat, nec eam derelinquebat: tamen videtur mysterium pro futuro tempore faciendorum includi in eo, quòd esset transitus prophe-

(kk) *Isai.c.57.v.20.*

(ll) *Luca c.8.v.10.*

(mm) *Homil.29.in Evang. post init.*

(nn) *Lib.4.in cap.4. Luca sub fin.*

(oo) *Quæst.ex Matth. quæst.16.*

(pp) *Eccli. cap.32. vers.28.*

pheticè doctrinalis à Synagoga in domum obedientis Simonis. Ab ipsis itaque miseris, & obcæcatis Judæis [qui, ut dicit Sanctus Augustinus, noluerunt esse docti in regno cœlorum, neque transire ad Christum, ut auferretur velamen, quod supra cor eorum positum est] experimentum accipientes, taliter nos vivere studeamus, ut non auferatur à nobis lux nostra fidei, & amoris Christi nostri benignissimi Redemptoris, quia, quamvis non semper in homine peccatore deficiat fides, ut docet Sacrosanctum Oecumenicum Tridentinum Concilium; tamen àliquando potest evenire, ut homo cò perveniat miserè in via peccati, ut etiam lumine orbetur fidei Catholicæ. Obediamus igitur promptissimè Deo, credentes ipsi, & illius attendentes mandatis: nam, ut benè ponderat Sanctus Ambrosius, est non mediocris pudor, imperio Dei elementa parere, & homines non obedire, quibus sensus tributus est, Domino Auctore. Quando Christus Dominus exurgens comminatus est vento, & dixit mari: Tace, obmutesce, cessavit ventus, & facta est tranquillitas magna. Alibi dicitur, quòd Stellæ vocatæ sunt, & dixerunt: Adsumus, & luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas. Propter Jesum Deum, Creatorem, & Redemptorem nostrum [quem qui Superiores, & Prælatos audit, ipsum audit, & qui illos spernit, eum spernit] etiam obediamus Præpositis nostris, & subjaceamus eis.

(qq) *Marci cap.4. vers.39.*

(rr) *Baruch. cap.3. vers.35.*

(ff) *Ad Hebreos, cap.13. vers.17.*

§.Se-

§. Secundus.

HOMILIA II.

Super illa verba:

Egressus Jesus ibat in desertum locum, & turbæ requirebant eum, & venerunt usque ad ipsum. Et detinebant eum, nè discederet ab eis.



VEnit in nos Spiritus Sapientiæ, cognitio, scilicèt, & amor Christi Domini, miserente nobis Deo: in nos, inquam venit, qui veram fidem habemus Romanam, extra quam omnes, velut extra Arcam Noe, naufragium faciunt abeuntes in gehennæ profundam abyssum: & discedentes ab eadem Romana Ecclesiâ per schisma contra fidem, vel charitatem, tamquam etiam extra Arcam, ut dicebat Sanctus Pater noster Mellifluus Doctor Bernardus, similiter in æternum peribunt. Præponamus ergo Christum regnis, & sedibus, & divitias nihil esse ducamus in comparatione illius: nec comparemus illi lapidem pretiosum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tamquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Super salutem, & speciem diligamus Jesum, & proponamus pro luce habere illum; quoniam inextinguibile est lumen illius. Venerunt autem nobis omnia bona pariter cum illo, & innumerabilis honestas per manus illius: & lætati sumus in omnibus: quoniam antecedebat nos ista Sapientia. Infinitus enim thesaurus est hominibus:

(a) *Sapient. cap.7. vers.7.*

(b) *Genes. c.7. v.22. & 23.*

(c) *Sapient. c.7. v.8. & 9. & 10. & 12. & 14.*

(d) *Ad Ephes. cap.2. vers.3.*

(e) *Ad Roman. c.5. vers.10.*

quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei. Qui eramus filii iræ, [& consequenter, (f) *Iacobi c.2. v.23. & 24.* ut dicit Sanctus Augustinus] filii pœnæ, filii gehennæ, cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus. Sed, si Abraham amicus Dei appellatus est: videtis [ait Sanctus Iacobus Apostolus] quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm. (g) *1. Ioan.c.3. v.1.* Videamus qualem charitatem dedit nobis Deus Pater, ut filii Dei nominemur, & simus: sed hæc scribit nobis Sanctus Joannes Evangelista, ut non peccemus. Nè igitur Christum, & gra- (h) *1. Ioan. c.2. v.1.* tiam ejus à nobis abesse patiamur. Inveni me longe esse à Deo, quando eram in peccato, ait Sanctus Augustinus: ideò se exhortans ad ex- (i) *Lib.7. Commentar. in cap.15. Lucæ, post init.* eundum ab iniquitate, clamabat: Quarè non modò? Quarè non in hac hora finis turpitudinis meæ? Regio longinqua est oblivio Dei, dicit Sanctus Ambrosius. Utinam [ait ipse] Prodigus non recessisset à Patre; impedimentum (j) *Lucæ c.15. v.13.* utique nescisset ætatis. O quoties, acceptis à Deo tantis beneficiis, peregrè profecti sumus in regionem longinquam, & ibi dissipavimus substantiam nostram, scilicet, merita, & etiam amicitiam Dei, & habitum supernaturalem cha- (k) *Ad Roman.c.13. versi.13.* ritatis, quo à Deo eramus ditati, & divites verè effecti! Ecce non erant adeò beneficiis, sicut nos, obligatæ turbæ, de quibus dicit hodie Evangelica Historia, quòd requirebant Jesum, & ve- (l) *Actor.c.17. v.28.* nerunt usque ad ipsum: & detinebant eum, nè discederet ab eis. Eum detinebant suo erga illum amore: & etiam sua attentione, qua proprio providebant profectui, ac utilitati; quia ti- (m) *4. Reg.c.1. v.8.* mebant pati lucrum cessans, ac damnum emergens in absentia Jesu Christi; tamquam itinerans, qui pavet, & horrescit ob defectum lucis, & horrorem, ac damnosos effectus tenebrarum,

cùm

cùm venit occasus Solis, atque nox advenit tristis. Igitur sicut in die honestè ambulemus, nè parùm reverentes Christo simus, & malum faciamus in conspectu Solis hujus. Quis esset, (n) Eccli.c.48. v.1.
qui, si valeret, Solem non detineret, ut sic diem prolongaret, & horridam noctem effugeret? Detineamus Solem verum Christum, nè à nobis discedat: ut sic ejus præsentia virtutibus illuminemur, ac à vitiorum tenebris retrahamur. (o) Genes.c.17. v.1.
Secundùm Divinitatem ubiq; præsens est Christus, utpote verus Deus, in quo vivimus, & movemur, & sumus. Coerceat nos ejus præsentia, nè illo faciamus præsente, quod coram quolibet, maximè honorabili viro, verecundaremur agere. Juvet nos consideratio ipsius Divinæ præsentiæ, ut bonæ cuilibet vacemus operationi. Vir zona pellicea accinctus renibus, utpote cilicio, erat Elias, qui surrexit quasi ignis, ardens simul, & lucens. Sed quid mirum? Erat ipse, qui dicebat: Vivit Dominus, exercituum, ante cujus vultum sto. En quomodo Divinæ præsentiæ regula ejus dirigebatur vita, ut taliter pura, ac tantoperè agnoscatur perfecta. Ambulemus ergo coram Deo, & perfecti simus, sicut ad Abraham dixit Dominus. Quia considerabat David, quòd omnes viæ illius erant in conspectu Domini, servavit mandata ejus, & testimonia ipsius; providebat etiam ipse Dominum in conspectu suo semper; quoniam à dextris erat ipsi, nè commoveretur: & qui dicebat in abundantia sua: Non movebor in æternum, avertente faciem suam Domino ab eo, factus est conturbatus. Simus ergo fortes viri, ac Dei veri Regis nostri Pacifici servi, ut in ejus præsentia, coram quo semper sumus, audientes sapientiam Evangelicæ Doctrinæ, possimus fieri digni, qui beata sorte cœle-

(p) Psal.118.v.168.

(q) Psal.15. vers.8.

(r) Psal.29. vers.7. & 8.

(s) 3.Regum.cap.10. vers.8.

(t) Psal.30. vers.17.

(u) Eccli.c.34.v.14. & 15.

ſtis Patriæ potiamur, & inter Sanctos lætemur.

(v) *Pſal.*142. *v.*11. Illuſtret Deus ipſe faciem ſuam ſuper ſervos ſuos: ſalvos nos faciat in ſua miſericordia. Utinam non confundamur: quoniam invocavimus

(x) *Pſal.*103. *v.*29. eum. Spiritus timentium Deum quæritur, & in reſpectu illius benedicetur: ſpes enim illorum in ſalvantem illos, & oculi Dei in diligentes ſe.

(y) *Apoc. c.*7. *v.*15. Propter nomen ſuum Dominus vivificabit nos, in æquitate ſua: avertente autem eo faciem, omnes turbabimur: auferet ſpiritum noſtrum,

(z) 2. *ad Corinth. c.*4. & deficiemus, & in pulverem noſtrum revertemur. Ergo curemus eſſe ex illis, qui ſerviunt Deo die, ac nocte, ad illuminationem ſcientiæ

(aa) *Pſal.*147. *v.*18. claritatis Dei, in facie Chriſti Jeſu. Dictum eſt, & ſcriptum: Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea: ac etiam: Supervenit manſuetudo, & corripiemur. Jam habemus Verbum Divi-

(bb) *Pſal.*89. *v.*10. num nobis per Incarnationem à Patre Æterno emiſſum: præſentia igitur, & amore illius liqueſiant omnia corda ante ipſum: & corripia-

(cc) *Matthæi cap.*21. *verſ.*5. mur per advenientem talem Regem manſuetum. Dictum eſt etiam in Scriptura Sacra: Reſpicit Dominus vias hominis, & omnes greſſus ejus conſiderat: ac item: Intueatur, & judi-

(dd) *Proverb. c.*5. *verſ.*21. cet Dominus. O quomodò in judicio lapis de pariete clamabit: & lignum, quod inter juncturas ædificiorum eſt reſpondebit! quando tales & tot abominationes mortalium Deus judica-

(ee) *Geneſ. c.*31. *v.*49. turus præſens reſpicit, & tam fœda intuetur, quæ poſteà rectiſſimè judicans, puniet ſententia terribili, quia horrendum eſt incidere in ma-

(ff) *Habacuc cap.*2. *verſ.*11. nus Dei viventis. Suſpenſus eſt Aman in patibulo, quando credidit Aſſuerus Rex, quòd eò pervenerat in Aman audacia, ut peccaret, Rege præſente, & in domo ſua. Quot ſupplicia me-

(gg) *Geneſ. cap.*31. *verſ.*50. riti ſumus, quando toties in Dei Regis Regum præſentia, & in domo ſua Univerſi, ac ſæpè

in tem-

in templo ipso suo [cùm dixerit Sanctus Paulus: Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus] peccavimus corde, ore, opere, & omissione? Si cessatio à debito officio in Domini cujusque præsentia provocat ipsius in servos iram: quo pacto non irritabit ipsum, pessima occupatio, & malefactum famulorum ipsi placere, atque servire debentium, dum inverecundè coram ejus facie delinquunt? Faxit ipse Deus, ut illum, qui [utpotè Immensus] non abest, nec potest à nobis præsentialiter abesse, tamquam præsentem colamus, ac debita ipsi serviamus sollicitudine: & ita, cùm peccata sint nostra pessima inimica, timor hostibus his incussus sit, & incutiatur ex præsentia Dei, qui universa conspicit, & in fugam versi sint, & vertantur alius ab alio, ut accidit in Machabæorum bonum illo evidenti prodigio, quo præsentia Dei suum populum maximo honoravit triumpho. Et sicut accidit alibi, quando Judas, & qui cum eo erant, invocato Deo, per orationes congressi sunt; manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes, prostraverunt non minus triginta quinque millia, præsentia Dei magnificè delectati: similiter nos delectati magnifica Dei præsentia [cùm quotidiè acrius bellum inimicorum animæ nobis sit] quæramus Dominum, dum inveniri potest, & invocemus eum, dum propè est. Sancti simus, quoniam Deus Sanctus est: cùm præsens est, imitemur illum, odientes malum, adhærentes bono, juxta illud: Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi: & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis. Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos: aut turpi-

(hh) *Ad Hebræos cap.10. vers.31.*

(ii) *Esther c.7. v.8. & 10.*

(jj) *1. ad Corinth. cap.3. vers.17.*

(kk) *2. Machabæor. c.12. v.22. & c.15. v.26. & 27.*

(ll) *Isaiæ c.55. v.6.*

(mm) *1. Petri, c.1. vers.15. & 16.*

(nn) *Ad Roman. cap.12. vers.9.*

(oo) *Ad Ephes. c.5. vers. 1. & 2. & 3. & 4.*

(pp) *2. Petri, cap.1. vers.16.*

(qq) *2. ad Corinth. cap.5. vers.7.*

(rr) *Ioan. c.1. v.26.*

(ss) *Lucæ c.24. v.27. & 28.*

turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet; sed magis gratiarum actio. Verba sunt Sancti Pauli vividè nos hortantia, ut in Dei proficiamus præsentia. Nota facta est nobis Domini nostri Iesu Christi virtus, & præsentia, juxta Sanctum Apostolum Petrum, quamvis, ut ipse, non simus speculatores facti illius magnitudinis: per fidem enim ambulamus, & non per speciem. Medius nostrum est secundum Divinitatem, quam, & virtutem ejus Sacratissimæ Humanitatis per fidem cognoscimus. Accipiamus spiritualiter illum, velut Simeon, qui venit in spiritu in templum, ubi corporaliter accepit in ulnas suas nostrum Dominum, Deum, & hominem Iesum Christũ. Amplectamur Christum operibus, velut quibusdam fidei nostræ brachiis, ait S. Ambrosius: quia Christus est salutare Dei, quod Pater Æternus paravit ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis suæ Israel. Ipse illuminet oculos nostros, nè umquam obdormiamus in morte. Dum stetit Jesus in medio discipulorum suorum, & dixit eis: Pax vobis, mirati sunt præ gaudio in præsentia Christi, discipuli. Gaudeamus ergo, viso oculis fidei Domino. Itaque considerantes præsentiam Dei, qui etiam nos est judicaturus, revereamur præsentem, nè in judicio eum inveniamus nos damnantem. Non in præsentia hominum tantùm, sed multò magis in absentia [ùt fidem Dei præsentiæ exerceamus] cum metu, & tremore nostram salutem operemur. Juxta Evangelium hodiernum, quando Jesus egressus ibat in desertum locum, turbæ requirebant eum. Et, ut dicit Sanctus Ambrosius, Gratiæ cœlestis impartitur alimentum, non otiosis, non in civitate, quasi in Synagoga, vel sæculi digni-

(tt) *Lib. 2. Commentar. in Lucæ 2. post initium.*

(uu) *Lucæ c. 2. v. 30. & 31. & 32.*

(vv) *Psal. 12. v. 4.*

(xx) *Lucæ cap. 24. v. 36. & 41.*

(yy) *Ad Philipp. cap. 2. vers. 12.*

(zz) *Lib. 6. in Lucam, cap. 9. post init.*

(aaa) *Lib. 9. in c. 20. Lucæ.*

(bbb) *Lucæ cap. 15. vers. 21.*

(ccc) *Ibidem, v. 18. & 19.*

(ddd) *Lucæ cap. 24. vers. 29.*

(eee) *Canticor. c. 3. vers. 4.*

dignitate residentibus, sed inter deserta quærentibus Christum. Qui enim non fastidiunt, ipsi excipiuntur à Christo, & cum ipsis loquitur Dei Verbum, non de sæcularibus, sed de regno Dei. Et, si qui corporalis gerunt ulcera passionis, his medicinam suam libenter indulget. Hucusque Sanctus Ambrosius. En quomodo debemus curare in Dei præsentia nos statuere, ut possimus meliorari. Detinebant turbæ Christum, nè discederet ab eis. Ut notavit etiam Sanctus Ambrosius, præsentior est Deus diligentibus, negligentibus abest. Peccavimus pluries in cœlum, & coram Domino, ut ille Prodigus filius. Surgamus & eamus ad Patrem nostrum. Requiramus dolentes amabilissimum Jesum, & veniamus usque ad ipsum, qui est Pater noster, dicentes: Jam non sum dignus vocari filius tuus: fac me, sicut unum de mercenariis tuis. Dicamus etiam ipsi: Mane nobiscum, discentes hodie ab illis turbis, quæ detinebant Jesum, nè discederet ab eis. Si invenerimus, quem diligit anima nostra, teneamus eum, nec dimittamus.

§. Ter-

§. Tertius.

HOMILIA III.

Super illa verba:

Aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei: quia ideo missus sum. Et erat prædicans in Synagogis Galilææ.



(a) *Ioan. c.3. v.17.*

(b) *Ad Ephes. cap.2. vers.20.*

(c) *1. Petri, cap.2. vers.6.*

(d) *Ad Ephesios c.2. vers.14.*

(e) *In Hymn. laud. Offic. Dedicat. Eccles.*

MISIT Deus Filium suum in mundum, ut salvetur mundus per ipsum: qui quidem est lapis angularis, qui facit utraque unum. Itaque alto ex Olympi vertice Summi Parentis Filius, ceu monte defectus lapis, terras in imas decidens, Domus supernæ, & infimæ utrumque junxit angulum. In hoc natus est Christus, & ad hoc venit in mundum, ut testimonium perhiberet veritati. Ideo hodie in Evangelio dixit: Aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum. Et erat prædicans in Synagogis Galilææ. Meliùs profectò, quàm Elias, zelo zelatus est pro Domino Deo exercituum, dum zelum habebat maximum pro gloria Patris sui ex conversione, & salute æterna hominum resultante. Zelus domus Dei comedit eum, dum zelus illum taliter in vita maximæ pœnalitatis afflixit, & in morte per tot tormenta, & vulnera devoravit, quando astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus: & iniquissimè Judæi scelerati occiderunt ipsum. Isti pessimi Auctorem vitæ interfecerunt, qui, ut ait Sanctus Augustinus, per-

pertulit omnes infirmos eorum, curavit omnes languidos eorum, prædicavit regnum cœlorum, non tacuit vitia eorum, ut ipſa potiùs eis diſplicerent, non medicus, à quo ſanabantur. Ille tamquam agnus innocens ductus eſt ad crucifigendum: & cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur. Videamus ergo zelum Chriſti pro Domino, quando zelavit ſuper iniquos, pacem peccatorum videns: & tabeſcere eum fecit zelus ſuus, quia obliti ſunt verba Dei, inimici ſui. Et ſanè Chriſtus, utpote verus Deus, eſt Dominus fortis, Zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios uſque ad quartam generationem. Hoc eſt autem judicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magìs tenebras, quam lucem: erant enim eorum mala opera. Chriſtus fuit, qui annuntiavit verbum ſuum Jacob: juſtitias, & judicia ſua Iſrael, qui quidem ingratus populus noluit intelligere, ut benè ageret. Ideo Jeſus, qui dilexit juſtitiã, & odio habuit iniquitatem, factus eſt opprobrium vicinis ſuis: extraneus factus eſt fratribus ſuis Hæbræis, & peregrinus filiis matris ſuæ Synagogæ, cui convenit nomen novercæ; & hæc vinea ſua, quando ipſe expectavit, ut faceret uvas, fecit labruſcas. Zelatus eſt Jeruſalem, & Sion zelo magno Chriſtus Dominus, cùm multoties voluit congregare filios Jeruſalem, quemadmodùm gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluit ipſa: quam etiam Civitatem Jeruſalem videns, flevit ſuper illam dicens: Quia ſi cognoviſſes & tu, quia circumdabunt te inimici tui vallo, & ad terram proſternent te: & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem, eo quòd non cognoveris tempus viſitationis tuæ. Miſſus eſt ab Æterno Patre Filius, ut evangelizaret regnum Dei. Si mundus

(f) *Ioan. c.18. v.37.*
(g) *3. Reg. c.19. v.10. & 14.*
(h) *Pſalm.68. v.10.*
(i) *Pſal.2. v.2. & Actor. c.4. v.26. & 27 & 28.*
(j) *Actor. c.3. v.15.*
(k) *In Pſal. 63. ad verſ.2.*
(l) *Reſponſor.7. Matutini Feriæ 5 in Cœna Dom.*
(m) *Reſponſor. 4. Fer.6. in Paraſceu.*
(n) *Matthæi cap.27. verſ.31.*
(o) *Marci c.15. v.20.*
(p) *Lucæ c.23. v.24. & 26.*
(q) *Ioan. c.19. v.16. & 17.*
(r) *1. Petri, cap.2. verſ.23.*
(s) *4. Regum, c.10. verſ.16.*
(t) *Pſal.72. v.3.*
(u) *Pſ.118. v.139.*
(v) *Exodi c.20. v.5.*
(x) *Ioan. c.3. v.19.*
(y) *Pſal.147. v.19.*
(z) *Pſal.35. v.4.*
(aa) *Pſal.44. v.8.*
(bb) *Pſal.88. v.42.*
(cc) *Pſal.68. verſ.9.*
(dd) *Iſai. c.5. v.2. & 4.*
(ee) *Zachar. cap.1. v.14. & c.8. v.2.*
(ff) *Matthæi cap.23. verſ.37.*

per adventum Christi est conversus [quia in omnem terram exivit sonus Apostolorum, Evangelistarum, & Discipulorum Christi Jesu Dei, & hominis, Creatoris, Redemptoris, & Remuneratoris, cui fuerunt illi prædicti testes in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ] zelus Domini exercituum fecit hoc, ut ait Isaias: zelus, scilicet Christi Domini, qui hodie dicebat: Aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum. Et erat prædicans in Synagogis Galilææ. Galilæa interpretatur: Volubilis: ac ipsa Christi Doctrina, in Synagogis Galilææ volubilis, Judæis tunc data, in bonum totius orbis usque ad nos est voluta, ac devoluta, ut si illa benè usi fuerimus, vita perfruamur æterna. Utinam nos Sacerdotes, & Concionatores sequamur vestigia Christi, ejus zelum imitantes. Faciamus, quòd verbum Dei habitare possit inFidelibus abundanter:ac etiam, quòd sancta Domini verba per nos veniant usque ad convertendos infideles. Ad hoc exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei; per arma justitiæ à dextris, & à sinistris: per gloriam, & ignobilitatem; per infamiam, & bonam famam; ut seductores, & veraces; sicut qui ignoti, & cogniti: sicut egentes, multos autem locupletantes. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Hìc jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur: &, ut plorat Sanctus Ber-

(gg) *Lucæ cap.* 19. *v.* 41. *&* 42. *&* 43. *&* 44.

(hh) *Isai. cap.* 9. *v.* 7. *& Psal.* 18. *v.* 5. *& Actor. c.* 1. *v.* 8.

(ii) *Index Biblicus verbo*: Galilæa.

(jj) 1. *Petri, cap.* 2. *vers.* 21.

(kk) *Ad Colossens. cap.* 3. *vers.* 16.

(ll) 2. *ad Corinth. c.* 6. *vers.* 4. *&* 5. *&* 6. *&* 7. *&* 8. *&* 10.

(mm) 1. *ad Corinth. c.* 4. *v.* 1. *&* 2.

(nn) *Ex Homil.* 17. *in Luc.* 10. *ante medium.*

(oo) *Amos c.* 1. *v.* 2.

Bernardus, ecce totus mundus Sacerdotibus plenus est, & rarus jam invenitur operator. Ratio est, quam assignat Sanctus Gregorius Magnus: Ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus: nulla animarum lucra quærimus, ad nostra quotidie studia vacamus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus. Et quia eo ipso, quo ceteris prælati sumus, ad agenda quælibet majorem licentiam habemus: susceptæ benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum! Dei causam relinquimus, ad terrena negotia vacamus; locum sanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur. Hæc Sanctus Gregorius, qui alibi loquens de malis Sacerdotibus, quos comparat aquæ baptismi, quæ postquam baptizatum abluit, ipsa in cloacam descendit, ita dicit: Ingrediuntur electi Sacerdotum manibus expiati regna cœlorum, & Sacerdotes ipsi per vitam reprobam ad inferni supplicia festinant. O quomodò luxerunt speciosa pastorum, & exiccatus est vertex Carmeli! Ulula abies, quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vastati sunt: ululate quercus Basan, quoniam succisus est saltus munitus, dum omnes, quæ sua sunt, quærunt, & non quæ sunt Jesu Christi, ut loquitur Sanctus Paulus. Veniet quidem Dominus servorum illorum, & ponet rationem cum eis: servum à bono opere torpentem damnabit, & benè operantem pro apportato lucro remunerans in cœlorum fastigio constituet. Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Acuet autem duram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum côntra insensatos. Ibunt directè emissiones fulgurum, & tamquam à benè arcuato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum

(pp) *Zachariæ c.11. vers.2.*

(qq) *Ad Philipp., cap.2. vers.21.*

(rr) *Matthæi cap.25. vers.19.*

(ss) *Homilia 10. in Evangel.*

(tt) *Sapientiæ cap.5. v.18. & 21. & 22. & 23. & 24.*

(uu) *Sapient. cap. 1. v.9. & 10.*

(vv) *Isaiæ cap.11. vers.13.*

(xx) *Isai. c.49. v.6.*

(yy) *1. ad Corinth. cap.15. vers.22.*

(zz) *Psal. 73. v.12.* cum insilient. Et à petrosa ira plenæ mittentur
grandines, excandescet in illos aqua maris, &
(aaa) *Matth. cap.5. v.13. & 14.* flumina concurrent duriter. Contra illos stabit
spiritus virtutis, & tamquam turbo venti divi-
det illos: & ad eremum perducet omnem ter-
(bbb) *Lib.1. de Sermon. Domini in Monte cap.6. tom.4.* ram iniquitas illorum, & malignitas evertet se-
des potentium. In cogitationibus impii inter-
rogatio erit: sermonum autem illius auditio ad
eum veniet, ad correptionem iniquitatum il-
(ccc) *Ierem. cap.26. vers.12. & 13.* lius. Quoniam auris zeli audit omnia. Itaque
zelus, quo Christus Dominus zelavit gloriam
Dei, & salvationem animarum, accipiet arma-
(ddd) *Ierem. cap.1. vers.10.* turam ad ultionem malorum ministrorum, se
ipsos amantium,& salutem æternam hominum
despicientium: quia talia operati, facti sunt
(eee) *Ierem. cap.28. vers.9.* Deo, & proximis inimici. Et hæc omnia benè
audivit auris zeli Redemptoris nostri Jesu Chri-
sti. Faxit ipse, ut non auferatur imposterùm
(fff) *2. ad Corinth. cap.2. vers.17.* zelus Ephraim, ut sic benè operantes appropie-
mus nos præmio, & elongemus nosmetipsos à
terribili supplicio. Missus est Filius Dei ab Æter-
no Patre,dante eum in lucem Gentium,ut esset
(ggg) *Isai. cap. 59. vers.17.* salus sua usque ad extremum terræ. Misit eum,
ut vivificaret populum suum. Christus ipse, qui
operatus est salutem in medio terræ,misitSacer-
(hhh) *2. Petri, cap.3. vers.16.* dotes, & Prædicatores, ut sint terræ sal, lux
mundi, ac civitas supra montem posita, id est
fundata super insignem, magnamque justitiam,
(iii) *1. Paralip. c.19. vers.12.* ut Sanctus Augustinus explicat. Dominus mi-
sit nos, ut prophetaremus ad domū istam mun-
di. Ergo, ut Jeremias loquebatur, debemus nos
(jjj) *Matth. cap.28. vers.20.* dicere: Nunc ergo bonas facite vias vestras, &
studia vestra, & audite vocem Domini Dei ve-
stri. Debemus evellere vitia, & destruere pec-
(kkk) *Ioan. cap.8. vers.29.* cata, ædificare virtutes, & plantare bonos mo-
res. Et Propheta, qui vaticinatus est pacem:
cùm venerit verbum ejus, scietur Propheta,
quem

quem misit Dominus in veritate. Nè simus sicut plurimi adulterantes verbum Dei: quia Dominus indutus est vestimentis ultionis, & opertus est quasi pallio zeli: neque etiam simus sicut illi indocti, & instabiles, qui scripturas depravant ad suam ipsorum perditionem. Oremus Dominum, ut nobis auxilio sit: & Christus Filius Dei, & Beatissimæ Mariæ Virginis, qui promisit, nobiscum esse futurum usque ad consummationem sæculi, ille, qui misit nos prædicare, & testificari, nobiscum erit, & non relinquet nos solos, si quæ placita sunt ei, fecerimus semper.



CA-

CAPUT TERTIUM,

In quo apponuntur Evangelia Feriæ Quartæ, & Sextæ, ac Sabbati Quatuor Temporum Septembris, cum illis ipsis respondentibus Homiliis.

SECTIO PRIMA,

In qua apponitur Evangelium Feriæ Quartæ Quatuor Temporum Septembris, cum tribus Homiliis ipsi respondentibus.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Marcum.
cap. 9. vers. 16.

IN illo tempore: Respondens unus de turba, dixit ad Jesum: Magister, attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum: qui ubicumque eum apprehendit, allidit illum: & spumat, & stridet dentibus, & arescit: & dixi discipulis tuis, ut ejicerent illum, & non potuerunt. Qui respondens eis dixit: O generatio incredula quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar? afferte illum ad me. Et attulerunt eum. Et cùm vidisset eum, statim spiritus conturbavit illum: & elisus in terram, volutabatur spumans. Et interrogavit patrem ejus: Quan-

Quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit? At ille ait: Ab infantia: & frequenter eum in ignem, & in aquam misit, ut eum perderet: sed si quid potes, adjuva nos misertus nostri. Jesus autem ait illi: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Et continuò exclamans pater pueri, cum lacrymis ajebat: Credo, Domine: adjuva incredulitatem meam. Et cùm videret Jesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde, & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo: & ampliùs nè introeas in eum. Et exclamans, & multum discerpens eum, exiit ab eo, & factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent: Quia mortuus est. Jesus autem tenens manum ejus elevavit eum, & surrexit. Et cùm introisset in domum, discipuli ejus secretò interrogabant eum: Quarè nos non potuimus ejicere eum? Et dixit illis: Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione, & jejunio.

§. Primus.

HOMILIA PRIMA

Super illa verba:

Elisus in terram, volutabatur spumans.

(a) *Threnor. c. 1. v. 8.* PECCATUM peccavit Jerusalem: propterea instabilis facta est. Stultorum
(b) *Eccle. c. 1. v. 15.* infinitus est numerus, qui quidem stulti sicut luna mutantur. Audi
(c) *Eccli. c. 27. v. 12.* Israel mandata vitæ: auribus percipe, ut scias prudentiam. Quid est, Israel,
(d) *Baruch c. 3. v. 9. & 10. & 11. & 12. & 13. & 14.* quòd in terra inimicorum es? Inveterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis: deputatus es cum descendentibus in infernum. Dereliquisti fontem Sapientiæ: nam si in via Dei
(e) *Genes. c. 4. v. 12. & ibid. v. 10. & 11. & in eodem cap. v. 5.* ambulasses, habitasses utique in pace sempiterna. Disce, ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus: ut scias simul, ubi sit longiturnitas vitæ, & victus, ubi sit lumen oculorum, &
(f) *Genes. c. 11. v. 2. & 3. & 4. & 7. & 8. & 9.* pax. Ecce in hodierno Evangelio proponitur miser homo, qui à dæmonio elisus in terram, volutabatur spumans. In terram peccator à diaboli suggestione eliditur, dum quia ei non vult
(g) *Psal. 105. v. 24.* resistere, per terrena vitia vagatur. Terra ipsa torquet eum hominem, qui terram inordinatè
(h) *Psal. 141. v. 6.* diligit. Vagus, & profugus fuit super terram Cain, qui terram crudeliter irrigavit sanguine
(i) *Eccli. c. 33. v. 3.* sui fratris Abel. Contra eum vox sanguini fratris sui clamabat ad Dominum de terra: itaque
(j) *Eccle. c. 2. v. 4.* maledictus fuit super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris sui de manu Cain. Discant peccatores amatores terræ eam time-

timere, ut supplicium: quia ipsi inordinatè viventes, terræ Cœlum postposuerunt. Respiciant ad Cain, ad quem, & ad munera ejus non respexit Dominus; quia poterunt ab ipso Cain proficuum accipere experimentum, dum videntes eum terram inordinatè ita diligentem, ut illam contra Deum, & fratrem peccans, sanguine madefacere, & rubicundare statuerit, advertant etiam, contra Cain provenire clamorē, & tormentum ab eadem terra, à qua sperare decrevit jucunditatem, & lucrum. Videant delinquentes, nè ampliùs iniquè agant, ut non elidantur in terram taliter torquentem hominem illam contra Dei voluntatem amantem. Nimis dilexerunt terram illi, qui, cùm proficiscerentur de Oriente, invenerunt campum in terra Senaar, & habitaverunt in eo. Dixitque alter ad proximum suum: Venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni. Habueruntque lateres pro saxis, & bitumen pro cemento: & dixerunt: Venite, faciamus nobis civitatem, & turrim, cujus culmen pertingat ad Cœlum: & celebremus nomen nostrum, antequam dividamur in universas terras. Et dixit Dominus: Venite igitur, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui. Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras, & cessaverunt ædificare civitatem. Et idcirco vocatum est nomen ejus Babel, quia ibi confusum est labium universæ terræ: & inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum. Justissimè profectione longinqua, & laboriosa terræ, & orbis itineratione plectuntur, qui taliter elevant terram laterum, ut eam perducere velint ad cœmul. Qui taliter contra Deum peccarunt, & terræ amore affecti fœdissimè superbierunt, in terra,

(k) *Eccli. c. 33. v. 2. & 3.*

(l) *Eccli. c. 34. v. 14. & 15.*

(m) *Psal. 11. v. 9.*

(n) *Psal. 62. v. 10. & 11.*

(o) *Isai. c. 59. v. 5.*

(p) *Psalm. 34. v. 8.*

(q) *Judic. c. 16. v. 20.*

(r) *Psalm. 48. v. 12*

(s) *Lib. 2. de Sermone Domini in Monte, cap. 14.*

ob quam,& per quam peccatum commiserunt, meritò durissimum invenerunt supplicium: ut in terra per labores itineris torquerentur, qui in rebus terræ elevandis pessimè delectabantur.

(t) 2.Reg.c.18.v.9. Nè igitur tanti faciamus terram hujus sæculi vilem, ut sicut alii peccatores fecerunt, pro nihilo habeamus terram desiderabilem, terram promissionis, scilicet, Patriam cœlestem: immò, cùm portio nostra sit in terra viventium, avidissimè hunc cœlestem appetamus Paradisum,

(u) Actor.c.1.v.25. qui tanto erit nobis proximior, ut eum obtinere possimus, quò plùs nobis forduerit, & à nobis despectus, ac calcatus fuerit mundus, qui pedibus nostris suppositus erit gradus, ut ascendamus, erit basis columnæ nostræ elevationis cœlestis. Præcordia fatui quasi rota carri, & quasi axis versatilis cogitatus illius, ait Spiritus Sanctus.

(v) Matth.c.27.v.5. Benè interiora hominis terram diligentis rotæ comparantur, quando rota terræ innititur, & per eam volutatur, sæpissimè ingrediens forditates, & cœnum: quia peccator terræ confidens intimè ei est innixus, ac sic volutatur per terrena vitia, & fœdatur quoti die ab his, quæ inveniuntur in terra. E contrà, sapientis oculi

(x) Actor.c.1.v.18. in capite ejus, dicit etiam Spiritus Sanctus: quia justus elevans ad cœlum oculos, ut videant Christum Caput nostrum in Paradiso, uti sapiens non odit mandata, & justitias, & non illidetur, quasi in procella navis. Utique navis

(y) Genes.c.3.v.1. & 5. & 14. periclitatur, quando per mare in terram impingit, vel saxum eam miserè frangit. Nesciret navis hoc periculum, si ita aqua eam in altum efferret, quòd nihil aliud tangere posset, ut sic ruinas, ac contritiones evaderet. Homo sensatus credit legi Dei, & lex illi fidelis. Spiritus timentium Deum quæritur, & in respectu illius benedicetur. Spes enim illorum in salvan-

vantem illos, & oculi Dei in diligentes se. Cùm itaque adeo diversæ sint sortes justorum, & iniquorum: quare peccatores in terram elidunt, & in circuitu impii ambulant, sicut mola, quæ rotatur in aquæ turbidæ cœno sordido, acuens gladium, in cujus manus [dum introibunt in inferiora terræ damnati à Divina justitia] ipsi discerpendi, resecandi, & torquendi tradentur, sine ipsorum consumptione; ut patiantur sine fine, & rota æternaliter se volvens cruciatuum, respondeat volutationi delictorum? Quarè etiam iniqui terram diligentes, telas araneæ texuerunt toties, & texunt quotidie, ad muscas, videlicet, res vilissimas, & immundas capiendas [quæ velut pennatæ muscæ ab eis avolant, & velut etiam muscæ debiles, & parvæ, brevissimo tẽpore durant] & pro ipsis delectationibus, vel brevissimis, vel non ad eos venientibus, aut ab illis avolantibus, se, araneam imitantes, eviscerant, & laborant peccatores? Qui telas araneæ texuerunt, fortè sicut aranea peribunt. Projicitur multoties in terram cum sua tela, & laqueo ipso suo, quò venabatur, aranea, & ibi moritur calcata, & dissecta: sic peccatores in æternum peribunt irretiti in ipsis laqueis, quos ad aucupandas res mundanas paraverant, & astutiis, ac industriis, quibus ad hoc usi fuerant. In laqueum cadentes in ipsum, à diabolo calcabuntur. Quarè in circuitu etiam viri scelerati, atque impii ambulant, dum assueti iniquitatibus, consuetudine mala implicantur, circumeuntes domos, & occasiones peccati, dicentes forsan: Egrediar, sicut antè feci? videant, quòd, sicut vermes bombycem, unde serica fiunt, è visceribus trahentes, evomunt, & ipsius bombycis filis, & fibris circumeuntes se ipsos claudunt, atque ita vitam amit-

(z) *Deut.c.32.v.24.*

(aa) *Psal.82.v.11.*

(bb) *Ad Ephes.c.4. vers.19.*

(cc) *Eccli.c.10.v.9.*

(dd) *Jerem.6.v.13.*

tunt: ita ipsi peccatores suis assueti iniquitatibus, periculoséque versantes in delictorum occasionibus, aditum ad exeundum multiplicatione occludunt scelerum: & pereunt, dum exituros se judicabant, in priorum facinorum pœnam, ac etiam in posteriorum vindictam. Specialiter avari comparari possunt istis miserrimis bombycis vermibus tam parvo tempore durantibus; immò etiam tam quasi instantaneè pereuntibus. Miseri avari laborant, ut alii suis rebus potiantur: & relinquent alienis divitias suas: & sepulchra eorum domus illorum in æternum. Patietur durum dominum, & perniciosum, quisquis servit mammonæ: sua enim cupiditate implicatus, subditur diabolo. Quid infelicius? Benè hoc notavit Sanctus Augustinus, qui etiam dixit, quòd mammona divitiæ appellari dicuntur; ac etiam, quòd multoties homines habent lucrum in arca, damnum in conscientia. Suspenso Absalom inter cœlum, & terram, mulus, cui insederat, pertransivit. Mulus alium habuit dominum, & Absalom abiit in infernum, dum cœlum eum non admittebat, terra eum aversabatur, ut notavit Sanctus Joannes Chrysostomus. Et, quando tulit Joab tres lanceas, & infixit eas in corde Absalom, significatum fuit, ait Glossa, quòd homo terrenus damnatus configitur in inferno tribus lanceis, pœna ignis, pœnæ vermis, pœna carentiæ visionis. Prævaricatus est Judas, ut abiret in locum suum, cùm projectis argenteis, recessit, & abiens laqueo se suspendit; & suspensus crepuit medius, & diffussa sunt omnia viscera ejus. Neutiquam fuisset suspensus, evisceratus, nec damnatus, nisi fuisset adeò avarus, ac taliter pecuniæ, & terrenis rebus addictus. Nunc in inferno fremens volutatur spumans,

(ee) *Psalm.* 13. *v.* 1.

(ff) *Actor. c.* 5. *v.* 4.

(gg) *Psal.* 17. *v.* 46.

(hh) 4. *Reg. cap.* 18. *vers.* 21.

mans,& ibi erit æternaliter etiam,quia in terram elisus, & ad eam applicatus hanc voluit agere vitam. Serpens callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus, se ipsum seducens, Patres nostros in Paradiso occidit, & destruxit sua iniqua persuasione, ac mortem cum damnis innumeris generi humano invexit per illud peccatum Adæ. Sibi ipsi mala diabolus intulit, cùm nobis taliter nocuit: non remansit serpens à punitione immunis; quia maledictus est inter omnia animantia, & bestias terræ, & terram comedet omnibus diebus vitæ suæ. Super pectus suum etiam serpens gradietur. Ecce quomodò in terra per totum corpus reptans patitur, & terram comedens torquetur. Sic miseri avari, & mundani, dum sibi sapientes, ac Deo sunt rebellantes, per terram miserè trahuntur, & terram deglutientes cruciantur. In furore igitur trahentium super terram, atque serpentium, jam disperierunt in Endor, facti sunt ut stercus terræ: & dati sunt in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam: & quando avaro nihil est scelestius, quarè tot,& ferè omnes mortales,ut plangit Propheta,à majori usque ad minorem avaritiæ student? Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Sed notandum est, quòd dæmoniacus hic, de quo dicit Evangelium: Volutabatur spumans, ab infantia habebat spiritum mutum, qui ubicumque eum apprehendebat, allidebat illum: & spumabat, & stridebat dentibus, & arescebat. Quia, cùm alia vitia tractu, & processu temporis aliquando tollantur, pessimus spiritus mutus avaritiæ ita possidet hominem ipsi ab infantia deditum,ut quò homo senior,eò evadat avarior. O infelices avari, qui taliter voluta-

(ii) *Matthæi cap.6. vers.24.*

(jj) *1. ad Timoth. cap.6.v.9.& 10.& 11.& 12.*

lutamini spumantes, quando in terram elidimini ob vim,& pondus vestri avaritiæ peccati muti, ac raró se prodentis per vestra verba in confessione! Videtur vobis servientibus avaritiæ,quòd justæ datis operam providentiæ. Culpam vestram muti nec cognoscitis, neque confiteri vultis: ideoque plerùmque ægri permanentes, morti æternæ adscribimini, quia ob vestram cęcitatem medicaminis remedium nō lucramini. Vos miseri, qui in Baptismo testificati estis coram Domino, quòd diabolo, & pompis ejus renuntiabatis; avaritiam amplectentes, & servantes in corde vestro ab infantia usque ad senium, non estis mentiti hominibus, sed Deo: & ut filii alieni, mentiti estis ei, & claudicastis à semitis vestris, claudicantes etiam in duas partes, volentes Deo servire, & mammonæ: itaque vos, qui vultis divites fieri, inciditis in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum,& perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas: quam quidem appetentes,erraverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.Nos ergo, Fratres, hæc fugiamus: sectemur verò justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. Certemus bonum certamen fidei, apprehendamus vitam æternam, in qua vocati sumus, & confessi bonam confessionem coram multis testibus.

§. Se-

§. Secundus.

HOMILIA II.

Super illa verba:

Jesus autem tenens manum ejus, elevavit eum, & surrexit.



OPERI manuum suarum porrexit dexteram ille Deus homo Jesus verus noster Dominus, qui allevat omnes, qui corruunt, & erigit omnes elisos, quando juxta hodiernum Evangelium, liberato jam à potestate diaboli illo misero homine, qui anteà elisus in terram volutabatur spumans, Redemptor piissimus tenens manum ejus, elevavit eum, & surrexit. Itaque illum refecit, elevavit, & ad surgendum juvit ipse clementer, qui cū de nihilo creavit misericorditer. Quis ignorat, quòd omnia hæc manus Domini fecerit? siquidem Jesus est Deus, in cujus manu anima omnis viventis, & spiritus universæ carnis hominis. Nudus est infernus coram illo, & nullum est operimentum perditioni. Qui extendit Aquilonem super vacuum, & appendit terram super nihilum. Qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum. Qui tenet vultum solii sui, & expandit super illud nebulam suam. Terminum circumdedit aquis, usque dum finiantur lux, & tenebræ. Columnæ cœli contremiscunt, & pavent ad nutum ejus. In fortitudine illius repentè maria congregata sunt, & prudentia ejus percussit superbum. Spiritus ejus ornavit cœlos; & obstetricante manu ejus, eductus est coluber tortuosus. Ecce hæc

(a) *Job c.14. v.15.*

(b) *Psal. 144. v.14.*

(c) *Isai. c.41. v.20. & Iob c.12. v.90.*

cx

ex parte dicta sunt viarum ejus: & cùm vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri? Hucusque S. Job depinxit aliquomodo Divinæ Majestatem Potentiæ. Ecce quis & quantus est Dominus Jesus verus Deus, & homo Creator cœli, & terræ, ac Redemptor generis humani, qui miserum hominem hodie eripuit à dæmone. Obstetricante profectò manu ejus, eductus est ab illo corpore diabolus coluber tortuosus, qui ut talis, tortuositate suæ malitiæ, invidiæ, voluntatisque perversæ Deo rebellis, & hominibus infensæ, valdèque noxiæ, exire ab illo, quem possidebat, magnopere recusabat. Ipsum, utpote tortuosum, Apostoli non rejecerunt, quia ad hoc non assumpserant media orationis, ac jejunii, quibus opus erat, ultra potestatem exorcizandi. Sed jam manum hominis istius à diabolo liberi tenet ille, in cujus manu sunt omnes fines terræ. Jam miserè prostratum elevat Jesus, cujus manus tornatiles aureæ plenæ hyacinthis; qui suscitat è pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem: qui adjuvit pauperem de inopia: & parcet pauperi, & inopi, & animas pauperum salvas faciet. Istum ergo potentissimum, ac piissimum Dominum in nostris invocemus necessitatibus, ab eo petentes auxilium. Non ergo Ægypto demus manus, & Assyriis, ut saturemur pane, quia ab istis, lassis non datur requies nunc, neque dabitur mancipiis diaboli in æternum, & in sæculum sæculi, sed erunt æternaliter sub jugo intolerabili potestatis tyrannicæ dæmoniorum: Potius igitur [siquidem dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit nos] non moriamur, sed vivamus vita gratiæ, fugientes à morte, & captivitate peccati, & narremus opera Domini, qui castigans

(d) *Iob c. 26. v. 6. & reliquis usque ad finem ipsius cap.*

(e) *Psalm. 94. v. 4.*

(f) *Canticor. cap. 5. vers. 14.*

gans castigavit nos, & morti non tradidit nos, dum usque nunc nos eripuit à merita damnatione pro sua infinita pietate. Deus noster est Jesus;in manibus suis sortes nostræ,quamvìs anima nostra in manibus nostris sit semper, & nè illam perdamus in æternum, ut etiam eruat à framea animam nostram, & de manu canis unicam nostram; tenuit manum dexteram nostram, & in voluntate sua deduxit nos, & cum gloria assumpsit nos: & super excelsa nostra deducet nos victor in psalmis canentes. Dominus illuminatio nostra, & salus nostra: quem timebimus? Dominus protector vitæ nostræ: à quo trepidabimus? Dum appropiant super nos nocentes, ut edant carnes nostras. Qui tribulant nos inimici nostri, ipsi infirmati sunt, & ceciderunt. Memores igitur simus mandatorum Domini ad faciendum ea: & memor erit ipse verbi sui servis suis, in quo nobis spem dedit. Meminerimus, qualiter salvi facti sunt Patres nostri. Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non salvavit eos. Sed dextera Dei, & brachium illius, & illuminatio vultus ejus: quoniam complacuit in eis. Beneplacitum est Domino in populo suo:& exaltabit mansuetos in salutem. Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis: exaltationes Dei in gutture eorum. Deus utique fortitudo nostra: quia Dominus fortitudo plebis suæ; & protector salvationum Christi sui est. Faxit ipse ut salvum faciat populum suum, & benedicat hæreditati suæ: & regat eos, & extollat illos usque in æternum. Deus auxilii nostri: & spes nostra in Deo est. Hominem, de quo hodie Evangelium loquitur, Jesus tenens manum ejus levavit, & tunc homo ipse surrexit. Tenet utique Deus nostram manum, dum

(g) 1. *Reg. c. 1. v. 8.*

(h) *Psal. 106. v. 41.*

(i) *Psal. 71. vers. 13.*

(j) *Threnor. c. 5. (ubi est oratio Ierem.) vers. 5. & 6.*

(k) *Psal. 117. v. 16. & 17. & 18.*

(l) *Psal. 30. vers. 16.*

(m) *Psal. 118. v. 109.*

(n) *Psal. 21. vers. 21.*

(o) *Psalm. 72. v. 24.*

(p) *Habacuc cap. 3. vers. 19.*

(q) *Psal. 26. vers. 1. & 2.*

nos misericorditer conservat: levat nos, quando per gratiam excitat, & juvat: ac sic gratiæ cooperantes possumus surgere per opera salutaria, ac vitæ æternæ meritoria, ut, dum magnificaverit Dominus facere nobiscum, æternam vitam consequentes, facti simus lætantes. Exurge Domine Deus, exaltetur manus tua: ne obliviscaris pauperum. Firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua. Dum qui loquuntur mala adversus animas nostras, viderunt nos, & moverunt capita sua, adjuva nos Domine Deus noster: salvos nos fac secundùm misericordiam tuam. Et sciant, quia manus tua hæc, & tu Domine fecisti eam. Et quando non intellexerunt opera Domini, & in opera manuum ejus, destrues illos, & non ædificabis eos. Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt. Maledicent illi, & tu benedices: qui insurgunt in nos confundantur, servi autem tui lætabimur. Sed notandum est in hodierno Evangelio, quòd dæmoniacus jam liber non restitit manui Christi Domini, dum piissimè ipse manum hujus homini tenuit. Tradidit manum: ideo Redemptor noster Jesus tenuit manum ejus, levavit eum, & ille surrexit. Si manum ipse retraheret, forsitan Jesus non eum levaret, nec ipse miser surgere posset. O quoties extendit Deus manum, & non est qui aspiciat! Ideo inter nos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Sanarentur, fortes fierent, à somno, & à morte liberarentur, si extendente Deo manum ad eorum levamen, & adjutorium, ipsi manum, benè aspicientes tantam misericordiam, dare Deo vellent, ut auxilium Divinum lucrifacerent. Quoties extendit manum Dominus volens nos eripere a luto peccati, ut non infigamur damna-

(r) *Psal.102. v.18.*
(s) *Psal.118. v.49.*
(t) 1. *Machabaor. cap.4. vers.9.*
(u) *Psal.43. vers.4.*
(v) *Psal.149. v. 4. & 5.*
(x) *Psalm. 27. v.8. & 9.*
(y) *Psal.61. v. 8.*
(z) *Psalm.125. v.3.*
(aa) *Psal.10. v.12.*
(bb) *Psal.88. v.15.*
(cc) *Psal.108. v.20. & 25. & 26. & 27.*
(dd) *Psal. 27. v. 5.*
(ee) *Psalm.20. v. 9.*
(ff) *Psal.108. v.28.*

mnationi æternæ præ lubrica peccandi consuetudine, & nos nolumus tali, ac tam magnæ pietati correspondere! Eja igitur satagamus obedire illius gratiæ multipliciter vocanti: manus constantes extendamus ad eum, qui docet manus nostras ad prælium, & digitos nostros ad bellum: quia ipse est misericordia nostra, & refugium nostrum, adjutor noster, & liberator noster: qui talia si fecerimus, elevabit nos, ac sic surgere poterimus. Levemus ad eum puras manus, ut nos hortatur Apostolus: & retribuet nobis Dominus secundum justitiam nostram, & secundum puritatem manuum nostrarum in conspectu oculorum ejus, retribuet nobis: ac etiam in eo eripiemur à tentatione, & in Deo nostro transgrediemur murum, persequemur inimicos nostros, & comprehendemus illos, & non convertemur, donec deficiant: cadent subtus pedes nostros. Elevavit Jesus hominem, à quo diabolum sua Omnipotentia expulerat: & homo surrexit; nec posteà elisus in terram volutabatur spumans, quia justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Sed cùm hoc ita sit, Jesu piissime, quarè aliquando tuum Christianum populum talia vis pati, ut videatur, te ipsum tribulationum multitudine laborantem deseruisse, si istud fas nobis esset cogitare? Ut quid avertis manum tuam, & dexteram tuam, de medio sinu tuo in finem? Tuus est dies, & tua est nox: tu fabricatus es auroram, & solem. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi. Vide Domine afflictionem nostram, quoniam erectus est inimicus. Ostendisti populo tuo dura: potasti nos vino compunctionis. Repleta est malis anima nostra, & vita nostra inferno appropinquavit. Æstimati sumus cum descendentibus in lacum: sicut vul-

(gg) *Proverb. cap.* 1. *vers.* 24.

(hh) 1. *ad Corinth. cap.* 11. *vers.* 39.

(ii) *Psalm.* 68. *v.* 15.

(jj) *Psal.* 143. *v.* 1. & 2.

(kk) 1. *ad Timoth. cap.* 2. *vers.* 8.

(ll) *Psal.* 17. *v.* 30. & 38. & 39.

(mm) *Sapient. c.* 3. *vers.* 1.

(nn) *Psal.* 73. *v.* 11.

(oo) *Psal.* 73. *v.* 16. & 19.

(pp) *Threnor. cap.* 1. *vers.* 9.

nerati dormientes in ſepulchris, quorum non es memor amplius: & ipſi de manu tua repulſi ſunt. O Domine! Peccata noſtra reſponderunt nobis. Hoc accidit nobis, quoniam non obedivimus præceptis tuis. Meritò hæc patimur, qui peccavimus, ò bone Jeſu, in te fratrem noſtrum: & vendentes te vili pretio præ amore peccati, venumdati ſumus, ut faceremus malum. Quia priùs tua gratia in ſacro fonte Baptiſmi exaltati, poſteà te derelinquentes, & poſt noſtra peccata ambulantes, nec tuæ adjutrici manui attendentes, aut brachia pro nobis extenſa in Cruce conſiderantes; dereliquimus Dominũ, qui fecit, & redemit nos: ideo humiliati ſumus, & conturbati in pœnam tam maximi noſtri delicti: in nos tranſierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbaverunt nos: elongaſti à nobis amicum, & proximum, & notos noſtros à miſeria. Super nos confirmatus eſt furor tuus: & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper nos. Longè feciſti notos noſtros à nobis: poſuerunt nos abominationem ſibi: traditi ſumus, & non egrediebamur: oculi noſtri langueruns præ inopia. Intende in adjutorium noſtrum, Domine Deus ſalutis noſtræ. Converte nos Domine, & convertemur. Tene Domine manus noſtras, & eleva nos, & ſurgemus. Miſcentur amaritudines vitæ temporali, ut æterna deſideretur, dicebat tuus amicus Magnus Sanctus Doctor Auguſtinus. Eja ergo Domine, juxta quod etiam ipſe Sanctus Doctor dixit: eja, dulciſſime Jeſu, hìc ure, hìc ſeca, hìc non parcas, ut in æternum parcas. Et dummodo teneas manus noſtras, & leves nos, & ſurgamus ad eumdum in cęlum; utinam in nos vertas, & convertas manum tuam: tangat nos manus tua per labores, & plagas: quamvis fiat ſuper nos graviſſima valdè

(qq) *Pſal.* 59. *v.* 5.

(rr) *Pſal.* 87. *verſ.* 4. & 5. & 6.

(ſſ) *Iſai. c.* 59. *v.* 12.

(tt) *Tobiæ c.* 3. *v.* 4.

(uu) *Geneſ. cap.* 42. *verſ.* 21.

(xv) 1. *Machabæor. cap.* 1. *verſ.* 15.

(xx) *Pſal.* 87. *v.* 16. & 17. & 19. & *ibid. verſ.* 8. & 9. & 10.

(yy) *Pſal.* 37. *v.* 23.

(zz) *Jerem. cap.* 31. *verſ.* 18.

(aaa) *Threnor. c.* 3. *verſ.* 3.

(bbb) *Job c.* 19. *v.* 21.

(ccc) 1. *Regum, c.* 5. *v.* 12. & *c.* 6. *v.* 3.

dè manus tua, Deus noster. Tunc curabimur, & sciemus, quarè non recedat manus tua à nobis.

§. Tertius.

HOMILIA III.

Super illa verba:

Hoc genus dæmoniorum in nullo potest exire, nisi in oratione, & jejunio.



ONA est oratio cum jejunio, dixit Sanctus Archangelus Raphael, qui missus est, ut curaret Tobiam seniorem, & Saram, quorum uno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatæ. (a) *Tobiæ c.12.v.8.* Dæmonium à Sara ipse Angelus Domini compescuit, & Tobiam seniorem [qui contigit, ut fieret cęcus] videre fecit lumen cœli. (b) *Tobiæ c.3.v.25.* Sed anteà Tobias apud Ninnivem numquam contaminatus est in escis Gentilium, & relinquens aliquando prandium, jejunus pervenit ad corpus unius ex filiis Israel, qui jugulatus jacebat in platea. (c) *Ibidem, c.12.v.3.* Sara filia Raguelis in Rages civitate Medorum tribus diebus, & tribus noctibus non manducavit, neque bibit; sed in oratione persistens, cum lacrymis deprecabatur Deum: quem etiam Tobias longa oratione alloquebatur, quando ingemuit, & cœpit orare cum lacrymis. In illo tempore exauditæ sunt preces amborum in conspectu gloriæ summi Dei. (d) *Ibidem, c.1.v.12. & c.2.v.3. & cap.3. v.7. & 10. & in eodem cap. v.1. & 24.* Adeò ergo bona est oratio cum jeju-

jejunio, ut contraria sit dæmoniis, à quibus liberari poterimus orantes, & jejunantes. Christus Dominus ait in hodierno Evangelio: Hoc genus dæmoniorum in nullo potest exire, nisi in oratione, & jejunio. Sanctus Petrus Apostolus hortatur nos, ut diabolo resistamus fortes in fide: anteà vero docet nos, dicens: Sobrii estote, & vigilate [utique ad orandum: nam alibi dixit: Estote prudentes, & vigilate in orationibus.] Itaque [sicut dicitur in Prophetia Baruch, à multis factum] ploremus, & jejunemus, & oremus in conspectu Domini: & ut nos hortatur nostra Mater Sancta Romana Ecclesia, jejunemus, & ploremus ante Dominum: quia benignus, & misericors est, & præstabilis super malitia: ut, ipso auctore, & adjutore, abjicientes omnem immunditiam, & abundantiam malitiæ, resistamus diabolo; & fugiet à nobis ille pessimus hostis noster, & inimicus, cujus invidia mors introivit in orbem terrarum. Fecerunt filii Israel secundùm quod constituerat eis Sacerdos Domini Eliachim. Et clamavit omnis populus ad Dominum instantia magna, & humiliaverunt animas suas in jejuniis, & orationibus. Et ecce, cùm omnis Assyriorum exercitus decollatum Holofernem audisset, fugit mens, & consilium ab eis, & solo tremore, & metu agitati fugæ præsidium sumunt. Sicut consecuti sunt victoriam filii Israel orationibus, & jejuniis expellentes Assyrios: ita & nos expellentes dæmonia, de eis triumphabimus, & eos fugere faciemus, jejunantes, & orantes, secundùm quod constituit nobis in Evangelio Summus Dei Sacerdos Deus, & homo Jesus Christus. Nam quis magìs Sacerdos Dei Summi, quàm Dominus noster Jesus Christus? ait Sanctus Martyr, & Doctor Cyprianus, cujus opera inge-

(e) *1. Petri, c. 5. v. 9. & ibidem, vers. 8. & c. 4. v. 7.*

(f) *Baruch, c. 1. v. 5.*

(g) *Eccles. Roman. in Benedictione, & impositione Cinerum, Feria quarta post Dominicam Quinquagesimæ.*

ingenii clariora sunt sole, ut notat Sanctus Hieronymus. Dicamus ergo: Ego verò orationem meam ad te Domine: tempus beneplaciti Deus. Et operui in jejunio animam meam. In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me: in veritate salutis tuæ. Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum. Intende animæ meæ, & libera eam: propter inimicos meos eripe me. Effunde super eos iram tuam: & furor iræ tuæ comprehendat eos. Videant pauperes, & lætentur: quærite Dominum, & vivet anima vestra. Ergo, si à dæmonibus liberari volumus, jejunemus, & orationi instemus: ut à nobis, & à proximis nostris hoc genus dæmoniorum per orationem, & jejunium expellatur. Signanter, & magno mysterio dixit in verbis relatis David: Operui in jejunio animam meam: quia anima jejunio operitur, custoditur, & servatur, quasi clypeo. Defendit caput clypeus ab ictibus adversariorum; jejunium animam protegit à tentationibus dæmonum. Pectus etiam, & brachium recipiunt à clypeo tutamen: cor, & operatio nostra per jejunium accipiunt contra diaboli astutiam munimen. Itaque si clypeo quisque protectus, nec ab inimico læsus, illum audacter facit fugere præ formidine: etiam defensus armis jejunii dæmonia abigens, efficitur ipsis terribilis, ac eos in fugam agit. Bene etiam David dixit: Ego verò orationem meam ad te Domine: tempus beneplaciti Deus. Ratio est: quia respexit Dominus in orationem humilium: & non sprevit precem eorum: & beneplacitum est Domino super timentes eum: & qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur: & ipse liberabit eum de laqueo venantium, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in

(h) *Iacobi c. 1. v. 21. & c. 4. v. 7.*

(i) *Sapient. c. 2. v. 24.*

in tenebris, ab incursu, & dæmonio meridiano. Diximus, maximam esse vim jejunii: magna etiam est valde orationis efficacia, ut dæmonia abigantur, & ab eis homines liberentur. Oratio fidei salvabit infirmum: & si in peccatis sit, remittentur ei. Magnus dæmon peccatum est, ait Sanctus Joannes Chrysostomus. Christus nos luctatores contra diabolum fecit, dicit Sanctus Augustinus. Ejicit oratio [præparativè, & in quantùm obtinet Divinum auxilium ad faciendam bonam confessionem Sacramentalem, & verè pœnitendum] ab hominibus peccata: ergo expellit modo dicto truculentiora dæmonia. Dirigatur Domine oratio nostra sicut incensum in conspectu tuo: ut sicut incensum fetores abigit, sic oratio, quatenùs nos præparat ad veram pœnitentiam, dæmones se fugare, manifestet. Dum draco pugnabat, & Angeli ejus, ille, & isti non prevaluerunt, neque locus inventus est eorum ampliùs in cœlo. Videtur ratio, quia Michael præliabatur cum dracone: & Michael est, qui cum diabolo disputans aliquando altercabatur: & dixit: Imperet tibi Dominus. Sciebat itaque Michael Princeps Militiæ Angelicæ scutum orationis, & deprecationis contra diabolum sumere. Ideo videtur, tam feliciter Michaelem victorem evasisse, & draconem cum sociis ipsius à cœlo fugasse, exterminasse, & expulisse. Erimus & nos ovantes, ac diabolo evademus fortiores, ipsum magna felicitate ejicientes, si recurrentes ad Deum, orationis muniamur præsidiis, & talibus fortissimis contra dæmones uti voluerimus armis. Oratio humiliantis se nubes penetrabit. Penetrat nubes fulmen, quod de cœlo impetuosè venit: penetrat etiam oratio, quæ ardenter ad Deum vadit. Mira res est efficacia fulminis descendentis;

(j) *Iudith c.4. v.7. & 8. & c.15. v.1.*

(k) *Lib.2.epist.3.sub init.*

tis; mirabilior tamen vis ascendentis orationis. Fulmen cadit, ut destruat; oratio erigitur, ac dirigitur, ut proficiat, & perficiat. Conturbat mundum, dum cadit, & nubes penetrat, fulmen; sed oratio scandens, nubesque etiam penetrans, est simul cœlum lætificans. Tremunt homines ob horrorem fulminis; sed gaudent Angeli præ alacri, ac pulchra virtute orationis. Mirabilis penetratio utraque, sed una horrisona, alia delectabilis, utilis, & honesta; dum quantum deterrent nubes penetrantia fulmina, tantum gaudere faciunt, quando nubes penetrant, orationis se humiliantis validissima, ac efficacissima verba. Oratio justi, dicit Sanctus Augustinus, clavis est cœli. Ascendit precatio, & descendit Dei miseratio. Oratio igitur nostra in sinu nostro convertatur. Sit in sinu: hoc est, orationem magni faciamus, & ex toto nostro sinu, atque corde deprecemur. In sinu nostro orationem igni charitatis concoquamus, ut sic ardenter, ac proinde efficaciter oremus. Sic Eliam imitantes, oratione orabimus, & sic orationes nostræ tali ardore in sublime evectæ, sicut in Elia, ardere monstrabunt nostra verba, quasi faculæ. Orantes ex corde faciemus, quòd ex præcordiis sonent præconia: & non erimus, sicut illi, de quibus dictum est: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Si Deus aliquando, cum clamaverimus, & rogaverimus, excluserit orationem nostram, ut lamentabatur de se Jeremias: imposterùm scrutemur vias nostras, & quæramus, & revertamur ad Dominum. Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos. Nos iniquè egimus, & ad iracundiam provocavimus: idcirco Deus inexorabilis est. Operuit in furore, & percussit nos: occidit, nec pepercit. Oppo-

(l) *Lib. de Scriptorib. Ecclesiastic.*

(m) *Psal. 68. v. 14. & ibid. v. 11. & 16. & 19. & 25. & 33.*

(n) *Psal. 101. v. 18.*

(o) *Psal. 146. v. 11.*

(p) *Psalm. 90. v. 1. & 3. & 6.*

(q) *Iacobi c. 5. v. 15.*

(r) *Tract. 33. in Ioan. post init.*

(ſ) *Psal. 140. v. 2.*

posuit nubem nobis, nè transeat oratio, sed oratio humiliantis se etiam nubes penetrabit, ut notatum est. Petamus, & accipiemus: quæramus, & inveniemus: pulsemus, & aperietur nobis. Communicata tribulatione, conjungamus orationem, ait Sanctus Augustinus. Impossibile est, preces multorum non exaudiri. Hæ orationes, quando Deus opposuerit nubem, nè transeat oratio, debent esse talis perseverantiæ, & humilitatis multorum, ut cujusque oratio humiliantis se etiam nubes penetret, cùm à Christo Domino dictum sit: Si duo ex vobis consenserint super terrã, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est. Deum oremus ferventer: & si vigilaverimus in orationibus, mutuam in nobisinetipsis charitatem continuam habentes, resistemus diabolo: & ad hoc, & ad multa alia proderit oratio nostra; siquidem nullum est tam premens labor, à quo per orationem non possimus liberari, neque periculum, ex quo per eam nequeamus egredi, dummodo periculum non amemus, sed potius illud timeamus, illud fugiamus, & ab eo elongemur. Si periculum etiam tale fuerit, quia corporale, vel quoad temporalia tantùm, ut illud ob Dei gloriam, & animarum lucrum diligere nobis sit licitum, etiam quandoque ab hoc corporali, vel temporali periculo virtute orationis ob Dei placitum eripiemur. Quamvis jam producturus esset Sanctum Petrum Herodes, & in ipsa nocte esset Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus, quando custodes ante ostium custodiebant carcerem: ecce Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo, percussòque latere Petri, excitavit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus ejus. Et exiens seque-

(t) *Apocalyps. c. 12. vers. 7. & 8.*

(u) *Epist. Judæ, v. 9.*

(v) *Eccli. c. 35. v. 1.*

(x) *Serm. 1. in Dominic. 15. post Pentec. qui est 226. de temp. aliàs 65. in append. de divers. tom. 10.*

(y) *Psal. 34. v. 13.*

(z) *Iacob, c. 5. v. 17.*

(aa) *Eccli. c. 48. v. 1.*

(bb) *In Hymno Matutini Solemnitatis SS. Corporis Christi, vers. 1.*

quebatur eum. Transeuntes autem primam, & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ultrò aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum unum. Et Petrus ad se reversus dixit: Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Judæorum. Quarè, quæso, totum hoc est factum? Quarè, & quomodò Sanctus Petrus à tali est labore ereptus, & à periculo maximo liberatus? Ratio est, quia quando Petrus servabatur in carcere, oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. Jungebatur orationi jejunium verosimiliter: ac sic istis armis [ut ostenderetur vis, & efficacia orationis, maximè quando fit à multis junctis alicujus perfectæ communitatis abstinenter, & temperanter viventis] Sanctus Petrus à carcere ereptus, & per ejus liberationem, in Herode diabolus cum tota inferni fortitudine, atque potestate est victus. Jungamus igitur orationi jejunium, & victores contra dæmonia evademus. Cùm timeretur maximè ab Israelitis potentia Antiochi Eupatoris, præcepit Judas Machabæus populo, ut die, ac nocte Dominum invocarent, quò, sicut semper, & nunc adjuvaret eos. Omnibus itaque simul id facientibus, & petentibus à Deo misericordiam cum fletu, & jejuniis per triduum continuum prostratis: & dato signo suis Dei victoriæ, Judas nocte aggressus aulam Regiam, in castris interfecit viros quatuor millia, & maximum elephantorum cum his, qui superpositi fuerant: summoque metu, ac perturbatione hostium castra replentes, rebus prosperè gestis abierunt. Hoc autem factum est die illucescente, adjuvante eum Domini protectione. Ad res magnas, ut ista victoria fuit, proficit

(cc) *Matth.* 15. *v.* 8.

(dd) *Threnor. c.* 3. *v.* 8. *&* 40. *&* 41. *&* 42. *&* 43. *&* 44.

(ee) *Eccli. c.* 35. *v.* 1.

(ff) *Ioan. c.* 16. *v.* 24.

(gg) *Matthæi, c.* 7. *vers.* 7.

(hh) *In Psal.* 54. *ad* 1. *vers.*

(ii) *Matth. c.* 18. *v.* 19.

(jj) 1. *Petri, c.* 4. *v.* 7. *&* 8.

(kk) *Actor. cap.* 12. *v.* 6. *&* 7. *&* 9. *&* 10. *&* 11. *& ibid. vers.* 5.

(ll) 2. *Machabæor. cap.* 13. *v.* 10. *&* 12. *&* 15. *&* 16. *&* 17.

(mm) *Actor. c.* 13. *v.* 1. *&* 2. *&* 3. *& c.* 14. *v.* 3.

cit

cit non parùm, quòd uniantur simul oratio, atque jejunium, quibus hostes animæ, corporisque exterminantur. Erant in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ, & Doctores. Ministrantibus autem illis Domino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes, & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos. Ideo Saulus, & Barnabas fiducialiter egerunt in Domino, testimonium perhibente verbo gratiæ suæ, dante signa, & prodigia fieri per manus eorum.

SECTIO II.

In qua apponitur Evangelium Feriæ sextæ Quatuor Temporum Septembris, cum tribus illi correspondentibus Homiliis.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam.
cap. 7. vers. 36.

IN illo tempore: Rogabat Jesum quidam de Pharisæis, ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi discubuit. Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quòd accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti: & stans retrò secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat. Videns autem Pharisæus, qui vocaverat eum, ait intra se dicens: Hic si esset Prophe-

pheta, sciret utique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum: quia peccatrix est. Et respondens Jesus, dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister, dic. Duo debitores erant cuidam fœneratori: unus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eum plùs diligit? Respondens Simon dixit: Æstimo, quia is, cui plùs donavit. At ille dixit ei: Rectè judicasti. Et conversus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, & capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti: hæc autem ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti: hæc autem unguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Cui autem minùs dimittitur, minùs diligit. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata. Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? Dixit autem ad mulierem: Fides tua te salvam fecit: vade in pace.

§. Primus.

HOMILIA PRIMA,

Super illa verba:

Lacrymis cępit rigare pedes ejus.



Uasi dira passus, incipe plorare, ait in libro Ecclesiastici Sacer Textus. Verè Maria Magdalena, quando fuit peccatrix, potest dici, quòd passa est dira, quia verum est, quòd magna fecit peccata: atque in ipsis litteris sui simul nominis, & cognominis habet memoriam ipsorum malorum, quæ eam valde plorare fecerunt. Pro Maria Magdalena potest dici: Grandia mala mea, per purum anagrama: quasi dicat hæc jam fęlix, quia verè conversa, peccatrix: Grandia mala mea [quæ passa sum, & quæ in æternum pati me inferni pœnas fecissent, nisi in me reversa, Dei aspirante gratia, tandem pœnitentiam egissem] ipsa me ad luctum provocant: Grandia mala mea peccatorum commissorum [dum illorum recordor, quæ flendi dant mihi materiam] sunt, propter quæ incipio fundere lacrymas, quibus pedes Christi possim rigare, maximo perculsa dolore. Dira profectò fuerunt Magdalenæ peccata: crudelia contra eam sua extiterunt delicta: ideo quasi dira passa incepit plorare, dum lacrymis cœpit rigare pedes Jesu, ex toto corde conversa. Tunc, ut dicit Sanctus Augustinus, accessit immunda, ut rediret munda: accessit ægra, ut rediret sana: accessit confessa, ut rediret professa. Audientes vocem Angeli, filii Israel in Loco flentium, elevaverunt vocem suam,

(a) *Eccli.c.38.v.16.*

(b) *Lib.50.Homiliar. Homil.23.tom.10.*

(c) *Iudic.c.2.v.1. & 4. & 5.*

(d) *Eccles. in Introitu Missæ Festi Circumcis. Domini.*

(e) *Ad Hebræos, c.2.v.16.*

(f) *Serm.4. de Epiphan.*

(g) *Tract.28. in Ioannem.*

ftuam, & fleverunt. Et vocatum eft nomen loci illius: Locus flentium, five lacrymarum: immolaveruntque ibi hoftias Domino. Vocatum eft nomen Iefu: Magni confilii Angelus, quamvis verum fit, quòd Chriftus nufquam Angelos apprehendit, fed femen Abrahæ apprehendit, hoc eft, non habet, qui eft vocatus magni confilii Angelus Redemptor nofter, affumptam naturam Angelicam, affumpfit folùm humanam: & in una Filii Dei Divina perfona habet duas naturas, Divinam, quia verus eft Deus, humanam, quia verus eft etiam homo. Ideò dicit Sanctus Leo Magnus: [in cujus feftivitate hoc fcribitur] In Chrifto uno, & eodem, vera Deitas, & vera credatur humanitas: Deitas, qua ante omnia fæcula in forma Dei æqualis eft Patri: Humanitas, qua noviffimis diebus in forma fervi unitus eft homini. Et ut ait Sanctus Auguftinus: Dominus nofter Jefus Chriftus femper hoc egit dictis, & factis fuis, ut Deus credatur, & homo: Deus, qui nos fecit, homo, qui nos quæfivit: Deus cum Patre femper, homo nobifcum ex tempore. Non enim quæreret quem fecerat, nifi fieret ipfe quod fecerat. Manens Deus accepit hominem, qui fecit hominem. Coram hoc igitur Deo, & homine Domino noftro Jefu Chrifto, magni confilii Angelo vocato, videtur Maria Magdalena pœnitens, velut anteà coram Angelo in loco dicto Ifraelitæ, feciffe alium Locum flentium, fivè lacrymarum, quando taliter flevit, ut populo univerfo æquivaleret ploranti: Una exiftens, in ploratu apparebat, ut multiplex: plorabat, quafi populus multus, quæ ftans retrò fecus pedes Jefu, lacrymis cœpit rigare pedes ejus. Singulariter ideo flevit, quia multorum ploratui ejus fletus æquivaluit. Immolaverunt ibi hoftias.

(h) *In Homilia.*
(i) *Threnor. c. 1. v. 2.*
(j) *Pfal. 55. v. 9.*
(k) *Pfalm. 79. v. 6.*
(l) *Pfalm. 41. v. 4.*
(m) *Pfalm. 83. v. 7.*
(n) *Genef. c. 7. v. 17.*
(o) *Pfalm. 93. v. 19.*
(p) *Ecclefia in fecundo Nocturno Matutini S. Marthæ Virg. lect. 5. in fine.*
(q) *Pfalm 6. v. 7.*

stias Domino Israelitæ, qui fleverunt in Loco flentium, sive lacrymarum coram Angelo. Immolavit, quasi esset multus populus, etiam Domino Magdalena, quæ conversa, & lacrymosa, ut dicit S. Gregorius Magnus, quot in se habuit oblectamenta, tot de se invenit holocausta. Plorans ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus. Vitam suam, verè confitens, ut dicit Sanctus Joannes Chrysostomus, emendavit, quæ vitam suam annuntiavit Jesu Christo vero Deo, & ipse posuit lacrymas Magdalenæ pœnitentis in conspectu suo, immò admisit eas in suis pedibus, non solùm illas videns, sed acceptans, non recipiens tantùm, sed remunerans. Et non jam irascens, sed miserans super orationem servæ suæ, cibavit eam pane lacrymarum: quia Magdalenæ fuerunt lacrymæ ejus panes die, ac nocte [dum quærens Jesum, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, quem invenit in domo Pharisæi] ut coram Redemptore plorans, ascensiones in corde suo disponeret, in valle lacrymarum in loco quem posuit. Sed multiplicatæ sunt aquæ, & elevaverunt arcam in sublime à terra: quia secundum multitudinem dolorum hujus felicis mulieris in corde suo, consolationes Dei lætificaverunt animam illius; siquidem per triginta annos, quibus vixit [postquam, cùm Christus in cœlum ascenderat, in vastam altissimi montis pœnitentiæ causa se contulit, ab omni hominum consuetudine disjuncta] quotidie fuit per id tempus ad audiendas cœlestium laudes, in altum ab Angelis elata. Dum non in domo sua tantùm lacrymis suis stratum suum Maria Magdalena rigavit, sed etiam in domo Pharisæi, ut dicit Sanctus Gregorius Magnus, inter epulas lacrymas obtulit, quia lacrymis cœpit rigare pedes nostri Redem-

(r) *Psalm. 38. v. 13.*

(s) *Threnor. cap. 1. vers. 18.*

(t) *Tobiæ c. 10. v. 4.*

(u) *Psalm. 50. v. 19.*

(v) *Psalm. 125. v. 5. & 6.*

(x) *Malach. cap. 2. vers. 13.*

(y) *Ad Hebræos, c. 5. v. 7.*

(z) *Apocalyps. c. 1. vers. 5.*

(aa) *Lucæ c. 2. v. 48.*

(bb) *Ierem. cap. 31. vers. 16.*

demptoris, ipse auribus percepit lacrymas pœnitentis. Deducebat hæc peccatrix quasi torrentem lacrymas, & non tacebat pupilla oculi sui; immò eloquentissimè loquebatur eadem pupilla, quando flebat Magdalena irremediabilibus lacrymis, ut obtineret veniam virtute talis contritionis. Admisit obsequium piissimus Dominus, quia sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non despiciet. Peccatrici isti peccata Jesus condonavit, ut quæ seminaverat in lacrymis, in exultatione meteret remissionem noxarum, & quæ in domum Pharisæi profecta, quærens Christum, ibat, & flebat, veniens veniret in domum suam cum exultatione, obtenta venia, cùm audisset: Remittuntur tibi peccata: vade in pace. Non jam implacabilis Dominus, sicut aliquando fuerat, juxta Malachiam, cùm Magdalena operiebat lacrymis altare pedum Domini fletu, & mugitu, respexit Jesus ultrà ad sacrificium, & accepit placabile hoc de manu talem pœnitentiam agentis: & quando posteà ipse in Cruce cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia: ut lavaret hanc peccatricem conversam sanguine suo, lacrymis munerans lacrymas, eam donavit maxima felicitate, dignam faciens, quæ humani generis potiretur redemptione. Eja ergo, nos lacrymis ambulemus[ambulantes, inquam, cum Magdalena lugente] requirentes Christum, quem dolentes quærere debemus, ut eum, cujus gratiam peccando amisimus, cum gratia, & exultatione inveniamus. Ambulemus cum multis lugentibus, sociantes Magdalenam in ploratibus, quando ipsa ita singulariter plorat, ut luctui, ac fletui plurimorum suus planctus, & ploratus æquivaleat: immò & lacry-

(cc) *Apocalyps. c. 7. v. 17. & c. 21. v. 4. & 5.*

(dd) *Joan. c. 20. v. 13.*

(ee) *Eccle. c. 9. v. 1.*

(ff) *Luca c. 15. v. 9.*

(gg) *Eccle. c. 3. v. 4.*

(hh) *Ad Philipp. c. 2. vers. 12.*

(ii) *Homil. 33. in Evangel.*

(jj) *Psalm. 94. v. 6.*

(kk) *Isai. c. 55. v. 7.*

(ll) *Isai. c. 60. v. 20.*

mas multorum, etiam si verè pœnitentium, lacrymæ Magdalenæ excedant. Quiescat, felix mulier, vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis: siquidem remittuntur tibi peccata multa, quoniam dilexisti multùm. Lacrymis cœpisti rigare pedes Christi, qui abstersit omnem lacrymam ab oculis tuis: & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà quia prima abierunt. Mulier, quid ploras? Nos prosequemur quod incœpisti, quando lacrymis cœpisti rigare pedes Jesu. Tua intercessione fac, nos verè tecum flere: quia certum est, nos peccavisse, sed, cùm nesciat homo, utrùm amore, an odio dignus sit, ignoramus, an gratiæ drachmam perditam invenerimus, ac venia donati simus. Itaque nobis non est adhuc tempus ridendi, sed potius flendi, ut cum metu, & tremore nostram salutem operemur, & lacrymas tuas imitantes indulgentiam consequamur. Heu! Quia benè cogitanti de Mariæ Magdalenæ lacrymis flere magis libet, quàm aliquid dicere, ut asserit S. Gregorius Magnus: & jure quidem flere debemus, cùm de peccatis nostris simus certi, & non de remissione, & videamus peccatricem post indulgentiam culpæ, & pœnæ à Christo Domino Summo Pontifice obtentam, per tam longam vitam protrahentem luctum inceptum, & nos ipsos aspiciamus peccatores, quibus de venia non constat, neutiquam, sicut illa ploravit, flentes. Ploremus ergo ante Dominum, qui fecit nos, ac refecit redimendo, quos fecerat creando. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas; & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. Completi sunt dies luctus Mariæ Magdalenæ, quæ ploravit,

(mm) *Ioan. cap. 16. vers. 20.*

(nn) *Psal. 29. v. 12. & 13.*

(oo) *2. ad Corinth. c. 7. v. 8.*

(pp) *Lucæ c. 15. v. 7.*

(qq) *Psalm. 45. v. 5.*

(rr) *Isai. cap. 24. v. 4.*

(ss) *Ierem. c. 12. v. 11.*

(tt) *Ierem. c. 8. v. 6.*

(uu) *Threnor. c. 2. vers. 3.*

(vv) *Psalm. 21. v. 15.*

ravit, & flevit, sed tristitia ejus versa est in gaudium: ita & nobis feliciter accidet, si similibus lacrymis fleverimus, quando conscideril Deus saccum nostrum, & circumdederit nos lætitia, ut cantemus sibi, qui est gloria nostra; & in æternum confitebimur illi; quia respondebit nobis magna alacritas in cęlo, si secundùm Deum, tristitiam habuerimus in Mundo. Contristati per has considerationes peccatorum nostrorum, de quibus utrùm remissa nobis sint, ignoramus, & ideo pœnitentes verè de nostris delictis, tunc maxima exultatione replebimur, ac gaudio afficiemus cęlicolas, qui gaudebunt, non quia contristati fuerimus, sed quia contristati fuerimus ad pœnitentiam: nam gaudium est in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, & fluminis impetus lacrymarum pœnitentium verorum lætificat civitatem Dei. Luxit, & defluxit terra, ait Sanctus Isaias. Ob defectum bonorum luctuum benè habet terra nostra, quod lugeat, & unde contristetur: quia defluxit, ac est desolata, quando desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde: & ut ait Sanctus Jerçmias etiam: Nullus est, qui agat pęnitentiam super peccato suo dicens: Quid feci? Quod elevat nos ad gaudium Deo fruendi, est maxima nostra cura plorandi. Dolorem cum vita finiamus, dicit Sanctus Augustinus: quia unde desinit cum vita fletus, inde incipit post mortem noster felicissimus status: qui quidem ita fundatur super nostrum planctum, ut quò iste fuerit uberior, eo ille apparebit gratior, & jucundior, quia erit in felicitate sublimior. In Magdalena luxit antemurale, & murus pariter dissipatus est. Oculus est quasi antemurale cordis, quod quidem cor agnoscitur murus animæ, quia eam servat, & custo-

(xx) *Psalm.38.v.4.*

(yy) *Psal.50.v.12.*

(zz) *Ecclesiast. Offic. S Mariæ Magdal. in Hymn. Vesper. & Laud.*

(aaa) *Ioan.c.3.v.17.*

(bbb) *Isai.c.61.v.2. & 3.*

(ccc) *In Lect.6. Officii S. Ambros. Eccl. Doct.*

custodit, velut murus civitatem. Plorante antemurali oculorum Magdalenæ, murus dissipatus est in bonum, quia cor ejus præ dolore, ut meliùs grandi mysterio custodiret animam, est disjectum, & contritum, dum in intimis hujus peccatricis præ amore, ac contritione factum est cor ejus tamquam cera liquescens, & concaluit cor ejus intra eam, & in meditatione sua exarsit ignis: itaque cor novum, quia cor mundum, creavit in ea Deus, & spiritum rectum innovavit in visceribus illius: ideo benignè fecit Dominus in bona voluntate sua isti Sion, ut ædificarentur muri hujus Jerusalem. O Pater superni luminis, cùm Magdalenam respicis, flammas amoris excitas, geluque solvis pectoris. Summi Parentis Unice, vultu pios nos respice, vocans ad arcem gloriæ cor Magdalenæ penitens. Amissa drachma Regio reconditа est Ærario, & gemma, deterso luto, nitore vincit sydera. Uni Deo sit gloria pro multiformi gratia, peccantium qui crimina remittit, & dat prємia. Verbis allocutus sum illius magni Jesuitæ Cardinalis Bellarmini, qui composuit hymnos, quos Ecclesia Catholica recitat in Festivitate Sanctæ Mariæ Magdalenæ. Misit Deus Filium suum in mundum, ut salvetur mundus per ipsum: ut prædicaret annum placabilem Domino, ut consolaretur omnes lugentes, & daret oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. Hoc evenit Magdalenæ pœnitenti ad pedes nostri Divini Redemptoris ploranti. Hoc erit etiam bonum nobis, dummodo qui secuti sumus errantem, sequi voluerimus pœnitentem. Habebimus utique ita annum placabilem Domino, qui benedicet coronæ anni benignitatis suæ [quamvìs verum sit, quòd Deus ultionum Dominus, Deus ultio-

(ddd) *Psal. 64. v. 12.*
(eee) *Psal. 93. v. 1. & 2.*
(fff) *Matth. c. 5. v. 5.*
(ggg) *Canticor. c. 1. vers. 2.*
(hhh) *Psal. 64. v. 10.*
(iii) *Psalm. 149. v. 6.*
(jjj) *Apoc. c. 7. v. 14.*
(KKK) *In Respons. 1. Festi Ss. Innocent.*
(lll) *Psal. 114. v. 7. & 8.*

tionum liberè egit: exaltabitur, qui judicat terram, reddet retributionem superbis] quia lugentes consolationem nancifcentur, cùm sint beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Oleum gaudii dabitur pro luctu, illis, de quibus dicitur: Lætitia sempiterna super caput eorum: gaudium, & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor, & gemitus: & quisque eorum dicere poterit illi, cui dictum est: Oleum effusum nomen tuum: Visitasti, Deus, terram, & inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam. Pallium laudis tradetur pro spiritu mœroris illis, qui exultabunt in gloria, lætabuntur in cubilibus suis: exaltationes Dei in gutture eorum: qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine agni: ideo regnabunt cum Deo, & agnus Dei cum illis. Hi poterunt dicere: Convertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi. Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis.

§. Secundus.

HOMILIA II.

Super illa verba:

Cui autem minùs dimittitur, minùs diligit.



ILEXI vos, dicit Dominus: & dixistis: In quo dilexisti nos? Qui tali
(a) *Malach.c.1.v.2.* modo interrogat Deum, audiat, quòd probatio dilectionis exhibitio
(b) *Homil.30. in Evangel.* est operis, ut ait Sanctus Gregorius Magnus. Audiat etiam, quòd, cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem
(c) *Ad Roman. c.5. vers.10.* Filii ejus, qui etiam multoties omne debitum dimisit nobis, quoniam rogavimus eum, si quando ad confessionem Sacramentalem ac-
(d) *Matth. cap.18. vers.32.* cedentes veram pœnitentiam egimus: Itaque diligamus Deum, qui taliter dilexit nos: & qui diligitis Dominum, odite malum; lætamini ju-
(e) *1.Ioan.c.4.v.19.* sti in Domino, & confitemini memoriæ sanctificationis ejus. Cui minùs dimittitur, minùs diligit, ut dicit hodie Christus Dominus in Sa-
(f) *Psalm.96.v.10. & 12.* cra Evangelica Historia. Ergo, qui bona suscepimus de manu Domini, quando projecit in profundum maris omnia peccata nostra, cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equum
(g) *Iob cap.2.v.10.* & ascensorem dejecit in mare. Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Flavit spiritus ejus, & operuit eos ma-
(h) *Michaæ c.7.v.19.* re: summersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. Maxima nobis dimisit Deus de-
(i) *Exodi c.15. v.1. & 2. & 10.* bita pro sua infinita misericordia. Itaque non minùs, sed magis debemus diligere eum nos,

qui-

quibus plùs dimisit, ac quibus plùs donavit, quando in tantis voluit nobis indulgere ille, cui proprium est misereri semper, & parcere. Qui non diligit manet in morte. Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate. Custodit Dominus omnes diligentes se: & omnes peccatores disperdet, utique, quia eum ita diligentem non diligunt. Miserator, & misericors Dominus: longaminis, & multùm misericors. Suavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus. Ergo timentes, nè disperdamur, ut peccatores, diligamus Deum, & velimus ab ipso custodiri, ut hi, qui illum toto corde curant amare. Nos custodiet Dominus, si nos eum habentes, in eo esse merebimur. Ipse diligentes se diligit: ac dicit, juxta Sanctum Augustinum: Amate me, & habebitis me. Itaque amemus amantem, diligamus custodientem, ut talem semper habeamus custodem: si ampliùs dilexerimus, ampliùs custodiemur, quia ampliùs à Domino amabimur. Diligamus miseratorem, & misericordem Dominum Deum; miseratorem quidem, qui magna nobiscum utitur misericordia: & misericordem, qui tactus dolore cordis intrinsecùs, videns, quòd multa malitia hominum sit in terra, & cuncta cogitatio hominis intenta sit ad malum omni tempore, tamen jam non dicit: Delebo hominem, quem creavi, à facie terræ; sed potiùs, quomodò miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum: recordatus est, quoniam pulvis sumus. Diligamus ergo Dominum loganimem, patientem, & multùm misericordem: Diligamus Dominum ita suavem, ut maxima nobis quotidie remittens peccata, ostendat, quòd miserationes ejus sunt super

(j) *Ecclef. in Missa diei obitus Defunct. orat. 1. & in Litaniis Sanctorum, etiam orat. 1.*

(k) *1. Ioan. c. 3. v. 14. & 18.*

(l) *Psal. 144. v. 20.*

(m) *Psal. 102. verf. 8.*

(n) *Psal. 144. v. 9.*

(o) *Proverb. cap. 8. verf. 17.*

(p) *Psal. 102. verf. 8.*

(q) *Genef. c. 6. v. 7. & ibid. v. 5. & 6. & 7.*

per

per omnia opera ejus. Itaque imposterùm non
(r) *Psalm.102.v.13. & 14.* minùs, sed in dies plùs diligamus; siquidem sumus nos, quibus plùs donavit, & cui minùs dimittitur, minùs diligit. Gaudebat olim Noemi, quando Ruth natus est Obed filius Booz.
(s) *Ruth. c.4. v.14. & 15. & 16.* Potiori jure debemus nos alacres, & grati esse, quando audimus à fide, & certi sumus de eo, quòd natus est, qui nos diligit, quia parvulus datus est nobis, & Filius datus est nobis, & vo-
(t) *Isai.cap.9.vers.6.* cabitur nomen ejus admirabilis, Deus, fortis, qui in charitate perpetua dilexit nos; ideo dimittens nobis maxima delictorum debita, at-
(u) *Ierem. c.31. v.3.* traxit nos miserans nostri. Natus est, qui dixit: Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est,
(v) *Ioan.c.14.v.21.* qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & mani-
(x) *Ioan.cap.13.v.1.* festabo ei meipsum. Natus est ergo, qui nos diligit, & qui cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Susceptum Noe-
(y) *Ad Galat. cap.2. vers.20.* mi puerum posuit in sinu suo: igitur nos in sinu, & in pectore nostro ponamus, ac semper habeamus Christum, cum totis diligentes præcordiis, ut vivat in nobis Christus, & vita Jesu manife-
(z) *2.ad Corinth.c.4. vers.11.* stetur in corporibus nostris: ponamus illum in sinu nostro, diligentes eum, qui nos diligens eripuit nos ab ira ventura: talia, ac tam magna condonans nobis debita, tam pluraque dimit-
(aa) *1. ad Thessalonic. c.1.v.10.* tens peccata; delens, quod adversus nos erat, chirographum decreti, & ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci. In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. In hoc co-
(bb) *Ad Colossens. c.2.v.14.* gnovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit. Ob amorem Filii, nos diligentes eum etiam Pater Æternus dili-
(cc) *1.Ioan. c.3.v.8. & 16.* git. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum Unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. In hoc est charitas:

ritas: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Qui non diligit, non novit Deum, quoniam Deus charitas est, ait Sanctus Joannes Evangelista, cujus sunt etiam præcedentia verba: qui ultrà progrediens, dicit: Et nos cognovimus, & credidimus charitati, quam habet Deus in nobis. Deus charitas est: & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo. Hucusque dilectus inter omnes Christi discipulos. Simus ergo Domino nostro placentes, qui taliter ab eo diligimur: & ipsi ampliùs, & ampliùs placentes, dilectiores efficiemur: quia placens Deo factus est dilectus, & vivens inter peccatores translatus est: itaque diligentes Deum, & placentes illi transferemur de morte ad vitam, & gloriam consequemur æternam. Misereamur animabus nostris placentes Deo; nè nota ingratitudinis inuramur, & à Domino nostro in perpetuum separemur. Ipse tamquam aurum in fornace probabit nos: quia copia ignis fornacis charitatis Dei excoquet ad purum scoriam nostram, & auferet omne stannum nostrum, separans pretiosum à vili, ut cum probati fuerimus, accipiamus coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Ille suadet nobis emere à se aurum ignitum, hoc est, Christianis diligentiis nos præparare ad consequendam charitatem perfectam, & veram sapientiam Christianam. Sanctus Paulus ait: Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema. Amemus igitur ipsum, quia maximoperè, propter suam infinitam charitatem, quam habuit, habet, & habebit in nos, nostrum amorem meretur. Amemus illum etiam, nè deficientes ab ejus amore subjiciamur perpetuo, & infelici

(dd) *Ioan. c.4. v.9. & 10. & in eodem cap v.8. & 16.*

(ee) *Sapient. cap. 4. vers. 10.*

(ff) *Eccli. c. 30. v. 24.*

(gg) *Sapient. cap. 3. vers. 6.*

(hh) *Isai. c. 1. v. 25.*

(ii) *Ierem. cap. 15. vers. 19.*

(jj) *Iacobi, c. 1. v. 12.*

(kk) *Apocalyps. c. 3. vers. 18.*

 ana-

anathemati, ac pęnæ æternæ damni subjaceamus horribili. Si amaverimus ipsum, non abscindetur de ovili pecus: & erimus nos populus pascuæ ejus, & oves manus ejus; non separabitur palmes à vite, dum Christus est vitis, & nos palmites: non secabitur membrum à corpore: multi enim sumus unum corpus in Christo, singuli autem alterius membra. Ergo sit nostra fides in charitate non ficta: sit dilectio sine simulatione: simus odientes malum, adhærentes bono: quia qui dilexerit Deum, debet odisse malum. Si diligimus Christum, mandata ejus servemus, nam qui diligit illum, sermonem ipsius servare debet: & qui dicit, se nosse eum, & mandata ejus non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est. Qui autem servat verbum ejus, verè in hoc charitas Dei perfecta est. Dominus diligit justos: itaque qui justus est, justificetur adhuc: & si justiores efficiamur, magìs ab ipso Deo, qui diligit justos, diligemur. Cor nostrum diligat Principes Israel, quando juxta canticum Debboræ, nova bella elegit Dominus. Hoc est, diligamus eos, qui in Ecclesia sunt Principes in amore Dei excellentes, ut gaudeamus de eorum amore erga Deum, etiam cum ipsis nos illum amantes, ut plures, & pro pluribus amemus Dominum nostrum: ac sic participes erimus non solum timentium, sed etiam amantium illum, & custodientium mandata ejus. Adolescentulæ dilexerunt ipsum. Trahat nos Dominus ad similem amorem, & post eum curremus in odorem unguentorum suorum, dum recti diligunt illum. Hoc fungentes amore justi epulentur, & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia, dum Deus est in loco sancto suo, Deus, qui inhabitare facit unius moris in domo; quia similes in amore col-

(ll) 1. ad Corinth. cap. 16. vers. 22.

(mm) Habacuc c. 3. vers. 17.

(nn) Psal. 94. v. 7.

(oo) Ioan. c. 15. v. 5.

(pp) Ad Roman. cap. 12. vers. 5.

(qq) 2. ad Corinth. cap. 6. vers. 6.

(rr) Ad Roman. cap. 12. vers. 9.

(ss) Psalm. 96. v. 10.

(tt) Ioan. c. 14. v. 15. & 23.

collocabit in Ecclesia trumphante,ac in ejus domo cęlesti;qui etiā ad hoc educit vinctos in fortitudine, eruens nos à vinculis peccati ille, qui redemit sedentes in tenebris, & umbra mortis, vinctos in mendicitate, & ferro,& eduxit de ergastulo,& eruit de servitute,ac redemit Israel in brachio excelso, & judiciis magnis. Itaque terra mota est, id est, terrena corda mota sunt ad ipsum diligendum, & ad amantem redamandum per mundi hujus despectum; etenim cœli distillaverunt à facie Dei Sinai,à facie Dei Israel, quando homines Sancti, veluti mystici cœli, ex Empyreo, ubi sunt videntes Deum, nos exemplis, & orationibus juvant: exemplis, quæ reliquerunt, orationibus, quas faciunt, quia, ut dixit Sanctus Pater noster Bernardus, in terris visi sunt, ut essent exemplo, in cœlum levati sunt, ut sint patrocinio. Ipsi distillant nobis dilectionem, ut Deum amemus cum ipsis, ut requiescamus in die tribulationis, hoc est in æterno die, quo damnati tribulabuntur. Sic speramus etiam ascendere ad populum accinctum nostrum nos, qui, ut dicit S. Paulus, non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Deus noster Deus salvos faciendi, & dixit Dominus: Ex Basan convertam: ob hoc in ipso fiduciam habemus. Sed ante nos prævenerunt Principes conjuncti psallentibus in medio juvencularum tympanistriarum: quia ante nostra tempora homines in amore Dei se exercentes, ac sic feliciter morientes, hac harmonia, & ordine vitæ perfectæ cœlestem Patriam consquisierunt, & intrarunt, quamvis verum sit, quòd regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Est in cœlis turba magna virorum, & feminarum cœlum possidentium, quia in se, & contra se violentiam exercentes, verè ex-

(uu) 1. *Joan.c.1.v.4.* & 5.
(vv) *Psal.145. v.8.*
(xx) *Apocalyps. c.22.v.11.*
(yy) *Iudicum cap.5. v.8.* & 9.
(zz) *Psal.118.v.63.*
(aaa) *Cantic.cap.1. vers.2.* & 3.
(bbb) *Psal.67.v.4.* & 7.
(ccc) *Psal.106.v.10.*
(ddd) *Exodi, cap.6. vers.6.*
(eee) *Psal.67.v.9.*
(fff) *Serm. 2. de S.Victore.*
(ggg) *Habacuc,c.3. vers.16.*
(hhh) *Ad Hebræos c.13.v.14.*
(iii) *Psal. 67. v.21.* & 23. & 26.
(jjj) *Matthæi, c.11. vers.12.*
(kkk) *Apocalyps. c.7. vers.9.*
(lll) *Psal.67.v.27.*
(mmm) *Ibid. v.33.*

extiterunt Dei, & Domini nostri amatores. Itaque in Ecclesiis, tum triumphante, tum militante, justum est, quod benedicamus Deo nostro. Ergo Regna terræ cantate Deo: psallite Domino.

§. Tertius.

HOMILIA III.

Super illa verba:

Vade in pace.


ACTA est coram Jesu quasi pacem reperiens Maria Magdalena, siquidem audivit eum dicentem: Vade in pace, postquam ipsi peccatrici conversæ sua jam remiserat peccata. Ex tunc est murus ad defensionem Ecclesiæ ista felicissima mulier, super quam ædificavit Dominus propugnacula argentea. Est etiam turris David, quæ ædificata est cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium: quia Apostola fuit quodammodo Apostolorum, dum post Resurrectionem, eam misit Dominus illis, quando dixit Magdalenæ: Vade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum; & venit Maria Magdalena annuntians discipulis: Quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi. Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. In ea fortis fuit ut mors dilectio: lampades ejus lampades ignis, atque flammarum. Et ut Sanctus Gregorius Magnus dicit:

(a) *Canticor. cap.* 8. *vers.* 10.

(b) *Ibidem, vers.* 9.

(c) *Canticor. cap.* 4. *vers.* 4.

(d) *Ioan. c.* 20. *v.* 17. *&* 18.

(e) *Canticor. c.* 8. *v* 6.

dicit: Quæ priùs frigida peccando remanserat, postmodùm amando fortiter ardebat. Videte, quo dolore ardet quæ flere, & inter epulas non erubescit. Quæ etiam à monumento Domini, recedentibus discipulis, non recedebat. Flebat inquirendo, & amoris sui igne succensa, ejus quem ablatum credidit, ardebat desiderio. Unde contigit, ut eum tunc sola videret, quæ remanserat, ut quæreret. Dominus virtutem ei dedit: Dominus benedixit illi in pace. Pacem reperiit, quia verè, & ex toto corde diligens Christum, summopere coram ipso pœnitentiam, ut exemplar pœnitentium, exercuit, & intima contritione doluit. Dum audivit: Remittuntur tibi peccata, ac etiam: Fides tua te salvam fecit: Vade in pace, tunc sanè in pace factus est locus ejus. Pœnitens quæsivit Christum, quia seriò voluit vitam, dilexit dies videre bonos: inquisivit pacem, & persecuta est eam; ideo redemit Dominus in pace animam Mariæ Magdalenæ, quia plùs, quam Salomon est Jesus, & ipse est Rex pacificus, & orta est in diebus ejus justitia, & abundantia pacis. Fecit ipse Christus oriri in hac peccatrice per veram contritionem justitiam, & posteà abundantia pacis locupletavit eam; quia erit pax secura, ubi intervenerit justificans pœnitentia. Audiamus igitur, quid loquatur in nobis iste Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam, & super sanctos suos, & in eos, qui convertuntur ad cor: verumtamen prope timentes eum salutare ipsius, ut inhabitet gloria in terra nostra. Misericordia, & veritas obviaverunt sibi: justitia, & pax osculatæ sunt. Sed, si non conversi fuerimus, quomodò pacem, quam loquitur Christus in plebem suam, & super sanctos suos, & in eos, qui convertuntur ad cor, au-

(f) *Homil.* 25. & 33. *in Evangelia.*

(g) *Psal.* 28. *v.* 11.

(h) *Psalm.* 75. *v.* 3.

(i) *Psal.* 33. *v.* 13. & 15.

(j) *Psalm.* 54. *v.* 9.

(k) *Matthæi, cap.* 12. *vers.* 42.

(l) *Paralipomen. cap.* 22. *v.* 9.

audiemus? Immò, nisi conversi fuerimus, gladium suum Dominus vibrabit, arcum suum tetendit, & paravit illum: & in eo paravit vasa
(m) *Psalm.71. v.7.* mortis: sagittas suas ardentibus effecit. Væ peccatoribus obstinatis, quia infelicitas est in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt. Nonne cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem? Quid ipsis, & paci? Numquid pax potest esse Zambri, qui interfecit Dominum suum? Pote-
(n) *Psalm. 84. v.9. & 10. & 11.* ritnè pax esse illis pessimis, nomine Christiano indignis, qui quotidie, ut dicit Sanctus Paulus, conculcant Filium Dei, rursum sibimetipsis crucifigentes Filium Dei, & ostentui habentes? Non est pax impiis Judæis, qui, ut dicit Sanctus Augustinus, occidisse dicuntur verè Christum,
(o) *Psalm. 7. v.13. & 14.* quia clamarunt: Crucifige, crucifige, quamvis certum sit, quòd eum si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent: & poterit pax esse pessimis illis Christianis, qui peccant benè cognoscentes, & scientes, & ideo secundum quod Christus ipse dixit, vapulare merentur multis? qui quotidie in Fidei Apostolico Symbolo Jesum Christum appellant Filium Dei,
(p) *Psalm.13. v.3. & 4.* & Dominum ipsorum; & tamen quem fide agnoscunt suum Dominum, impiè, & crudeliter passim, amore peccati ducti, quantùm est ex se interficiunt, ejus renovantes vulnera, & nova illi adaugentes opprobria? illis scelera-
(q) 4. *Reg. cap.9. vers.31.* tissimè obduratis, qui volunt Barabbam dimittere, Jesum verò perdere: sinentes regnare peccatum in suo mortali corpore, & ideo clamantes vocibus malorum operum: Tolle, Tolle, crucifige eum, rebellantes contra Christum eorum Regem, atque verum Dominum omnium? Sunt nonne isti mansueti, qui hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis? Non profectò: Non est hæc pax talibus impiis.

Ideo

Ideo suscipiant montes pacem populo, & colles justitiã: levantibus nobis nos super nosmetipsos, quia sub nobis est appetitus peccati, & nos dominabimur illius: sicut montes, & colles elevemur in via cœli, valles appetituum, & vitiorum calcantes, qnia beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini, non enim qui operantur iniquitatem in viis ejus ambulaverunt. Amemus justitiam bene operando, ac sic velut sublimes colles suscipientes justitiam, & Christianam virtutem, erimus elevati montes, suscipientes pacem populo, hoc est, pacem, quæ nobis proderit, & etiã toti populo Christiano profectu optimo expediet. Quia hoc non facimus, non est pax ossibus nostris à facie peccatorum nostrorum, dum in pessima æstimatione nostra, quia vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris, plùs ponderavit peccatum, quàm Christus Caput nostrum: siquidem pluris fecimus multoties peccatum, quàm Christum, quia istum despicientes, peccatum elegimus: & ideo iniquitates nostræ supergressæ sunt Caput nostrum Jesum, quoniam peccata amantes, ipsa elevavimus, & ereximus, ac Redemptorem nostrum prostravimus, & conculcavimus: ideo etiam iniquitates nostræ supergressæ sunt capita nostri ipsorum, quia nostra delicta statuimus super capita nostra, & sicut onus grave gravatæ sunt ipsæ iniquitates nostræ super nos, & potuerunt nos præcipitasse suo pondere jam in profundum abyssi. Rogemus ergo, quæ ad pacem sunt Jerusalem, animæ scilicet cujusque nostrum, & abundantia diligentibus Deum: fiat pax in virtute sua, & abundantia in turribus Catholicæ Ecclesiæ: & propter fratres nostros, & proximos nostros pacem populo Christiano loquamur, & eam omnibus

(r) *Ad Hebræos*, c.10.v.28.

(s) *Ad Hebræos*, c.6.v.6.

(t) *In Psal. 63. ad vers.2.*

(u) 1. *ad Corinth.* c.2.v.8.

bus animabus procuremus adquirere, ut sic in pace valeant requiescere, quia sine illa nemo potest jucundari. Absit à nobis, quòd sustineamus pacem, & non veniat, quæramus bona, & ecce turbatio. Ergo pax Christi exultet in cordibus nostris, in qua & vocati sumus in uno corpore; & grati simus. Acquiescamus Omnipotenti, & habeamus pacem: & per hæc habebimus fructus optimos. Suscipiamus ex ore illius legem, & ponamus sermones ejus in corde nostro. Si reversi fuerimus ad Omnipotentem, ædificabimur, & longè faciet iniquitatem à tabernaculo nostro. Dabit pro terra silicem, & pro silice torrentes aureos. Eritque Omnipotens contra hostes nostros, & argentum coacervabitur nobis. Tunc super Omnipotentem deliciis affluemus, & elevabimus ad Deum facies nostras. Rogabimus eum, & exaudiet nos, & vota nostra reddemus. Decernemus rem, & veniet nobis, & in viis nostris splendebit lumen. Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria: & qui inclinaverit oculos, ipse salvabitur: Salvabitur innocens, salvabitur in munditia manuum suarum. Fructus Spiritus est charitas, gaudium, pax. Si spiritu vivimus, spiritu & ambulemus. Dixit Christus Dominus Magdalenæ: Vade in pace. Hæc felicissima peccatrix post conversionem spiritu vivens, spiritu ambulans, vadit in pace, in pace est constituta, incipiens, proficiens, & perfecta. In pace vadit, in pace ambulavit, in pace processit, profecit, vixit, & expiravit. Præcepit Christus, sicut optaverat Tobias pro sua anima anteà, in pace recipi spiritum Magdalenæ, & tunc dimisit famulam suam Dominus secundum verbum suum in pace: quia viderant pœnitentes oculi illius salutare Dei nostri. Deo concedente pacem, & justifi-

(v) *Lucæ, c. 12. v. 47.*

(x) *Matthæi, cap. 27. vers. 20.*

(y) *Ad Roman. c. 6. v. 12.*

(z) *Ioan. c. 19. v. 15.*

ftificante, quis eft qui condemnet? Pofuit fines Magdalenæ pacem ille, qui annuntiat verbum fuum Jacob, juftitias, & judicia fua Ifrael. Non fecit taliter omni nationi. Ecce quomodo hæc pax, utpote melior, & utilior, excedit illam pacem, quæ erat inter Hiram, & Salomonem. Dixit Gedeoni Dominus: Pax tecum, ne timeas, non morieris. Ædificavit ergo ibi Gedeon altare Domino, vocavitque illud: Domini pax. Ædificavit Maria Magdalena in corde fuo Domino Jefu altare, in quo per omne tempus fuæ vitæ obtulit holocaufta, & perfectæ contritionis, ac pœnitentiæ facrificia illi Deo homini Chrifto mifericordiffimo Redemptori; qui dixit ei: Vade in pace, & ipfam eripuit a timore, atque morte æterna, quæ ob fua merebatur peccata. Donum, & pax eft electis Dei: tamquam aurum in fornace probavit Magdalenam electam Dominus, & quafi holocaufti hoftiam accepit illam, quæ, ut dicit Sanctus Gregorius Magnus, lavanda ad fontem mifericordiæ cucurrit, convivantes non erubuit. Nam quia femetipfam graviter erubefcebat intùs, nihil effe credidit, quod verecumdaretur foris. Et in tempore erit refpectu illius, quia ubicumque prædicatum fuerit Evangelium hoc in univerfo mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam ejus. Pharifæus invitans Chriftum, ipfam Magdalenam appellabat in corde fuo peccatricem: fed Redemptor nofter mulieri verè pœnitenti largitus eft remiffionem, atque pacem. Per veram converfionem jam Magdalenæ juftæ anima in manu Dei eft, & non tanget illam tormentum mortis: vifa eft oculis infipientis Pharifæi mori; illa autem eft in pace. Qui non novit videre, aridam putat vitem, ait Sanctus Auguftinus; ita Simon Pharifæus, ut aridam, fine gra-

(aa) *Pfal. 36 v. 11.*
(bb) *Ifai. c. 48. v. 22.*
(cc) *Pfalm. 71. v. 3.*
(dd) *Threnor. cap. 3. verf. 28.*
(ee) *Genef. c. 4. v. 7.*
(ff) *Pfalm. 118. v. 1. & 3.*
(gg) *Pfal. 37. v. 2.*
(hh) *Pfalm. 61. v. 10.*
(ii) *Pfalm. 37. v. 5.*
jj *Ibidem.*
(kk) *Pfal. 121. v. 6. & 7. & 8.*
(ll) *Ecclefiaftic. Officium quinque Dominicarum Novembr. in fextis Refponforiis.*
(mm) *Ad Coloffenf. cap. 3. verf. 15.*
(nn) *Iob, c. 22. v. 21. & reliquis ufque ad finem.*
(oo) *Ad Galat. c. 5. verf. 22. & 25.*
(pp) *Tobiæ, c. 3. v 6.*
(qq) *Lucæ, c. 2. v. 29. & 30.*
(rr) *Ad Roman. c. 8. verf. 33.*
(ff) *Pfal. 147. v. 14. & 19. & 20.*
(tt) *3. Regum, cap. 5. verf. 12.*
(uu) *Iudicum, cap. 6. verf. 23. & 24.*
(vv) *Sapientiæ, c. 3. v. 9. & ibid. v. 6.*
(xx) *Homil. 33. in Evangel.*

gratiæ fucco;ac proindè peccatricem Deo mortuam judicabat temerariè Magdalenam; sed qui per agnitionem Christi illuminatos oculos cordis nostri, Deo miserante, habemus, quando hæc audimus, cognoscimus, quòd Magdalena post conversionem, quasi vitis, fructificavit suavitatem odoris: & flores ejus fructus honoris, & honestatis. Odor bonus bona fama est, ait etiam Sanctus Augustinus. Domus impleta est ex odore unguenti Magdalenæ, quia tota Ecclesia Catholica plena est ipsius suavissima virtute, & utilissima fama, & flores perfectæ conversionis ipsius producunt fructus honoris, & honestatis veram ejus pœnitentiam imitantibus. Corona profectò sapientiæ timor Domini, replens pacem, & salutis fructum. Justificati ergo ex fide, ait Sanctus Paulus, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum, qui creavit fructum labiorum pacem ei, qui longè est, & qui propè, & sanavit eum.

(yy) *Sapientiæ*, c.3. *vers.6.*
(zz) *Matthæi*, c.27. *vers.13.*
(aaa) *Sapientiæ*, c.3. *vers.1. & 2.*
(bbb) *Ad Ephes.c.1. vers.17. & 18.*
(ccc) *Eccli. cap.24. vers.23.*
(ddd) *Tract. 50. in Ioan. post init.*
(eee) *Eccli.c.1.v.22.*
(fff) *Ad Roman.c.5. vers.1.*
(ggg) *Isaiæ*, c.57. *vers.19.*

SE-

SECTIO TERTIA,

In qua apponitur Evangelium Sabbati Quatuor Temporum Septembris, cum tribus ipsi correspondentibus Homiliis.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam.
cap. 13. vers. 6.

IN *illo tempore*: *Dicebat Jesus turbis hanc similitudinem*: *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua*, *& venit quærens fructum in illa*, *& non invenit*. *Dixit autem ad cultorem vineæ*: *Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac*, *& non invenio*: *succide ergo illam*: *ut quid etiam terram occupat?* *At ille respondens*, *dicit illi*: *Domine*, *dimitte illam & hoc anno*, *usque dum fodiam circa illam*, *& mittam stercora*: *& si quidem fecerit fructum*: *sin autem*, *in futurum succides eam*. *Erat autem docens in synagoga eorum Sabbato*. *Et ecce mulier*, *quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo*: *& erat inclinata*, *nec omnino poterat sursum respicere*. *Quam cùm videret Jesus*, *vocavit eam ad se*, *& ait illi*: *Mulier*, *dimissa es ab infirmitate tua*. *Et imposuit illi manum*, *& confestim erecta est*, *& glorificabat Deum*. *Respondens autem Archisynagogus*, *indi-*

gnans quia Sabbato curasset Jesus, dicebat turbæ: Sex dies sunt, in quibus oportet operari: in his ergo venite, & curamini, & non in die Sabbati. Respondens autem ad illum Dominus dixit: Hypocritæ, unusquisque vestrum Sabbato non solvit bovem suum, aut asinum à præsepio, & ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit Satanas, ecce decem, & octo annis, non oportuit solvi à vinculo isto die Sabbati? Et, cùm hæc diceret, erubescebant omnes adversarii ejus: & omnis populus gaudebat in universis, quæ gloriosè fiebant ab eo.

§. Primus.

HOMILIA PRIMA

Super illa verba:

Succide ergo illam: ut quid etiam terram occupat?



Ox Domini concutientis desertum: & commovebit Dominus desertum Cadès. Vox Domini præparantis cervos, & revelabit condensa, & in templo ejus omnes dicent gloriam. Dominus diluvium inhabitare facit; & sedebit Dominus Rex in æternum. Dominus virtutem populo suo dabit. Ponderanda sunt hæc verba, cùm in Evangelio hodierno audierimus

rimus Jesum Christum Redemptorem nostrum loquentem de ficulnea infructifera, & Dominum vineæ, in qua erat hæc infructuosa arbor, dicentem cultori: Succide ergo illam: ut quid etiam terram occupat? Terribilis profectò est hæc vox, in qua sonat sententia succissionis ficulneæ, quia terram etiam occupat infructuosè. Leo rugiet: quis non timebit? Dum tam tremenda vox auditur, ipsa timere facit, & ipsis saxis terrorem incutit. Ideo hæc est vox Domini concutientis desertum: & commovebit Dominus desertum Cadès, ut peccatores, qui sunt lapides immobiles, quasi deserti saxa, quæ aliter non solent moveri, nisi per concussionem, commotionem, ac tremorem terræ, commoveantur. Tremant ergo talia saxa saltem, quando contra infructiferam ficulneam horribilis pronuntiatur sententia. In hac voce præparat Dominus cervos, ut justi experimentum sumentes à peccatoribus damnatis, in sua stent, & perseverent justitia, præparantes se, ac disponentes animas suas ad ascendendum in montem Domini, & standum in loco sancto ejus, quia montes excelsi cervis, qui semper sunt in metu, ac fuga, ut notat Sanctus Joannes Chrysostomus, & ideo per eos designat sacer Textus justos metuentes peccata, & semper fugientes condemnationis æternæ pericula: quia Sanctus Augustinus dicit: Apprehende fugam, si vis obtinere victoriam. Simus ergo mystici cervi voce suppliciorum Dei ad altitudinem gratiæ, & gloriæ preparati, & eò magis faciamus bonum, quò plùs metuerimus, atque fugerimus malum. Hæc vox sententiæ succissionis contra ficulneam revelabit condensa, & in templo Dei omnes dicent gloriam: ut sicut dixit Josue militi Achan: Fili mi, da gloriam Domino

(a) *Psalm* 28. *v.* 8. & 9. & 10. & 11.

(b) *Amos c.* 3. *v.* 8.

(c) *Psal.* 23. *vers.* 3.

(d) *Psalm.* 103. *v.* 18.

(e) *Psal.* 33. *v.* 15.

(f) *Iosue, c.* 7. *v.* 19.

(g) 1. *Ioan. c.* 1. *v.* 9.

no Deo Israel, & confitere, demus gloriam Deo, & revelet vox Domini condenta; dum confiteamur nos sacramentaliter etiam nostra occultissima peccata: quia Deus, si confiteamur peccata nostra; fidelis est, & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Nihil sit opertum, quod non reveletur: & præoccupemus faciem Domini in confessione, siquidem veniet in judicio Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium; ut sic suscipiamus misericordiam Dei in medio templi sui: quia ipse propter gloriam nominis sui liberabit nos, & propitius erit peccatis nostris propter nomen suum. Dominus diluvium inhabitare facit per hanc sententiam ficulneæ in oculis, & cordibus, quia emittet verbum suum, & liquefaciet ea, flabit spiritus ejus, & fluent aquæ; loquetur ad petras, & illæ dabunt aquas, dum peccatores ab increpatione Dei fugient, à voce tonitrui ejus formidabunt: multitudo sonitus aquarum; vocem dederunt nubes. Sagittæ Domini transeunt, vox tonitrui Dei in rota, hoc est in humano corde, quod vocat rotam nativitatis nostræ Sacra Sancti Jacobi Apostoli Epistola: quia ad conspectum iræ Dei reprobos sententia damnationis sagittantis, & inurentis, non recedit retrò cor nostrum, dum humiliat nos Deus in loco afflictionis, & cooperit nos umbra mortis, sed facies nostræ intument à fletu, & palpebræ nostræ caligant, ut Deus auribus percipiat lacrymas nostras, maximè, si deduxerimus, quasi torrentem lacrymas. Sedebit itaque Dominus Rex in æternum: quia figet sedem in nobis per statum gratiæ, si eam finaliter consequuti fuerimus, ut cum ipso in æternitate lætemur. Expectat Dominus, ut miserea-

(h) *Matth. c.* 10. *v.* 26.

(i) *Psalm.* 94. *vers.* 2.

(j) 1. *ad Corinth. cap.* 4. *vers.* 5.

(k) *Psalm.* 47. *v.* 10.

(l) *Psalm.* 78. *v.* 9.

(m) *Psal.* 147. *v.* 18.

(n) *Numeror. c.* 20. *vers.* 8.

reatur nostri, & ideò exaltabitur parcens nobis: parata sedes sua ex tunc, quando firmavit orbem terræ, qui non commovebitur, hoc est, securos fecit cœlicolas prædestinatos homines, qui non movebuntur amplius ad peccandum, nec ad nutum Dei transgrediendum, siquidem in ipsius voluntate erunt firmi, & perseverabunt, quando jam celeste intraverint regnum: quia dum essent in mundo, elevaverũt flumina fluctus suos à vocibus aquarum multarum, hoc est, lacrymarum oculorum suorum; & flumen Dei repletum est aquis, paravit ipse cibum illorũ: quoniam ita est præparatio ejus: & qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. Sic etiam erit mirabilis in altis Dominus, hoc est in altitudinibus gloriæ accidentalis, quæ illi resultat ex lacrymis veræ nostræ conversionis. Per hanc, Dominus virtutem populo suo dabit, quia Dominus fortitudo plebis suæ: & accipiemus benedictionem ab eo, & misericordiam à Deo salutari nostro. Sed audiamus iterum dicentem contra ficulneam: Succide ergo illam: ut quid etiam terram occupat? Succiditur ergo ficulnea, quando peccator obstinatus, qui otiosè terram occupat, privari jubetur vita. Ille præcipit, ficulneam succidi, de quo scriptum est apud Zachariam Prophetam: Et succidi tres pastores in mense uno, & contracta est anima mea in eis: siquidem & anima eorum variavit in me. Et dixi: Non pascam vos: quod moritur, moriatur: & quod succiditur, succidatur. Ille Deus præcipit, ficulneam succidi, de quo etiam scriptum est: Ecce Dominus exercituum confringet laguneulam in terrore, & excelsi statura succidentur, & sublimes humiliabuntur: subvertentur condensa saltus ferro: & Libanus cum excelsis cadet. Utique, ut dicitur apud Sanctum Job: peccatores infructuosi, & im-

(o) *Psalm.103.v.7.*
(p) *Psalm.76. v.18. & 19.*
(q) *Iacobi, c.3.v.*[illegible]
(r) *Psalm.43. v.19. & 20.*
(s) *Iob, c.16. v.17.*
(t) *Psalm.38.v.13.*
(u) *Threnor. cap.2. vers.18.*
(v) *Isai. c.30.v.18.*
(x) *Psal.32. vers.1. & 2. & 3. & 4.*

& impœnitentes, qui habitant domos luteas; qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tinea. De mane usque ad vesperam succidentur: & quia nullus intelligit, in æternum peribunt. Qui autem reliqui fuerint, auferentur ex eis, & non in sapientia. Item dictum est de pœna peccatorum: Defecit qui prævalebat, consummatus est illusor, & succissi sunt omnes, qui vigilabant super iniquitatem; qui peccare faciebant homines in verbo, & arguentem in porta supplantabant, & declinaverunt frustrà à justo. Viri iniqui sublati sunt ante tempus suum, & fluvius subvertit fundamentum eorum. Quasi nihil posset facere Omnipotens, æstimabant eum: cùm ille implesset domos eorum bonis. Nonne succissa est erectio eorum, & reliquias eorum devoravit ignis? Quoties lucerna impiorum extinguetur? Ex prædictis verbis infertur periculum, quod habent succissionis tot ficulneæ otiosè terram occupantes, & quomodò malè moriuntur qui impiè, & inordinatè vivunt. Non tardemus ergo converti ad Dominum, & nè differamus de die in diem: subitò enim veniat ira illius, & in tempore vindictæ disperdet nos. Revocat Deus multoties peccatores in dimidio dierum ipsorū in generationem, & generationem anni sui. Verè indignatio Regis, nuntii mortis. Ascendit mors per fenestras nostras. Mors non tardat: ideo nolimus zelare mortē in errore. Peccatores sicut oves in inferno positi sunt: mors depascet eos. Deo reddantur gratiæ, quia usque nunc nostras conservavit vitas, ut possimus pœnitentiam agere, ac de tantis malis effugere. Utinam nos respiciamus ad sententiam succissionis ficulneæ, nè fortè fiat, quòd ad illam non attendentes, simili involvamur supplicio, qu infru-

(y) *Psalm.64.v.10.*

(z) *Psalm.125.v.5.*

(aa) *Psalm.27.v.8.*

(bb) *Psalm.23.v.5.*

(cc) *Zachar.cap.11. vers.8. & 9.*

(dd) *Isaiæ, cap.10. v.33. & 34.*

(ee) *Iob cap.4.v.19. & 20. & 21.*

(ff) *Isaiæ,c.29.v.20. & 21.*

(gg) *Iob,c.22.v.16. & 17. & 18. & 20.*

infructuosè terram occupantes, servivimus toties peccato. Nota apponitur illationis, & consequentiæ per verba: Succide ergo illam, quando isti fulminatur sententia ficulneæ. Verbum hoc Ergo, notanter apponitur: quia infertur, & consequitur sententia punitionis, quando præcessit talis comprobatio criminis in rationali ficulnea otiosè terram in vinea Ecclesiæ occupante, quia in ea collocata debebat fructus bonæ operationis producere. Nè igitur simili subjaceamus repentinæ succissionis periculo, ab omni abstineamus peccato: quiescamus agere perversè, & discamus benè facere. Nolimus gustare illud, quod licitè gustare non possumus, & quod gustatum affert mortem. Non est respectus morti iniquorum, & firmamentum in plaga eorum. Si impii fuerimus, væ nobis est. Habemus magnum, & omnipotentem Deum, cujus iræ nemo resistere potest, & sub quo curvantur qui portant orbem. Quanti ergo sumus nos, ut respondeamus ei, & loquamur verbis nostris cum eo? Si repentè interroget, quis respondebit ei? & quis dicere potest: Cur ita facis? Si voluerit homo contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille. Sapiens corde est, & fortis robore: quis restitit ei, & pacem habuit? Qui transtulit montes, & nescierunt hi, quos subvertit in furore suo. Qui commovet terram de loco suo, & columnæ ejus concutiuntur. Idola hominem à morte non liberant, neque infirmum à potentiore eripiunt. Sed timor Domini fons vitæ, ut declinent à ruina mortis. In malitia sua expelletur impius: sperat autem justus in morte sua. Tu, dulcissime Deus, & homo, Redemptor noster Jesu Christe, es primus, & novissimus, & fuisti mortuus: & es vivens in sæcula sæculorum, & habes claves mortis,

(hh) *Iob, c. 21. v. 17.*
(ii) *Eccli. c. 5. v. 8. & 9.*
(jj) *Psal. 101. v. 25.*
(kk) *Proverb. c. 16. vers. 14.*
(ll) *Jerem. c. 9. v. 21.*
(mm) *Eccli. cap. 14. vers. 12.*
(nn) *Sapientiæ, c. 1. vers. 12.*
(oo) *Psal. 48. v. 15.*
(pp) *Isai. c. 1. v. 16. & 17.*
(qq) *Iob, cap. 6. v. 6.*
(rr) *Psalm. 72. v. 4.*
(ſſ) *Iob, c. 10. v. 15*
(tt) *Iob, cap. 9. v. 13. & 14.*
(uu) *Iob. c. 9. v. 11. & ibidem, v. 3. & 4. & 5. & 6.*
(vv) *Baruch, cap. 6. vers. 35.*

 tis,

tis, & inferni. Tu es enim Domine, qui vitæ, & mortis habes potestatem, & deducis ad portas mortis, & reducis: homo autem occidit quidem per malitiam, & cum exierit spiritus, non revertetur, nec revocabit animam, quæ recepta est. Sed tuam manum effugere impossibile est. Negantes enim te nosse impii, per fortitudinem brachii tui flagellati sunt: novis aquis, & grandinibus, & pluviis persecutionem passi, & per ignem consumpti. Creatura enim tibi Factori deserviens, exardescit in tormentum adversus injustos.

(xx) *Proverb.* c.14. v.27. & 32.

(yy) *Apocalypss.* c.1. *verss.*17. & 18.

(zz) *Sapientia*, c.16. v.13. & 14. & 15. & 16. & 24.

§. Secundus.

HOMILIA II.

Super illa verba:

Erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere.



Culos suos statuerunt declinare in terram peccatores. Ideo infelices jussu Domini à paucis de terra dividentur in vita eorum, quando multi sunt vocati, pauci verò electi. Ab istis paucis electis dividuntur illi miseri, qui æternaliter damnantur. Sic erit in consummatione sæculi: exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & stridor dentium. Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet: desiderium peccatorum peribit. Hunc humiliat, & hunc Deus exaltat, quoniam judex est, reprobos peccatores humilians

(a) *Psal.*16. v.11.

(b) *Matthæi, cap.*20. *verss.*16.

(c) *Matthæi*, c.13. v.49. & 50.

(d) *Psal.*111. v.10.

lians usque ad terram, ipsos confundens usque ad abyssum, profundum centrum terræ, quam inordinatè amarunt: & suscipiens mansuetos Dominus, exaltans eos usque ad cœlos, ille qui custodit omnes diligentes se, & omnes peccatores disperdet: quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto. Verumtamen fex ejus non est exinanita: bibent omnes peccatores terræ. Utinam isti miseri terram viventium, ubi est portio nostra cœlestis, respexissent, & oculos sursum levassent, nè oculos suos statuissent declinare in terram, vanitatem sæculi hujus amantes, & æternam vitam amittentes. Juxta hodiernum Evangelium, ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem, & octo; & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere. In hac muliere curva, & præ sua infirmitate curvata, dicit Sanctus Gregorius Magnus, quòd designantur superbi peccatores, sæculares res diligentes. Mulier prædicta habebat spiritum infirmitatis. Habent equidem spiritum infirmitatis superbi, qui oculos statuerunt in terram declinare, & sursum nolunt respicere: immo videtur, quòd nec possunt, præ pondere ipsorum superbiæ ipsos ad ima inclinante, cui volentes sunt traditi, & oblati, voluntariè illius mancipia effecti. Ventus superbiæ, qui eos extollit, & elevat, est qui etiam illos ad terram illidit, ac in infernum præcipitat. Vi ventus fulmen, cujus naturæ est in superiora conscendere, impellitur, ut in terram cadat, & subtus eam se numquam ampliùs videndum detrudat. O misera superborum conditio! siquidem altitudinem cœli petere debentes, quia ad suprema inquirenda sunt creati, miserè in ima terræ, & inferni, superbiæ aere jure plorantur addicti. Audiatur Sanctus Augustinus loquens sic de ven-

(e) *Psalm* 74. *v.*8.

(f) *Psalm.*146.*v.*6.

(g) *Psal.*144. *v.*20.

(h) *Psalm.*74. *v.*9.

(i) *Psalm.*141.*v.*6.

(j) *Homil.*31. *in Evangel.*

(k) *Lib.*1. *de Serm. Domini in Monte, sub init.*

(l) *Eccli. c.*10.*v.*14.

(m) *Psalm.*73.*v.*23.

(n) *Judæ Apostol. Epist. v.*11. *&* 12. *&* 13.

vento superbiæ: Legimus scriptum de appetitione rerum temporalium: Omnia vanitas, & præsumptio spiritus. Præsumptio autem spiritus audaciam, & superbiam significat. Vulgò etiam magnos spiritus superbi habere dicuntur: & rectè, quandoquidem spiritus etiam ventus vocatur. Unde scriptum est: Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum. Quis verò nesciat, superbos inflatos dici, tamquam vento distentos? Unde est etiam illud Apostoli: Scientia inflat, charitas verò ædificat. Quapropter, quando dicitur: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, rectè hic intelliguntur pauperes spiritu, humiles, & timentes Deum, id est, non habentes inflantem spiritum. Hucusque Sanctus Doctor. Peccatores profectò vanitatem, & præsumptionem spiritus non amarent, nisi spiritum infirmitatis, & infirmitatem spiritus, ut superbi, non haberent. Laborant igitur ægritudine spiritus eos inflantis, illos sursum respicere non sinentis, & ad transitoria miseros ipsos curvantis. Initium superbiæ hominis apostatare à Deo. Quis ergo erit finis eorum, de quibus dicitur: Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper? Væ illis, quia in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Corè perierunt. Hi sunt in epulis suis maculæ, convivantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur; arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones: sidera errantia: quibus procella tenebrarum servata est in æternum. De istis dicitur etiam superbis ab spiritu periculosæ possessis infirmitatis: Erubescant impii, & deducantur in infernum: muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur

(o) *Psalm. 30. v. 19.*

(p) *Psalm. 45. v. 7.*

(q) *Expos. Moral. in Iob lib. 34. cap. 21. & seq.*

(r) *Iacobi, c. 4. v. 1.*

(s) *1. ad Corinth. c. 6. vers. 6. & 7.*

(t) *Lucæ, c. 11. v. 17.*

(u) *Psal. 117. v. 13. & 14.*

(v) *In Oratione Officii, & Missæ Dominicæ 2. post Pascha.*

(x) *Psalm. 118. v. 75.*

tur adversus justum iniquitatem in superbia, & in abusione. Sed heu! Quia conturbatæ sunt gentes, & inclinata sunt regna; dum quasi totus mundus sequitur diabolum superbum: &, sicut dicit Sanctus Gregorius Magnus, manifestissimum reprobotum signum superbia est; at contrà humilitas, electorum. Unde bella, & lites inter nos? Nonnè hinc, ex concupiscentiis nostris, quæ militant in membris nostris; Frater cum fratre judicio contendit. Quarè non magis injuriam accipimus? Quarè non magis fraudem patimur, ut hortatur nos Sanctus Paulus? Superbiæ infirmitate inclinata sunt regna, & consequenter casui proxima: ideo scissa: ideo divisa, ac desolationi propinqua, cùm sit scriptum: Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur. Impulsus à superbia mundus eversus est, ut caderet, sed Dominus suscepit eum. Fortitudo ejus, & laus ejus Dominus, & factus est ipsi in salutem. Pater Æternus, qui in Filii sui humilitate jacentem mundum erexit potius, quàm detinuit eum, nè caderet. Utique cognovimus, Domine, Æterne Pater, quia æquitas judicia tua: & in veritate tua humiliasti nos, quando Christus humiliavit semetipsum eo fine, ait S. Gregorius Magnus, ut non esse superbum hominem doceret humilis Deus. In veritate tua nos humiliasti, quia per Filium tuum, qui est via, veritas, & vita, nos è superbis humiles facere voluisti, ut disceremus ab eo, quia mitis est, & humilis corde. Sanè, Domine, veritas tua exaltata est usque ad nubes: quia hunc Filium tuum, Deum Hominem, Redemptorem, & Magistrum nostrum, qui est veritas, quia humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, exaltasti, & donasti tu Deus illi nomen, quod est super omne nomen, ut in no-

(y) *Ubi suprà.*

(z) *Ioan. c.14. v.6.*

(aa) *Matth. cap. 11. vers. 29.*

(bb) *Psalm. 35. v.6.*

(cc) *Ad Philippens. c.2. v.8. & 9. & 10. & 11.*

nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm in inferiores

(dd) *Ad Ephes. c.4. vers.9. & 10.*

partes terræ? Qui descendit, ipse est & qui ascendit, ut impleret omnia. Utinam ab eo discamus: nam aliàs in conspectu ejus cadent omnes, qui descendunt in terram: quia ipse Jesus in judicio damnabit, & faciet cadere ad inferos, illos, qui inordinatè in terram descenderunt, ad terram se inclinantes, spiritum infir-

(ee) *Psalm.21.v.30.*

mitatis superbiæ habentes, vanitates, delicias, honores, & divitias amantes, & sursum cœlum, præ infirmitate spiritus, vani ventus, scilicet, aspicere negligentes, ac proinde omnino suspicientes solum, nec potentes sursum respicere

(ff) *Lucæ c.11.v.23.*

ad cœlicolarum veras opes, delectationes honorabiles, & jucundas honorificationes. Cadent igitur omnes, qui descendunt in terram, & cadent in conspectu Christi judicantis, utpote ipsius inimici, qui noluerunt ab eo discere mansuetudinem, & humilitatem; quia qui non est cum Christo, contra illum est: & qui non colligit cum ipso, dispergit. Ideo hos inimicos

(gg) *Psalm.109.v.1. & 6.*

ponet scabellum sui Filii Pater Æternus; ac ipse Christus, qui judicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum superborum horum in conspectu illius cadentium. Quando hic populus insipiens vanorum hominum incitavit nomen supereminens

(hh) *Psal.73. v.18. & 20. & 21. & 22. & 23.*

Dei, ipse Dominus respiciet in testamentū suum, quia repleti sunt qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum. Ne avertatur humilis factus confusus, exurget Deus, judicabit causam suam, memor erit improperiorum suorum, eorum, quæ ab insipiente sunt tota die. Non obliviscetur

tur voces inimicorum suorum: ac sic injusti punientur:& semen impiorum peribit.O appetitus pessimi, & valde nobis nocentes, mundanarum rerum, sæcularium sublimitatum,& humanarũ delectationum!Quousque irruitis in hominem? (ii) Psal.36. v.28.
interficitis universi vos, tamquam parieti inclinato,& maceriæ depulsæ? Quando sensus,& cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab (jj) Psalm.61. v.4.
adolescentia sua,vos impellitis Adæ filios,ut cadant: & multoties homo inclinabit se,& cadet, aliàs fortè, quamvìs inclinatus, non casurus in peccata, & in æterna supplicia, nisi à vobis in eũ irruentibus,& illum spiritualiter interficientibus, impulsus,depulsus,eversus, atque subversus foret: &, si, quamvis esset inclinatus,non caderet, (kk) Genes. cap.8. vers.21.
neutiquam in æternũ periret. Sed heu! Nos ipsi, qui nati sumus in malum proni, & ad perversa inclinantes, quotidie quærimus mala,nos in vetita,atque nobis noxia impellentes. Debebamus fugere eos, qui impellunt ad flagitia: & quærimus ipsos, ut socios ad scelera perpetranda, quia illos appetitus peccati, quos debebamus subigere, extollimus,& magni facimus,& pluri- (ll) Psalm.10. v.10.
mi pendentes, ac nimis appretiantes eos, super nostra capita illos collocamus, ac in pectore, & corde nostro statuimus, illam obliviscentes sententiam: Statim in foribus peccatum aderit; sed sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius. Quarè ergo admittimus in nobis, servamus, & in magno pretio habemus appetitus, (mm) Genes.c.4.v.7.
quos sub nobis habere debemus? Ut quid volumus comedere insulsum,quod non est sale conditum, gustantes simul quod gustatum affert (nn) Iob, c.6.v.6.
mortem? Quid vis rursus ingerere quod tibi noxium fuit? ajebat Sanctus Hieronymus. Noxium fuit ad peccatum allici; quia unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & il-

le-

(oo) Iacobi, c. 1. v. 14. & 15. lectus: deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem. En igitur, quomodò cum Jonatha potest gustans peccatum dicere: Gustavi paululum mellis, & ecce ego morior. (pp) 1. Reg. cap. 14. vers. 43. Comedit etiam insulsum quilibet peccans, quia deglutit illud, quod caret sale Christianæ sapientiæ: quæ quidem sapientia non invenitur in terra suaviter viventium; (qq) Iob, c. 28. v. 13. sed ædificavit sibi domum in illo sapiente, qui non odit mandata, & justitias: dum sapiens cor, & intelligibile abstinebit se à peccatis, & (rr) Proverb. cap. 9. vers. 1. in operibus justitiæ successus habebit. Si non deterret vorare insulsum, vel nobis ingerere noxium, vereamur saltem mortiferum. Quid est hoc, quòd inclinamur ad gustum brevem, (ss) Eccli. c. 33. v. 2. ex quo tantùm eruimus, educimus, atque adquirimus mortem? Quando in deserto filii Israel petierunt, & venit coturnix, & pluit (tt) Eccli. c. 3. v. 32. super eos Deus sicut pulverem carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata: & ceciderunt in medio castrorum eorum, circa tabernacula (uu) Psal. 104. v. 40. eorum: & manducaverunt, & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis: non sunt fraudati à desiderio suo: adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos: (vv) Psalm. 77. v. 27. & reliquis usque ad vers. 33. inclusivè. & occidit pingues eorum, & electos Israel impedivit: in omnibus his peccaverunt adhuc: & non crediderunt in mirabilibus ejus. Et defecerunt in vanitate dies eorum, & anni eorum cum festinatione. Caro sanè pretiolsraelis filii, permit- (xx) Psal. 118. v. 25. tente Deo, gustum carnium coturnicum pennatarum, [atque ideo potentium ab ipsis facillimè, & brevissimè avolare] emerunt; siquidem ferè (yy) Psal. 144. v. 14. absque perceptione brevis delectationis, luerunt pœnas talis appetitus, inclinationis, & (zz) Matth. c. 7. v. 7. gustus, adhuc in hoc sæculo, repentinæ mortis

tis consignati supplicio. O bone Deus! Adhæsit pavimento anima nostra, præ nimia inclinatione ad terrena: vivifica nos secundum verbum tuum, quia elevas omnes, qui corruunt, & erigis omnes elisos, & dixisti: Quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis. Domine, Retribue servis tuis, vivifica nos: & custodiemus sermones tuos. Erravimus sicut ovis, quæ periit: quære servos tuos: illumina oculos nostros, ne umquã obdormiamus in morte: nequando dicat inimicus noster: Prævalui adversus eos. Humiliata est in pulvere anima nostra: conglutinatus est in terra venter noster. Exurge Domine, adjuva nos: & redime nos propter nomen tuum. O Deus noster! Quem fructum habuimus tunc in illis, in quibus nunc erubescimus? Nam finis illorum mors est. Tamquam agni exultemus, magnificantes te Domine, qui liberasti nos. Memores enim fuimus adhuc eorum, quæ in incolatu nostro facta fuerant, quemadmodum pro natione animalium eduxit terra muscas, & pro piscibus eructavit fluvius multitudinem ranarum. Terra incolatus nostri, ad quam inclinati toties sumus, & ob cujus amorem sursum non respeximus, eduxit muscas, quæ morientes perdunt suavitatem unguenti bonæ vitæ, & bonæ famæ: muscas fœdè cadaveribus insidentes, importunè super plagas infirmorum versantes, quæ super dolorem vulnerum nostrorum addiderunt. Pro fructibus aquarum [dum omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur] nihil boni habuimus, siquidem pro piscibus eructavit fluvius multitudinem ranarum: eructavit mundus proditor pertransiens, velut fluvius, e cęno vitiorum ranas nos associantes in lacu miseriæ, & in luto fęcis, nobis vocibus intemperatis, dissonis

(aaa) *Psalm.* 118. *vers.* 176.

(bbb) *Psal.* 12. *v.* 4.

(ccc) *Psal.* 43. *v.* 25. & 26.

(ddd) *Ad Roman.* c. 6. *v.* 21.

(eee) *Sapientiæ, c.* 19. *vers.* 9. & 10.

(fff) *Eccle. c.* 10. *v.* 1.

(ggg) *Psal.* 68. *v.* 27.

(hhh) 2. *Reg. cap.* 14. *vers.* 14.

(iii) *Psalm.* 39. *v.* 3.

(jjj) *Matthæi, c.* 11. *vers.* 8.

sonis

sonis, ac discordibus potius fastidia ingerentes, quàm delectationes, aut gaudia, vel utilitatem ullam præstantes. Etiam terra nostra mundi hujus edidit ranas in penetralibus Regum ipsorum, quando qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt:& Reges gentium dominantur eorum:ac etiam stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regis: & quidem Reges [cùm etiam ipsi sint mortales homines,& primam vocem similem omnibus emiserint plorantes: nemo enim ex Regibus aliud habuit nativitatis initium] à ranis infestis vitiorum nocentiũ terræ, & lacertis virulentis passionum suis viribus non valent liberari. Itaque Deus noster, illos, ac nos, oramus te, ut digneris adjuvare, non sinens à satana alligari, sicut alligata fuit mulier illa, de qua hodie loquitur Evangelica Historia, nè, sicut ea, simus inclinati, nec omnino possimus sursum respicere: sed potius pro tua benignitate concedens, gratia nos, atque spe cœlestium bonorum erigi, ut æternam Patriam oculis fidei aspicientes, dicamus: Quid enim mihi est in cœlo? & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

(KKK) *Lucæ, cap. 22. vers. 25.*

(lll) *Proverb. 30. vers. 28.*

(mmm) *Sapient. c. 7. vers. 31.*

(nnn) *Psal. 72. v. 25.*

§. Ter-

§. Tertius.

HOMILIA III.

Super illâ verba:

Erecta est: & glorificabat Deum.



Onne decem mundati sunt? [dixit aliquando Jesus Christus] & novem ubi sunt? Non est inventus qui daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Hæc locutus est Redemptor noster, quando decem leprosis [per miraculum, & beneficium magnum ipsis exhibitum] mundatis, tantùm unus ex illis, ut vidit quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes ejus gratias agens; & hic erat Samaritanus. Et ait illi: Surge, vade: quia fides tua te salvum fecit. O quomodo numerum reddentium gratias Deo pro acceptis beneficiis excedit novies multitudo hominum fęda ingratitudine favores Domini obliviscentium! Notatu dignum est, quòd erat Samaritanus ille, qui reddidit gratias Domino; alienigena, qui inventus est dans gloriam Deo: quia, ut docet Sanctus Gregorius Magnus, Samaritanus interpretatus Custos. Et profectò custos in se beneficii Divini est ille, qui gratias agens Deo, à pessima abhorret ingratitudine. Custodire volebat igitur Divinum in se beneficium illa mulier, de qua loquitur Evangelium hodiernum. Hanc inclinatam ex infirmitate fœminam cùm vidisset Jesus, vocavit eam ad se, & ait illi: Mulier,

(a) *Lucæ c.17. v.17. & 18. & ibid. v.15. & 16. & 19.*

(b) *Homil. 18. in Evangelia.*

(c) *Psalm. 19. v. 9.*

(d) *Lucæ, c.1. v.69. & 74. & 75.*

(e) *Psalm. 68. v.30. & 31. & 33. & 35.*

lier, dimissa es ab infirmitate tua, Et imposuit illi manus, & confestim erecta est, & glorificabat Deum. Non erigitur solùm ad benè habendum, ac valendum: etiam erecta est glorificandum Dominum, & consequenter ad beneficium illius salutis in se ipsa meliùs custodiendum, & accuratè servandum. Custos est illa favoris ipsi præstiti, quæ ita studet Dei debitæ glorificationi. Inter erectionem hujus fœminæ anteà infirmæ, & annis decem, & octo inclinatæ, ac glorificationem, quàm Deo ipsa reddidit, ut liberatori, ac benefactori suo, tantùm mediat conjunctio. Et: quæ quidem conjunctio copulativa unit salutem glorificationi Dei, & hanc glorificationem ipsam unit, & conjungit beneficio erectionis, & salutis, quæ mulieri infirmæ venit à pietate Divinæ Majestatis. Ideo consultò noscitur dictum: Erecta est, & glorificabat Deum. Erigitur statim glorificans: glorificat Deum, se jam sanatam, atque erectam per illud miraculum, & salutis magnum beneficium considerans. Non demoratur Dei glorificationem, in se ipsa felicissimam jam spectans sanitatem, quia maximè veretur ingratitudinem. Nolens, per hanc deperdi acceptum à Domino favorem, satagit glorificare, & laudare Dei nostri pietatem Omnipotentem. Timens iterum in pœnam ingratitudinis inclinari, reddit statim gratias Deo; ideoque perseverat in acceptæ salutis beneficio conservando. O quoties auxiliante Deo nostro, nos in nomine Domini nostri surreximus, & erecti sumus! Sed ipse erexit cornu salutis nobis: ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi in sanctitate, & justitia coram ipso omnibus diebus nostris. Nos sumus pauperes, & dolentes: salus Dei suscepit nos: ideo laudare proponamus

(f) *Psalm. 27. v. 7.*

(g) *Iob, c. 40. v. 5.*

(h) *Iudicum, cap. 9. v. 26. & 27.*

(i) *Psalm. 5. vers. 8.*

(j) *Psal. 144. v. 14.*

(k) *Psal. 145. v. 5. & 8.*

(l) *Psalm. 33. v. 2. & 5.*

(m) *Psalm. 70. v. 8.*

mus

mus nomen Dei cum cantico, & magnificare eum in laude. Quæramus Deum, & vivet anima nostra. Laudent illum cœli, & terra: mare, & omnia reptilia in eis: quoniam in Deo speravit cor nostrum, & adjuti sumus. Gratias agamus Deo nostro pro erectione nostra è peccatorum sórdido cœno, ac etiam ex infirmitatum corporalium incommodo: & sic hac gratitudine poterimus circumdare nobis decorem, & in sublime erigi, & esse gloriosi. Ne patiamur à Gentilibus in odio ingratitudinis vinci: quia si hoc vitium non fugerimus, ipsis deteriores declamabimur. Erecti habitatores Sichem factis cantantium choris ingressi sunt fanum Dei sui. O quot agnoscentes verum Deum, quem isti Sichimitæ ignorabant, non introeunt Domum Domini, nec adorant ad templum sanctum ejus in timore suo, quamvis sint ab ipso Deo erecti ab infirmitate per salutem, à paupertate per abundantiam, ab infamia per honorem. Allevat Dominus omnes, qui corruunt, & erigit omnes elisos. Beatus cujus Deus Iacob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius. Sed postquam dictum est: Dominus erigit elisos, audimus etiam: Dominus diligit justos. Erimus à Deo dilecti, si justitiæ studuerimus. Justum est, nos esse justos, maximè cum à Domino beneficium erectionis acceperimus: simus igitur justi ingratitudinem odientes, & Deum ob ejus favores impensè glorificantes. Maximoperè igitur amemus omnem virtutem, & justitiam, qui tam multipliciter experti sumus Divinam beneficentiam. Erecta est, & glorificabat Deum hodie fęmina tam insigni miraculo per Redemptoris nostri jussum sanata. Erecta videtur spiritu, & animo suo ad rectè vivendum, & complacendum virtuti-

(n) *Luca, c. 2. v. 20. & ibid. v. 10. & 16.*

(o) *Actor. c. 2. v. 4. & 11.*

(p) *Psalm. 117. v. 14. & ibidem, vers. 1.*

(q) *1. Regum, cap. 2. vers. 30.*

(r) *Psal. 15. vers. 2.*

(s) *Eccli. c. 35. v. 26.*

(t) *Eccli. c. 15. v. 9. & 10. & 11.*

tutibus illi Domino, qui ejus erexerat corpus. Erecta fuit, ut in alta peteret, cùm facilè jam cœlum respicere posset: & illuc volens levare cordis oculos, quò jam suos dirigere valebat conspectus, non jam ampliùs corpore inclinata, nec ad respiciendum sursum antiqua illa inclinatione impedita, erecta est, & glorificabat Deum, ipsi desiderans in tota anima inservire, & ad ejus obsequium, & glorificationem etiam corpus applicare. Videtur etiam hæc mulier semper permansisse in Domini nostri laude, quia quando audimus Evangelistam Sanctum dicentem, quòd glorificabat Deum, scimus illam glorificasse, sed non à Dei laude desiisse; ideoque probabile est, eam dixisse: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo: Exquisivi Dominum, & exaudivit me: & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. Ad imitationem ergo hujus mulieris Deum ita glorificantis propter suæ beneficium erectionis, quando nos forsan plura, ac majora ab eo recepimus beneficia, repleatur os nostrum laude, ut cantemus gloriam Domini, tota die magnitudinem suam. Audiatur de hoc Sanctus Augustinus, qui ait: Quid est tota die? Sine intermissione. In prosperis, o Deus, quia consolaris: in adversis, quia corrigis. Antè quàm essem, quia fecisti. Cùm essem, quia salutem dedisti. Cùm peccassem, quia ignovisti: cùm conversus essem, quia adjuvisti: cùm perseverassem, quia coronasti. Ita planè repleatur os meum laude, ut hymno dicam gloriam tuam tota die. Hucusque Sanctus Doctor. Reversi sunt Pastores glorificantes, & laudantes Deum, postquam in Bethleem ab eo beneficia acceperunt, & anteà evangelizatum erat eis gaudium magnum: postquam viderunt Jesum infantem Deum,

(u) *Psalm.* 43. *v.* 13.

(v) 1. *ad Corinth. c.* 6. *vers.* 20.

(x) *Psalm.* 61. *v.* 2. & 3. & 5.

(y) *Psalm.* 48. *v.* 8. & 9. & 10. & 11. & 12. & 13. & 14.

(z) *Psalm.* 68. *v.* 31.

(aa) *Psal.* 50. *v.* 17.

Deum, & hominem pannis involutum, & in præsepio positum: quia, dum Dominus ad nostrum gaudium, atque commodum procurandum accingitur, ejus debemus cum laude, & glorificatione enarrare mirabilia, ac illius loqui, & prædicare magnalia. Apostoli, & Discipuli Christi Domini repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui variis linguis: & omnis multitudo eorum, qui ad repletos Sancto Spiritu convenerat, dicebat: Audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei. Ecce quomodo cœperunt quod numquam reliquisse videntur, Dei loquentes magnalia: ecce quot variis linguis, Dei ob beneficia accepta volunt prædicare laudes: quasi nefas ducerent tacere, quando taliter eos Dominus volebat loqui, qui ipsis ita voluerat benefacere, & favere. Ergo, quando fortitudo nostra, & laus nostra Dominus: & factus est nobis in salutem: confiteamur, & ad confitendum Domino alios invitemus, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Deus aliquando dixit: Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Omnes appetimus à Domino glorificari: omnibus nobis etiam consuetum est ab ignobilitatis nota quacumque abhorrere. Jam igitur, saltem vel glorificationem amantes, vel ignobiles à Deo fieri timentes, curemus Dominum ipsum non spernere, sed potius glorificare: satagamus ejus gratiam non temnere, nec beneficia illius in parva habere æstimatione; sed è contrà, valdè enixè studere Dei glorificationi, siquidem ab eo quotidiè non desinunt nobis provenire maxima signa ipsius beneficentiæ. Notatione est etiam dignum in illis verbis: Erecta est: & glorificabat Deum, [quæ quidem ha-

(bb) *Psal. 118. v. 20.*

(cc) *Psalm. 50. v. 12.*

(dd) 1. *ad Corinth. cap. 6. v. 20. & ibid. vers. 19.*

(ee) 2. *ad Corinth. c. 7. v. 1.*

habet, ut diximus, hodierna Evangelica Historia] illud, quod nos verba ipsa docent circa Dei glorificationem, ac laudem. Glorificabat, inquit Sanctus Evangelista, Deum. Hoc animos pulsat nostros, ut quid sit Deum glorificare, sciamus. Deum igitur glorificare, est Deum gloriosum quoad accidentalia efficere, & efficaciter desiderare, ipsum cum majori gloria accidentali apparere. Sanè ipse Deus noster est: quoniam bonorum nostrorum non eget. Sed tamen ille Deum glorificat, qui eum afficit, vel accidentaliter adauget, ea exaltatione, quam capax est Creator à creaturis recipere. Hic illum gloriosum ostendit: & ideo gloriam in prædicto sensu ipsi tribuit. Attendamus tamen, quòd quamvis speciosa sit misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis; sed non est speciosa laus in ore peccatoris. A Deo profecta est sapientia: sapientiæ enim Dei adstabit laus, & in ore fideli abundabit, & Dominator dabit eam illi. Ergo, quando audimus, quòd mulier erecta est, & glorificabat Deum, & quòd priùs suæ erectioni, quàm Dei glorificationi vacavit: curemus Dei adjutorio nos ab animæ incurvatione removere, ideoque nosmetipsos spiritualiter erigere, & ita erecti poterimus Deum glorificare: ea maximè gloria illum volentes accidentali augere, quæ ipsi ex nostra provenerit erectione. Erigamus nos ergo à peccatis, ac affectibus terrenis, quæ quidem res sunt, quæ ad terram nos inclinantes, non sinunt sursum respicere, neque tendere in cœlum: & post hanc spiritualem erectionem solvamus, ac Deo nostro pendamus jucûndum glorificationis tributum, quod ex suo solio acceptabit placidè ille supremus Rex gloriæ; videns nos erectos, atque cœlo magis applicatos, quò à terrenis disjun-

(ff) *Psal. 106. v. 32. & ibid. v. 31.*

(gg) *Psal. 49. v. 14. & reliquis usque ad finem.*

(hh) *Sapientia, c. 8. vers. 3.*

junctos, & à rebus sæcularibus aversos, atque à mundialibus vanitatibus semotos. Erige te: tantum vales, dicit cuilibet nostrum Sanctus Augustinus, simul nos ad erectionem exhortans, & nobis pretium animarum rationalium manifestans. Sed heu! Venditus est populus Dei sine pretio, quando animæ tam pretiosæ gratis multoties traduntur diabolo: quæ quidem animæ emptæ sunt pretio magno, quando pretioso sanguine Jesu Christi Domini nostri redempti sumus, & non corruptibilibus auro, vel argento. Nonne ergo Deo subjecta erit anima nostra? ab ipso enim salutare nostrum. Nam & ipse Deus noster, & salutaris noster: susceptor noster, non movebimur ampliùs. Verumtamen pretium nostrum cogitaverunt repellere illæ res sanè, quæ nos, qui Dei esse debemus, ad mundana intenderunt inclinare, & vetuerunt sursum spiritualiter erigere. Utique frater non redimit; redimet homo: non dabit Deo placationem suam. Et pretium redemptionis animæ suæ, & laborabit in æternum, & vivet adhuc in finem. Non videbit interitum, cùm videret sapientes morientes: simul insipiens, & stultus peribunt. Vocaverunt nomina sua in terris suis. Et homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Hæc via illorum scandalum ipsis. Hæc igitur verba Psalmistæ considerantes, curemus erigi, & Deum glorificare: ad quod exequendum juvabit etiam audire nostrum Patrem Sanctum Bernardum ita dicentem unicuique: Cave, o homo, pecudum more curvari. In erectione nostra satagamus deinceps Deum glorificare, hoc est, gloriosum accidentaliter reddere, & talem bono exemplo proximis nostris monstrare. Magnificemus eum in laude, qua

(i) *Sapientiæ*, c. 1. *vers.* 4.

(ii) 1. *ad Thessalonic.* *vers.* 4.

qua os nostrum annuntiet laudem Dei; postquàm concupierit anima nostra desiderare justificationes illius in omni tempore, & ardenter quæsierimus, quòd cor mundum creet in nobis Deus, & spiritum rectum innovet in visceribus nostris ipse piissimus, & misericordissimus Dominus. Glorificemus, & portemus Deum in corpore nostro, siquidem, ut dicit etiam Sanctus Paulus, non sumus nostri; empti enim sumus pretio magno. Ita emundantes nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus, poterimus Deum laudibus prosequi, accidentali gloria afficere, ac in altum glorificationis efferre, atque possibili modo exaltare eum, quem exaltare jubemur in Ecclesia plebis, & in cathedra seniorum laudare, postquam audivimus: Confiteantur Domino misericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum. Etiam nobis dicitur: Immola Deo sacrificium laudis: & redde Altissimo vota tua. Et invoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me. Peccatori autem dixit Deus: Quarè tu ennarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam; & projecisti sermones meos retrorsum. Si videbas furem, currebas cum eo: & cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundavit malitia: & lingua tua concinnabat dolos. Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, & adversus filium matris tuæ ponebas scandalum: hæc fecisti, & tacui. Existimasti, inique, quòd ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam. Intelligite hæc qui obliviscimini Deum: nequando rapiat, & non sit qui eripiat. Item ait Dominus: Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei. Certè generositatem Christi, qui est

(kk) 2. *Ad Corinth. cap.* 4. *vers.* 7.

(ll) 1. *Petri, cap.* 4. *vers.* 16. & 17.

(mm) *Psal.* 85. *v.* 9. & 10. & 11. & 12. & 13. & 17.

est Sapientia Dei, glorificat contubernium habens Dei. Sed in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Itaque sciat quisque nostrum vas suum possidere in sanctificatione,& honore. Habemus thesaurum in vasis fictilibus. Curemus, nè vasa ob fragilitatem periculosam rumpantur:ut taliter nos spiritum nostrum amantes erigamur, & ita glorificemus erecti Dominum, & Deum nostrum. Nè perdamus Deum, & ipsius gratiæ thesaurum, & nè perdamus consequenter nosmetipsos, si necesse fuerit, quòd in hoc sæculo multa sustineamus, & patiamur incommoda, patiamur quidem, & ut S. Petrus dicit, patientes, ut Christiani, non erubescamus: glorificemus autem Deum in isto nomine: quoniam tempus est, ut incipiat judicium à domo Dei. Eja ergo, Redemptor noster Jesu Christe, omnes gentes quascumque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum. Quoniam magnus est tu, & faciens mirabilia; tu es Deus solus. Deduc nos Domine in via tua, & ingrediemur in veritate tuâ: lætetur cor nostrum, ut timeat nomen tuum: & ita timentes te, confitebimur tibi, Domine Deus noster, in toto corde nostro: & glorificabimus nomen tuum in æternum: quia misericordia tua magna est super nos. Fac nobiscum signum in bonum, ut videant qui oderunt nos, & confundantur, quoniam tu Domine adjuvisti nos, & consolatus es nos.

CAPUT QUARTUM,

In quo ponuntur Evangelia Feriæ Quartæ, & Sextæ, ac Sabbati Quatuor Temporum Adventus, sive temporis Hyemalis, cum Homiliis ad ipsa attinentibus.

SECTIO PRIMA,

In qua apponitur Evangelium Feriæ Quartæ Quatuor Temporum Adventus, cum tribus illi correspondentibus Homiliis.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam, cap. 1. vers. 26.

IN illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen Virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. Quæ cùm audisset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, & Filius Altissimi.

mi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus: & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua: & hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis: quia non erit impossibile apud Deum omne Verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.

§. Primus.

HOMILIA PRIMA,

Super illa verba:

Ne timeas Maria: invenisti enim gratiam apud Deum.



DOLORES obtinuerunt habitatores Philisthiim, quando etiam conturbati sunt Principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan. Similiter, quando Reges terræ congregati sunt, convenerunt in unum, ipsi videntes sic admirati sunt,

tisunt, conturbati sunt, commoti sunt: tremor apprehendit eos. Ibi dolores, ut parturientis. Sed isti omnes, juxta Sanctum Leonem Papam, habuerunt timorem non, quo fides vera justificatur, sed, quo conscientia iniqua torquetur. Iste timor non est in charitate, cùm perfecta charitas foràs mittat timorem: quoniam timor pœnam habet. Ecce in præsenti Evangelica Historia audit Beatissima Virgo Dei Genitrix Archangelum Gabrielem dicentem sibi: Ne timeas Maria. Sanctus Ildephonsus notavit, quòd Deipara non timere jubetur, dum ipsam sic alloquitur: Domina mea, atque Dominatrix mea, dominans mihi, Mater Domini mei, Genitrix Factoris mundi, visitata ab Angelo, salutata ab Angelo, benedicta ab Angelo, beatificata ab Angelo: invenisse te apud Deum gratiã audis, & nè timeas, juberis. Quid mirum? Jure jubetur Deiparæ Virgini salutatæ ab Angelo, non timere: quia [cùm hæc Sacratissima Domina sit, in qua ordinavit Deus charitatem: cùm sit etiã Christi Domini melioris Salomonis ferculum, quod media charitate constravit Rex Angelorum propter filias Jerusalem, animas scilicet tum triumphantis, tum militantis Ecclesiæ, quia Mariæ maximum erga Deum amorem prædicant cum admiratione beati, & narrant magna ædificatione degentes in hoc sæculo justi] non erat æquum, quòd timorem haberet Dei Genitrix tam maximè, ac exemplariter Deum diligens, & charitatem adeò excellentem exercens. Verum est, quòd qui invenit gratiã nescit timere; invenisti gratiã. Sic dicit Mariæ Deiparæ S. Petrus Chrysologus, postquam etiam dixerat: Ante causam dignitas Virginis annuntiatur ex Nomine: nam Maria Hæbræo sermone, Latinè Domina nuncupatur. Vocat ergo Angelus Dominam, ut Domina-

(a) *Exodi, c. 15. v. 14. & 15.*

(b) *Psalm. 47. v. 8. & ibidem, v. 5. & 6. & 7.*

(c) *Serm. 8. de Passione Domini, post medium.*

(d) *1. Ioan. c. 4. v. 18.*

(e) *In libro de Virginitate Beatæ Mariæ.*

(f) *Canticor. c. 2. v. 4. & c. 3. v. 10.*

(g) *Sermon. 142. de Annuntiatione.*

(h) *Canticor. c. 2. v. 2.*

(i) *Proverb. cap. 25. vers. 10.*

minatoris Genitricem trepidatio deserat servitutis; quam nasci, & vocari Dominam, ipsa sui germinis fecit, & impetravit auctoritas. Ne timeas Maria, invenisti gratiam. Hucusque Sanctus Petrus Chrysologus. Sicut lilium inter spinas, sic amica Dei Maria inter filias: & quia juxta Sacrum Textum, gratia, & amicitia liberant, debuit esse ab omni timore libera Sacratissima Virgo, quæ talem apud Deum invenit gratiam, ac tantam ipsius sortita est amicitiam. Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum, ait illi Sanctus Gabriel Archangelus, postquam ipsam vocaverat gratia plenam: in laudem igitur gloriæ gratiæ Dei, qua erat plena Deipara, ne timeat hæc Sacratissima Domina. Gratia Dei, vita æterna: itaque qui invenerit Mariam gratia plenam, & quæ apud Deum invenit gratiam, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino, qui dedit, ut magnus, & mirabilis, salutem in manu feminæ, siquidem ut notavit Sanctus Hieronymus, venit mundo mors per Evam, venit vita per Mariam, & juxta Sanctum Augustinum, Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit: illa percussit, ista sanavit. Ut homo, ait Sanctus Petrus Chrysologus, cursibus eisdem, quibus dilapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitam, agit, agit cum Maria Angelus de salute, quia cum Eva Angelus egerat de ruina. Ideoque Virgo Dei Genitrix sumens illud Ave Gabrielis ore, fundavit nos in pace, mutans Evæ nomen, siquidem mutatis litteris, Evæ nomen commutat; quia Ave dicitur Mariæ, quando illam Deus ad nostram reparationem exaltat. Quia gratia plena, & quia gratiam invenit apud Deum Sacratissima Domina nostra, fortitudo, & decor indumentum ejus, quando etiam byssus, & pur-

(j) *Ad Ephes. cap. 1. vers. 6.*

(k) *Ad Romanos, cap. 6. v. 23.*

(l) *Proverb. cap. 8. vers. 35.*

(m) *Serm. 18. de Sanctis, qui est 2. de Annuntiat. Dominica.*

(n) *Serm. 142. de Annuntiatione.*

(o) *Ecclés. in Hymno Vesper. B. M. V. v. 2.*

(p) *Proverb. c. 31. v. 25. & ibid. v. 22. & ibid. v. 10. & 14. & 29.*

(q) *Psalm. 84. v. 15.*

purpura, hoc est, puritas, & charitas sunt etiam
(r) *Ad Roman. c.5. vers.20.* indumentum Mulieris fortis istius,& procul, &
de ultimis finibus pretium ejus; quæ etiam facta est quasi navis institoris de longè portans panem suum: & quamvis multæ filiæ congregaverint divitias, id est, multæ animæ perfectæ
(s) *Psal.129. v.7.* Dei filiæ magnas acceperint ab ipso gratias, & glorificationes excelsissimas, Maria Virgo Dei Genitrix supergressa est universas. Liquet, quòd
(t) *Psal. 83. v.12. & 13.* Dominus dedit benignitatem, & terra nostra dedit fructum suum, quia Deipara ex Dei Patris privilegio maximo,ut terra benedicta nostri humani generis, dedit suum Filium Christum Dominum, fructum quidem ventris sui virginalis
(u) *Serm.1. de Assumpt. B.Mariæ.* benedictum, & ubi abundavit delictum, superbundavit gratia, quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio, & ipse
(v) *Ad Ephes. cap.1. vers.6.* redemit Israel ex omnibus iniquitatibus ejus: atque etiam, quia misericordiam, & veritatem diligit Deus, gratiam, & gloriam dabit Dominus, & non privabit bonis eos, qui ambulant
(x) *Genes.cap.6.v.8.* in innocentia, dum juxta Sanctum Patrem nostrum Bernardum, innocens fuit Maria ab originalibus, & actualibus peccatis, & nemo ita
(y) *Genes. c.7.v.13. & 1.Petri,c.3.v.20.* præter eam: ac secundùm Sanctum Doctorem Angelicum Thomam, fecit Summus Artifex Deus speculum unum clarissimo clarius, id est, personam Beatissimæ Virginis: quia oportebat,
(z) *Genes. c.9.v.11. & 13.* ut Mater Dei Maria maxima puritate niteret. ideo Maria Virgo Dei Genitrix invenit gratiam apud Deum, qui ei dedit innocentiam, dedit gratiam, dedit gloriam, & dicit S. Hieronymus, quòd cæteris per partes gratia præstatur;
(aa) *Proverb. 31. v.15.& 21. & 28.* Mariæ verò simul se totam infudit plenitudo gratiæ: dicit Sanctus Antoninus Florentinus, congregatas esse omnes aquas gratiarum in locum unum, id est, in animam Virginis: dicit etiam

etiam Beatus Albertus Magnus, quòd in Mariam infusa est omnis gratia communicabilis puræ creaturæ: ac concludit Sanctus Pater noster Bernardus, dicens: Quantum gratiæ in terris Maria adepta est præ ceteris, tantum & in cœlis obtinet gloriæ singularis. Laudare ergo debemus Deum nostrum in gloriam suam, & in laudem gloriæ gratiæ ipsius, quam voluit Mariæ impertiri, & qua decrevit Deiparam Dominam nostram replere. Gloria est Dei nobis conferre gratiam, & nobis offerre, ac etiam largiri gloriam. Gloria quoque est Dei ipsius, & illius gratiæ, quòd gratiam nobis omnibus invenerit Maria apud eum, quia plena gratia est sibi, & superplena nobis, ut de plenitudine ejus accipiant universi, juxta Sanctum Patrem nostrum Bernardum. Invenit Noe gratiam coram Domino: & eripuit suam familiam à diluvio. Invenit Maria gratiam apud Deum, ut liberos à morte æterna faciat suos spirituales filios, suos devotos, familiares, & domesticos. Non erit deinceps diluvium dissipans terram, ex quo arcus apparuit in nubibus: & Maria est arcus Iris gratiarum varietate circumdata, ait Ernestus Pragensis. Ista benedicta mulier de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis: non timebit domui suæ à frigoribus nivis, omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus. Ideo in vitam perfectè Christianam debent surgere ejus devoti, ac spirituales filii, & beatissimam prædicare. Beatam eam dicent omnes generationes, cui fecit magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus: & misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Gratia Dei in Maria Virgine Deipara vacua non fuit, sed semper in ea manet, dum manet in gratia, permanebitque in æternum plena gratia hæc Beatissi-

(bb) *Lucæ, c.1. v.48. & 49. & 50.*

(cc) *1. ad Corinth. c.15. v.10.*

(dd) *Genes. c.18. v.3.*

(ee) *Contra Iulian lib.1. circa medium*

(ff) *Eccli. c.24. v.23. & 24. & 25.*

(gg) *Proverb. c.8. vers.20.*

(hh) *Actor. c.6. v.8.*

(ii) *Psalm.34. v.18.*

(jj) *Ad Hebræos, c.4. v.16.*

ma Domina, quæ in primo instanti suæ animationis invenit gratiam apud Deum, quia fuit in gratia concepta. Invenit gratiam meliùs, quàm Abraham in oculis Dei: ideo ipsam, ut suam puellam, & sponsam, non præterit Sancta Trinitas, cujus imaginem, juxta Sanctum Cyrillum Alexandrinum, illi tres peregrini apud Abraham hospitio recepti, referebant: quia Deus Trinus, & unus, est, & erit in sempiternum cum Maria, eam implens gratia, ac gloria. Quapropter ipsa quasi vitis fructificavit suavitatem odoris: & flores ejus fructus honoris, & honestatis: & ipsa est mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei: adest in ea gratia omnis viæ, & veritatis: in illa omnis spes vitæ, & virtutis. In viis justitiæ ambulat: ut ditet diligentes eam, & thesauros eorum repleat. Itaque qui voluerit illam reperire, quærat ipsam ubi est, in viis, inquam, justitiæ; non in via iniquitatis, in qua numquam fuit, non est, neque umquam erit; non requirat eam in via turpitudinis, à qua semper declinavit, abhorruit, abhorret, & usque in sempiternum abhorrebit. Ut igitur Mariam plenam singulariter gratia, & quæ invenit gratiam apud Deum, habere possimus obviam, nos pro modulo nostro quoquè satagamus esse pleni gratia, & fortitudine, & sic, spiritaliter facientes prodigia, & signa magna in populo, hoc est, bono exemplo nostros proximos meliorantes & Deo lucrantes, populo Christiano ædificationem ingerentes, & Ecclesiam illustrantes, lætificantes, atque augentes, confitebimur Deo, & Mariæ in Ecclesia magna, & in populo gravi laudabimus Dominum nostrum cum Deipara: ac inveniemus jucundè, & feliciter illam, quæ apud Deum invenit gratiam, & quam Dominus

(kk) *Ad Roman.* 10. *vers.* 20. *juxtà Isai. c.* 65. *v.* 1.

(ll) *Psalm.* 104. *v.* 4.

(mn) *Isai. c.* 55. *v.* 6.

(nn) 1. *ad Corinth. c.* 12. *v.* 9.

(oo) 1. *ad Timoth. c.* 6. *v.* 16.

(pp) *Matth. c.* 7. *v.* 7. *& Lucæ c.* 11. *v.* 9.

(qq) *Ioan. c.* 16. *v.* 24.

(rr) *Matth. & Luc. locis paulò ante citatis.*

(ss) *Ad Colossens. c.* 3. *v.* 16.

nus fecit gratia plenam, Virginem Mariam Dei Genitricem, scilicet, quæ sibi, & nobis gratia est plena, & superplena singulariter, dum, quomodò nulla alia pura creatura, gratiam apud Deum invenit. Adeamus ergo cum fiducia per Mariam, & cum Maria ad thronum gratiæ Dei, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno: quia, quamvìs Deus noster ita pius sit, ut dicat: Inventus sum à non quærentibus me, & palàm apparui his, qui me non interrogabant; tamen debemus quærere Dominum, & confirmari, quærere faciem ejus semper: nobis etiam dicitur: Quærite Dominum, dum inveniri potest, invocate eum, dum prope est. Per Mariam, & cum Maria sufficit nobis gratia Dei; & est quæstus magnus pietas cum sufficientia: sed quæramus, & inveniemus, petamus, & accipiemus, pulsemus, & aperietur nobis: & ut dicit Sanctus Bernardus Pater noster: Quæramus gratiam, & per Mariam quæramus: totius boni plenitudinem posuit Deus in Maria, ut si quid spei, si quid gratiæ, si quid salutis in nobis sit, ab ea noverimus redundare. Nihil nos Dominus habere voluit, quod per manus Mariæ non transierit. Hucusque Sanctus Bernardus, qui Mariam alloquens dicit: Quidquid volueris, vales efficere. Huic Dominæ nostræ dicit etiam Sanctus Anselmus: Tu, Maria, velis, & nequaquam fieri non poterit: ac demum Beatus Petrus Damianus: Data est tibi, Maria, omnis potestas in cœlo, & in terra. Accedis ad illud Dei aureum tribunal, non rogans, sed imperans: Domina, non ancilla. Hæc ille. Per Mariam igitur nos invenientes gratiam, erimus in gratia cantantes in cordibus nostris Deo, ut loquitur S. Paulus, cùm venerit nobis gratia, & pax

(tt) *Proverb cap.* 12. *v.* 2. *& c.* 1. *v.* 9.

(uu) *Sapientiæ*, *c.* 4. *vers.* 15.

(vv) *Actor. cap.* 10. *vers.* 45.

(xx) *Actor. cap.* 10. *vers.* 24. *&* 32.

(yy) *Ad Roman. c.* 8. *vers.* 17.

(zz) *Job, c.* 28. *v.* 13.

(aaa) *Matthæi, c.* 13. *vers.* 46.

(bbb) *Psal.* 44. *v.* 3. *&* 15. *& ibid. v.* 13.

pax à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo: & cùm hauserimus gratiam à Domino, & addita sit gratia capiti nostro, & torques collo nostro: gratia Dei, & misericordia erit in sanctos ejus, & respectus in electos illius per Mariam, quia secundum Sanctum Anselmum, sicut à Maria aversus impossibile est, quòd non pereat, sic ad Mariam conversus, & verus ejus devotus, est Dei electus, & prædestinatus, & consequenter impossibile est, quòd pereat. Per Mariam in nationes gratia Spiritus Sancti effussa est. Itaque per Mariam testificantes Evangelium gratiæ Dei, debemus nos commendare Deo, & verbo gratiæ ipsius, qui potens est ædificare,& dare hæreditatem in sanctificatis omnibus: si autem filii, & erimus hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; si tamen compatimur, ut & conglorificemur. Sed nescit homo pretium gratiæ; inveniemus autem per Mariam, eam quærentes, istam margaritam pretiosam, pro qua æquum erit, quòd vendamus, & relinquamus omnia, quæ habuerimus, sive delicias, sive facultates, sive honores,& comparemus eam.Diffussa est gratia in labiis Mariæ: & propterea benedixit eam Deus in æternum: Deo igitur nos, per eam,& post eam, ipsam sequentes, ex toto corde offeramus, dum adducentur Regi virgines post eam, ut spiritaliter simus etiam nos ipsi filiæ Tyri in muneribus.

§. Se-

§. Secundus.

HOMILIA II.

Super illa verba:

Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.



Eus, qui est Dominus Zelotes, visitans inquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt eum: & animam reprobam, quam antè spōsaverat sibi in fide, judicabit in judiciis adulterarum, & dabit illam in sanguinem furoris, & zeli: habet etiam zelum, quò dicit: Gloriam meam alteri non dabo; & tamen pronuntiat: Sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum. Verum est, quòd non est sanctus, ut est Dominus, nec enim est alius extra eum, & non est fortis, sicut Deus noster: jubemur nolle multiplicare loqui sublimia gloriantes: & recedere præcipiuntur vetera de ore nostro, quia Deus scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes: ac arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore. Advertamus hodie in Evangelica Historia ad id, quod dicitur de sanctitate Christi. Inspiciamus, & faciamus secundum exemplar, quod nobis in hoc monte altitudinis Evangelii Sacri monstratum est: quia Christus Dominus nobis reliquit exemplum, ut sequamur vestigia ejus, qui quasi aquila provocans ad volandum filios suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit nos, atque portavit in humeris suis: & in hoc apparuit

(a) *Exodi*, c.20.v.5.

(b) *Osee*, *cap*.2.v.20.

(c) [illegible] *Ezechiel.cap*.16. [illegible]8.

(d) *Isai*. c.48. v.11.

(e) 1.*Petri*, c.1.v.16.

(f) 1. *Reg*. c.2. v.2. & 3. & 4.

(g) *Exodi*, c.25. v.40

(h) 1.*Petri*, c.2.v.[illegible]

ruit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli, & dum vadit Redemptor noster in cœlum, vadit parare nobis locum, & accipiet nos ad seipsum, ut ubi est ille, nos simus, si ab eo, qui est mitis & humilis corde, discamus. Ad Mariam igitur Sanctissimam semper Virginem Dei Genitricem Dominam nostram [ab æterno electam, & prædestinatam, & in ipso instanti suæ sacratæ animationis sine labe peccati originalis, nec debito proximo illud contrahendi, conceptam, ac numquam ullo, vel minimo, peccato actuali, aut levi imperfectione fędatam, utpote ad excellentiam aliquomodo infinitam, ut loquitur Sanctus Doctor Angelicus Thomas Aquinas, dignitatis Matris Dei evectam, & elevatam] loquitur hodie Sanctus Archangelus Gabriel, dicens: Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei. Super quæ verba ait Beatus Doctor Ambrosius: Solus enim per omnia ex natis de fęmina Sanctus Dominus Jesus, qui terrenæ contagia corruptelæ, immaculati partus novitate non senserit, & cœlesti majestate depulerit. Ille Sanctus, quem in figura futuri mysterii pia legis Divinæ præscripta signabant; eo quòd solus Sanctæ Ecclesiæ Virginis ad generandos populos Dei, immaculatæ fęcunditatis aperiret genitale secretum. Hæc Sanctus Ambrosius. Ei consonat Sanctus Idelfonsus, Sacratissimam Mariam Virginem Deiparam alloquens, & devotissimè dicens: Tota invisibiliter Trinitas conceptionem operabitur in te. Sola persona Filii in corpore tuo nascitura, carnem assumet de te. Ideoque quod concipietur ex te, quod nascetur ex te, quod prodiet ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Erit enim hic magnus, hic Deus Virtutum, hic Rex omnium sæculorum, hic factor omnium rerum. Ecce

(i) *Deuteron. cap. 32. vers. 11.*

(j) *1. Ioan. cap. 3. v. 8.*

(k) *Ioan. c. 14. v. 2. & 3.*

(l) *Matthæi, cap. 11. vers. 29.*

(m) *Lib. 2. in cap. 2. Lucæ, circa medium.*

(n) *Lib. de Virginitate Beatæ Mariæ.*

(o) *1. Petri, cap. 2. vers. 22.*

(p) *Ad Hebræos, c. 4. v. 14.*

(q) *Ad Hebræos, c. 7. v. 26.*

Ecce beata tu inter mulieres,integra inter puerperas, Domina inter ancillas, Regina inter sorores. Ecce ex hoc beatam te dicent omnes generationes, beatam te noverunt omnes cœlestes virtutes, beatam prædicant omnes Vates, beatam celebrant omnes nationes. Beata tu fidei nostræ, beata tu animæ nostræ, beata dilectioni nostræ, beata præconiis, & prædicationibus meis. Quid his verbis Sancti Ildefonsi tenerius? quid lepidius? aut quid dulcius? Igitur Christus natus est Sanctus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Habemus Pontificem magnum, qui penetravit cœlos Jesum Filium Dei. Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus. Ideo aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Jesum, oculi nostri semper sint ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes nostros: & sicut oculi servorum in manibus Dominorum suorum, & sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ, ita sint oculi nostri ad Jesum Dominum nostrum, donec misereatur nostri. Cum hoc Sancto sancti erimus, & cum isto viro innocente innocentes erimus, si nos à nostris voluptatibus coarctaverimus: quia elegit nos, & posuit nos, ut eamus, & fructum afferamus, & fructus noster maneat: & ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus in charitate, elegit nos in Christo ante mundi constitutionem Pater Æternus, ut loquitur Sanctus Paulus. Pro imitatione hac sanctitatis Christi orabit ad eum, sicut & ad Patrem Æternum, omnis sanctus in tempore opportuno, ut secundum eum, qui vocavit nos, sanctum, & ipsi in omni conversatione sancti simus, & verificetur de nobis, quod sumus genus electum, rega-

(r) *Ad Hebræos, c.12.v.2.*

(s) *Psalm.24.v.15.*

(t) *Psalm.122.v.2.*

(u) *Psalm.17.v.26.*

(v) *Ioan. c.15.v.16.*

(x) *Ad Ephes. cap.1. vers.4.*

(y) *Psalm.31.v.6.*

(z) *1.Petri, c.1.v.15.*

(aa) *1.Petri, cap.2. vers.9. & 25.*

(bb) *Psalm.29. v.*

regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuntiemus ejus, qui de tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum. Eramus enim sicut oves errantes, sed convertamur nunc ad Pastorem, & Episcopum animarum nostrarum, ut psallant Domino sancti ejus, & confiteantur memoriæ sanctificationis ejus: quia congruum est, quòd congregentur Domino sancti ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia, & ut diligant Dominum omnes sancti ejus, hi, qui secundum propositum vocati sunt sancti. Itaque Reges videbunt, & consurgent Principes, & adorabunt Dominum, quia fidelis est, & Sanctum Israel Jesum Christum Dominum, & Redemptorem nostrum, qui elegerit nos. Ad hoc sciamus, quoniam mirificavit Dominus Deus Pater Jesum Filium Sanctum suum, quando pessimi peccatores tot magnorum beneficiorum Dei obliti, Sanctum Israel exarcebaverunt. Sed lapis, qui reprobatus est à malis hominibus ædificantibus, hic factus est in caput anguli, & non est aliquo alio salus: neque enim est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri: & ideo adorare debemus scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est. Et, cùm simus corpus Christi, & membra de membro, quia multi unum corpus sumus in Christo: cùm etiam, ut dicit etiam S. Paulus, non simus nostri: empti enim sumus pretio magno: glorificemus, & portemus Deum in corpore nostro. Templum Dei sanctum est, quod sumus nos: non sit hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli: ideo secundum S. Augustinum, est cavendum, nè Deus in Templo suo, hoc est, in nobis, aliquid inveniat, quod oculos suæ Majestatis offendat: & juxta Sanctum Gregorium

(cc) *Psalm. 49. v. 5.*

(dd) *Ad Romanos, c. 8. v. 28.*

(ee) *Isaia, c. 49. v. 7.*

(ff) *Psalm. 4. v. 4.*

(gg) *Psal. 77. v. 41.*

rium Magnum, cùm magna sit dignitas habere in cordis hospitio adventum Dei, tergat sordes pravi operis qui Deo præparat domum mentis: quia certè, si domum nostram præpotens, aut nobilis amicus intraret, confestim domus tota mundaretur, nè aliquid esset, quod oculos amici intrantis offenderet. Non sufficit ad felicitatem nostram, sicut nec ad Dei obsequium, quòd Templum Dei sanctum denominemur; debemus esse reverà tales, quales appellamur. Et quia, secundùm quod dicit Beatus Ambrosius, Sanctum dicitur quod est Domino consecratum, exhibere debemus corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium nostrum, nolentes conformari huic sæculo: quia qui voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur, cùm nemo possit duobus Dominis servire, & amicitia hujus mundi inimica sit Dei. Similitudo Templi Dei, & non Templum sunt illi mali Christiani, qui confitentur, se nosse Deum, factis autem negant: qui dicentes, se nosse Christum, & mandata ejus non custodientes, mendaces sunt, & in his veritas non est. De istis dicit Sacra Scriptura: Filiæ eorum compositæ, circumornatæ, ut similitudo Templi. In charta aliqua, aut linteo, vel tabula similitudines Templi depictæ, ac potius confictæ, quàm confectæ, non sunt vera Templa: ideò in his non est consecratio, immò neque benedictio; apud has Templi similitudines, quæ non sunt Templa vera, non invenitur Christus in Sacra Eucharistia: in eis non reperiuntur vasa sacra, aut suppellectilia, & utensilia cultui Divino inservientia: & ideò etiam tales Templi similitudines pedibus calcantium, ut res non sacratæ, teruntur: ideò demum illæ chartæ, linteamina illa,

(hh) *Actor. c.4. v.11. & 12.*
(ii) *Psalm. 98. v.5.*
(jj) *1. ad Corinth. c.12. v.27.*
(kk) *Ad Roman. c.12. v.5.*
(ll) *1. ad Corinth. c.6. v.19. & 20.*
(mm) *1. ad Corinth c.3. v.17.*
(nn) *Genes. cap.28. vers.17.*
(oo) *Serm. 252. de tempore.*
(pp) *Homil. 30. in Evangel.*
(qq) *Ad Roman. cap.12. v.1. & 2.*
(rr) *Iacobi, cap.4. vers.4.*
(ss) *Matthæi, cap.6. vers.24.*
(tt) *Iacobi, c.4. v.4.*
(uu) *Ad Titum, c.1. vers.16.*

illa, ac tabulæ cum suis Templi similitudinibus,
(vv) 1.*Ioan.c.2.v.4.* multoties igne cremantur. Similiter accidit
pluribus Christianis etiam vera Fide Catholica
(xx) *Psal.143.v.13.* Romana imbutis, sed bonæ operationis oblitis:
quibus potest dici illud Jeremiæ: Nolite confi-
(yy) *Ierem.c.7.v.4.* dere in verbis mendacii, dicentes: Templum
Domini, Templum Domini, Templum Domi-
(zz) *Luca, c.3.v.8. & 9.* ni est: ac etiam illud Sancti Joannis Baptistæ:
Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & nè
cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham.
(aaa) *Ad Galatas, c.5.v.6.* Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidi-
bus istis suscitare filios Abrahæ. Iam enim secu-
ris ad radicem arborum posita est. Omnis ergo
(bbb) *Ioan.c.15.v.4.* arbor non faciens fructum bonum, excidetur,
& in ignem mittetur. Hucusque Sanctissimus
(ccc) *Ps.118.v.168. & ibidem, vers.11.* Præcursor Domini prope Jordanem prædicans,
& ad eum venientes baptizans. Peccatores igi-
tur Catholici [quamvis, habentes veram fidem,
(ddd) *Psal.39.v.9.* sint similitudines Templi] cùm non sint Tem-
pla Dei vera [quia non habent fidem vivam,
(eee) *Iacobi, c.2.v.19.* quæ per charitatem operatur, neque agunt vi-
tam verè Christianam, quæ decet fidem profi-
tentes Catholicam: non curant de præparatione
(fff) *Matthæi, c.25. v.34. & 41.* debita ad Sacram recipiendam Eucharistiam,
nec de necessariis, ut maneant in Christo, &
Christus maneat in illis: neque etiam custodiunt
(ggg) *Threnor. c.4. v.1. & 2. & 5.* vasa sacra, Divina, nempè, utensilia, & suppelle-
ctilia virtutum, utpote qui non servant manda-
(hhh) *Ad Philippenses, c.2.v.21. & c.3.v.8.* ta Dei, & testimonia illius, neque in corde suo
abscondunt eloquia Domini, ut non peccent
ipsi: nec habent legem ejus in medio cordis sui
proprii] jure optimo, ut depictæ similitudines
(iii) *Matthæi, c.24. vers.12.* Templi, pedibus dæmonum calcandi in æter-
num offerentur, ac tradentur, & igni æterno
inferni cremandi consignabuntur, quin illis,
(jjj) *Actor.c.4.v.32.* sicut nec dæmonibus, prosit ad salutem, cre-
dere, & contremiscere, quando in die judicii
non

non audient: Venite benedicti Patris mei; sed: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus. O miseri, & infelices [quamvis Catholici] peccatores, Templi tantùm similitudines, & imagines! Heu! Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus? dispersi sunt lapides Sanctuarii in capite omnium platearum? Filii Sion incliti, & amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli? Qui vescebantur voluptuosè, interierunt in viis: qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. Hoc profectò totum illis evenit, quia omnes quæ sua sunt, quærunt, non quæ Jesu-Christi: etiam sanè, quoniam non omnes res mundi detrimentum faciunt, nec arbitrantur ut stercora, ut Christum lucrifaciant. Verè, quoniam abundavit nequitia, refriguit charitas multorum, non ad bona opera, & exempla attendentium sed oblivisscentium, quòd in Primitiva Ecclesia, multitudinis credentiũ erat cor unum, & anima una: erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus: & quotquot possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat. Hoc bonum semen seminavit Christus in agro suo, hoc est in mundo. Unde ergo habet zizania? Respondetur, quòd hoc fecit inimicus homo. Venit inimicus, & superseminavit zizania: quia, ut docet Sanctus Augustinus, cùm negligentiùs agerent Præpositi Ecclesiæ, aut cùm dormitionem mortis acciperent Apostoli, venit diabolus, & superseminavit eos, quos malos filios Dominus interpretatur. Sed ista zizania

(kkk) *Actor. cap. 2. v. 42. & c. 4. v. 34. & 35.*

(lll) *Matthæi, c. 13. v. 27. & 28.*

(mmm) *Lib. quæst. Evangel. in Matth. cap. 11. tom. 4.*

(nnn) *Matth. cap. 13. vers. 30.*

(ooo) *Psalm 149. v. 1. & Psalm. 150. vers. 1.*

(ppp) *Ad Hebræos, c. 11. v. 33.*

(qqq) *1. Joan. cap. 5. v. 4. & 19.*

(rrr) *1. Joan. cap. 2. vers. 16.*

(sss) *Psalm. 84. v. 5. & 6. & 7. & 8. & 9. & 10. & 11. & 12.*

nia colligentur , & alligabuntur in fasciculos ad comburendum : triticum autem congregabitur in horreum Dei, cujus laus æterna erit in Ecclesia Sanctorum : & Dominus laudabitur in Sanctis ejus: quia Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones : & omne quod natum est ex Deo vincit mundum , & hæc est victoria , quæ vincit mundum , fides nostra [scilicet gratiæ , & charitati conjuncta] dum mundus in maligno positus est , scilicet in malo igne luxuriæ , avaritiæ , & superbiæ : quia omne quod est in mundo , concupiscentia carnis est , & concupiscentia oculorum , & superbia vitæ . Ideo optemus, ut convertat nos Deus salutaris noster , & avertat iram suam à nobis , dicentes ei : Numquid in æternum irasceris nobis ? aut extendes iram tuam à generatione in generationem ? Deus , tu conversus vivificabis nos : & plebs tua lætabitur in te . Ostende nobis , Domine , misericordiam tuam : & salutare tuum da nobis . Et nos etiam audiamus quid loquatur in nosmetipsos Dominus Deus : quoniam loquetur pacem in plebem suam , & super Sanctos suos , & in eos , qui convertuntur ad eos . Verumtamen propè timentes eum salutare ipsius , ut inhabitet gloria in terra nostra. Misericordia , & veritas obviaverunt sibi : justitia , & pax osculatæ sunt . Veritas de terra orta est : & justitia de cœlo prospexit .

§. Iter-

§. Tertius.

HOMILIA III.

Super illa verba:

Non erit impossibile apud Deum omne verbum.



QUis loquetur potentias Domini? auditas faciet omnes laudes ejus? O Æterne Deus Pater, potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo: quia in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Verbum, quod est tuus Filius, Veritas tua, in circuitu tuo, & apud te; quia per circuminsessionem in te Patre Æterno est totus Filius cum Spiritu Sancto: Veritas etiam tua in circuitu tuo, quia etiam tu totus Pater cum ipso Spiritu Sancto es in Veritate tua, hoc est, in eodem tuo Sacratissimo Filio, qui appellatur via, veritas, & vita in Sancto Evangelio. Quando emisisti lucem tuam, & veritatem tuam, hoc est, Filium tuum, tamquam Veritatem, & Spiritum Sanctum tuum in linguis igneis, tamquam Lucem, ipsi Filius, & Spiritus Sanctus nos deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua, si nos voluerimus gratiæ cooperari, & introire ad altare Dei: ad Deum, qui lætificat juventutem nostram. Sed etiam, quando Filius tuus, Veritas tua, Omnipotens sermo tuus, Domine, de cœlo à regalibus sedibus venit; tunc

(a) *Psalm.* 105. *v.* 2.
(b) *Psalm.* 88. *v.* 9.
(c) *Ioan. cap.* 1. *v.* 1. *&c.*
(d) *Psalm.* 88. *v.* 9.
(e) *Ioan. c.* 14. *v.* 6.
(f) *Psalm.* 42. *v.* 3.
(g) *Actor. c.* 2. *v.* 3.
(h) *Psal.* 42. *v.* 3. *&* 4.
(i) *Sapientiæ, cap.* 18. *vers.* 15.

tunc cognovimus, Domine, quia æquitas judicia tua, & in Veritate tua humiliasti nos: quia, ut dicit Sanctus Doctor Gregorius Magnus, ad hoc Unigenitus Dei Filius formam infirmitatis nostræ suscepit; ad hoc invisibilis non solùm visibilis, sed etiam despectus apparuit: ad hoc contumeliarum ludibria, irrisionum opprobria, passionumque tormenta toleravit, ut superbum non esse hominem doceret humilis Deus. Quanta ergo humilitatis virtus est, propter quam solam veraciter edocendam, is, qui sine æstimatione magnus est, usque ad passionem factus est parvus? Quia enim originem perditioni nostræ superbia præbuit diaboli, instrumentum redemptionis nostræ inventa est humilitas Dei. Quia igitur Redemptor noster corda regit humilium, & Leviathan iste rex dicitur superborum, apertè cognoscimus, quòd evidentissimum reproborum signum superbia est; at contrà humilitas electorum. Hucusque, Deus noster, dixit Sanctus Gregorius maximus amicus tuus. Itaque tu, Domine, qui omnes homines vis salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: tu, qui protector salvationum Christi tui es, in Veritate tua, in Filio tuo, humiliasti nos, & humano generi ad imitandum humilitatis exemplum, Salvatorem nostrum carnem sumere, & crucem subire, fecisti: etiam in Filii tui humilitate jacentem mundum erexisti: idemque Filius tuus, ut dicit Sanctus Joannes Chrysostomus, non divitem, aut locupletem feminam sibi matrem elegit, sed Beatam Virginem illam, cujus anima virtutibus ornata erat: &, ut docet Sanctus Ambrosius, in Maria Virgine possumus videre humilitatem, videre devotionem: quia ancillam se dixit Domini, dum Mater eligebatur, nec repentino exaltata promisso est. Respe-

(j) *Psal. 118. v. 75.*

(k) *Expos. Moral. in Iob lib. 34. c. 21. & seq.*

(l) *1. ad Timoth. c. 2. vers. 4.*

(m) *Psalm. 27. v. 8.*

(n) *Ecclesia in Oratione Officii, & Missa Dominica Palmarum.*

(o) *Eccles. in Oratione Officii, & Missa Dominicæ secundæ post Pascha.*

(p) *Apud Metaphrast.*

(q) *Lib. 2. in Lucam.*

(r) *Lucæ, c. 1. v. 48. & 51. & 52.*

(s) *Psalm. 88. v. 11.*

(t) *Ecclesia in sextis Responsoriis Matutini Officii Dominicarum Octobris.*

ſpexiſti humilitatem ancillæ tuæ, & feciſti potentiam in brachio tuo, diſperſiſti ſuperbos mente cordis ſui; depoſuiſti potentes de ſede, & exaltaſti humiles, diabolum humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbum, in brachio virtutis tuæ diſperſiſti inimicos tuos. Tua eſt potentia, tuum regnum, Domine, tu es ſuper omnes gentes: non eſt qui tuæ poſſit reſiſtere voluntati, & per Mariam Virginem Deiparam ad nihilum redegiſti inimicos noſtros, dum ipſa contrivit caput ſerpentis, qui eſt draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei: contribulaſti capita draconum in aquis gratiarum, & privilegiorum humillimæ Dei Genitricis, de qua dixit Seraphicus Doctor Sanctus Bonaventura: Sicut in mari aquarum, ſic in Maria ſunt congregationes gratiarum: & Sanctus Antoninus Florentinus: Congregatæ ſunt aquæ in locum unum, ſcilicet gratiæ omnes in animam Virginis: ac Beatus etiam Albertus Magnus: Congregationes gratiarum appellavit Deus Mariā, media ſyllaba producta. Tu confregiſti capita draconis, dediſti eum eſcam populis Æthiopum. Itaq; homines potentiam tuam pronuntiabunt, & virtutem terribilium tuorum dicent, & mirabilia tua narrabunt: & quia ſagittæ potentis acutæ, ideo populi ſub te cadēt: & Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt: tuū brachiū cum potentia. Proprium eſt etiam tibi Domine miſereri ſemper, & parcere: ideoque dicere poteſt te alloquens quilibet noſtrûm: Duo hæc audivi, quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia, & tu reddes unicuique juxta opera ſua. De hac Dei potentia, Fratres, dicitur hodie in Evangelio hujus Feriæ à S. Gabriele Archangelo: Quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbū. Verùm eſt, quòd propterea Deus quædam non poteſt, quia Omnipo-

(u) *Eſther c.13.v.9.*
(v) *Iudith, cap.13. verſ.22.*
(x) *Geneſ. c.3. v.15.*
(y) *Pſal.102.v.16.*
(z) *Pſalm.73. v.13. & 14.*
(aa) *Pſal.144. v.4. & 6.*
(bb) *Pſalm.44. v.6.*
(cc) *Pſal.88. v.14.*
(dd) *Eccleſ. in Oratione 1. Miſſæ diei obitus def. & in Oration.1. Littaniarum.*
(ee) *Pſalm.61.v.12. & 13.*
(ff) *Ad Hebræos, c.6.v.18.*
(gg) *Lucæ c.18.v.27.*
(hh) *Pſal.70.v.16.*
(ii) *Ad Epheſ. c.6. verſ.10.*
(jj) *Pſalm.120. v.1.*
(kk) *Eccleſ. in Oratione Officii, & Miſſa Dominicæ 5. poſt Paſcha.*
(ll) *Pſalm.120. v.2.*

nipotens est, ut docebat S. Anselmus. Ideo peccare non valet. Ideo impossibile est mentiri Deũ, ut loquitur S. Paulus. Sed quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deũ, ut dixit Christus Dominus. Introeamus ergo in potentias Domini. Confortemur in Deo, & in potentia virtutis ejus. Levemus oculos nostros in montes, unde veniet auxilium nobis: & quia à Deo bona cuncta procedunt, procedet auxilium nostrum à Domino, qui fecit cœlum, & terram: qui etiam propugnator est ad salvandum. Omnia possumus in eo, qui nos confortat, dum, ut loquitur Christus, sine illo nihil possumus facere: & secundùm S. Augustinum, sive parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest. In Deo nostro transgrediemur murum: & si ambulaverimus in medio umbræ mortis, non timebimus mala: quoniam ipse nobiscum est. Arma militiæ nostræ non carnalia, sed potentia Deo, & sic poterimus stare adversus insidias diaboli. Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in nobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes abundemus in omne opus bonum. Itaque quia, juxta Sanctum Joannem Chrysostomum, Christiani semper exercitus diabolum Deo armati debellant: resistamus diabolo, & fugiet à nobis: appropinquemus Deo, & appropinquabit nobis. Accedamus ad eum, & illuminemur, & facies nostræ non confundentur: quoniam, quamvis sit longè à peccatoribus salus, & certũ sit, quòd qui elongant se à Deo, peribunt: tamen propè est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate: & erit nobis in Deum protectorem, & in domum refugii, ut salvos nos faciat. Verbum Dei habitet in nobis abundanter: quia, cùm vivus sit

(mm) *Isaiæ, cap. 63. vers. 1.*
(nn) *Ad Philipp. c. 4. vers. 13.*
(oo) *Ioan. c. 15. v. 5.*
(pp) *Tract. 81. in Joann. sub medium.*
(qq) *Psal. 17. v. 30.*
(rr) *Psalm. 22. v. 4.*
(ss) *2. ad Corinth. c. 10. v. 4.*
(tt) *Ad Ephes. cap. 6. vers. 11.*
(uu) *2. ad Corinth. c. 9. v. 8.*
(vv) *Serm. de Martyribus: quod aut imitandi, aut non laudandi sunt.*
(xx) *Iacobi, c. 4. v. 7.*
(yy) *Psalm. 33. v. 6.*
(zz) *Psal. 118. v. 155*
(aaa) *Psal. 72. v. 27.*
(bbb) *Ps. 144. v. 18.*
(ccc) *Psalm. 30. v. 3.*
(ddd) *Ad Colossens. c. 3. v. 16.*
(eee) *Ad Hebræos, c. 4. v. 12.*

sit sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: nos, qui per totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo Dei laxabimus rete feliciter, si secundùm Deum ambulaverimus simpliciter, & ambulaverimus etiam confidenter. Propterea accipiamus armaturam Dei, ut possimus resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. Stemus ergo succincti lumbos nostros in veritate, & induti lorica justitiæ, & calceati pedes in præparatione Evangelii pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possimus omnia tela nequissimi ignea extinguere: & galeam salutis assumamus, & gladium spiritus [quod est verbum Dei] per omnem orationem, & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu: & in ipso vigilantes in omni instantia, & obsecratione, ut hortatur nos Sanctus Paulus, quando scribit ad Ephesios. Si hæc fecerimus, pro nobis accingetur gladio suo super femur suum Deus potentissimus, & cantabimus Domino, gloriosè enim magnificatus est, cùm sit fortitudo nostra, & laus nostra Dominus, & ipse factus sit nobis in salutem. Annuntiabimus virtutes ejus, qui de tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii dilectionis suæ. Si fuerimus ex ovibus Divini Pastoris, non rapiet nos quisquam de manu sua: quia justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Si peccatores audissent eum, & in viis ejus ambulassent, super tribulantes eos misisset manum suam. Filii alieni mentiti sunt ei: filii alieni inveterati sunt, & claudicaverunt à semitis suis: & claudicantes in duas partes, volentes Deo servire, & mammonæ, cùm nemo possit duobus dominis servire, peregrè profecti sunt

(fff) *Lucæ, c. 5. v. 5.*
(ggg *Proverb. c. 10. vers. 9.*
(hhh *Ad Ephes. c. 6. v. 13. usque ad 18. inclusivè.*
(iii) *Psalm. 44. v. 4.*
(jjj *Exodi, cap. 15. vers. 1. & 2.*
(kkk) *1. Petri, c. 2. vers. 9.*
(lll) *Ad Colossens. c. 1. vers. 13.*
(mmm) *Joan. c. 10. vers. 28.*
(nnn) *Sapientiæ, c. 3. vers. 1.*
(ooo) *Psal. 80. v. 14. & 15.*
(ppp) *Psal. 17. v. 46.*
(qqq) *3. Reg. cap. 18. vers. 21.*
(rrr) *Matthæi, cap. 6. vers. 24.*
(sss) *Lucæ. c. 15. v. 13. & 15. & 17. & 18.*
(ttt) *Matth. cap. 5. vers. 45.*
(uuu) *Isai. c. 30. v. 18.*
(vvv) *Lucæ, cap. 15. vers. 20.*
(xxx) *Psal. 80. v. 13.*
(yyy) *Ad Roman. c. 1. v. 28.*
(zzz) *Ad Ephes. c. 4. vers. 18.*
(aaaa) *Epist. Judæ, vers. 13.*

in regionem longinquam, & ibi dissipaverunt substantiam suam vivendo luxuriosè, nam secundum Sanctum Ambrosium, regio longinqua est oblivio Dei. Adhæserunt uni civium regionis illius, scilicet diabolo, qui misit illos in villam suam, ut pascerent porcos. Utinam in se reversi, veniant ad Deum Patrem suum Cœlestem, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos; & expectat, ut misereatur nostri, & ideo exaltabitur parcens nobis. Sic videbit eos Pater ipsorum, & misericordia movebitur: nè aliter facientes dimittantur secundùm desideria cordis eorum, dati in reprobum sensum, alienati à vita Dei, & procella tenebrarum servata sit eis in æternum; quia foris canes; & in Dei civitatem non intrabit aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni. Non erit impossibile apud Deum omne verbum; quia Dominus fortis, & potens, qui etiam est Deus judex justus, fortis, & patiens, & non irascetur per singulos dies; sed, quamvìs, cùm iratus fuerit, misericordiæ recordaturus sit ille, qui homines, & jumenta salvabit, quemadmodùm multiplicavit misericordiam suam Deus: licèt etiam misericordia, & ira ab illo citò proximent; tamen in peccatores respicit ira illius, qui, nisi inîqui conversi fuerint, gladium suum vibrabit; arcum suum tetendit, & paravit illum, & in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit; & inebriabit sagittas suas sanguine, & sagittas suas complebit in damnatis. Igitur in conspectu talis potentiæ non abutamur tempore, ut mereamur lucrari beneficia tanta misericordiæ, evadentes rigorem adeò terribilis justitiæ. Non tardemus converti ad Dominum, & nè differa-

(bbbb) *Apocalyps. c.22. v.15. & ibid. c.21. v.27.*

(cccc) *Psal.23. v.8.*

(dddd) *Psal.7. v.12.*

(eeee) *Habacuc, c.3. vers.2.*

(ffff) *Psalm.35. v.7.*

(gggg) *Eccli. cap.5. vers.7.*

(hhhh) *Psal.7. v.13. & 14.*

(iiii) *Deuteron. c.32. v.42. & ibid. v.23.*

(jjjj) *Eccli. c.5. v.8. & 9.*

(kkkk) *Psal.23. v.8.*

(llll) *Actor. c.9. v.5.*

(mmmm) *Psal.33. vers.9.*

(nnnn) *Iob, cap.27. vers.10.*

feramus de die in diem: subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet nos. Potens est Dominus in prælio: & durum est peccatori contra stimulum calcitrare. Si gustaverimus, & viderimus, quoniam suavis est Dominus, & beatus vir, qui sperat in eo, poterimus in Omnipotente delectari, divertentes à malo, & facientes bonum, inquirentes pacem, & persequentes eam: sciemus ubi sit lumen oculorum, & pax: & quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia, & super Israel Dei: cùm pax multa sit diligentibus legem Domini, & non sit illis scandalum: cùm etiam sint oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum: vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conservabit, & liberabit à malis. Qui timet Dominum nihil trepidabit, & non pavebit, quoniam ipse est spes ejus. Timentis Dominum beata est anima ejus. Oculi Domini super metuentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & umbraculum meridiani, deprecatio offensionis, & adjutorium casus, exaltans animam, & illuminans oculos, dans sanitatem, & vitam, & benedictionem. Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur: ideo beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis: quia iste disponet sermones suos in judicio, & in memoria æterna erit justus, ab auditione mala non timebit; quando peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet, & desiderium peccatorum peribit. Benefaciet Dominus bonis, & rectis corde: & non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia. Melius est

(oooo) *Ps.33.v.15.*
(pppp) *Baruch, c.3. vers.14.*
(qqqq) *Ad Galatas, c.6.v.16.*
(rrrr) *Psalm.118. vers.165.*
(ssss) *Psal.33.v.16. & 17.*
(tttt) *Eccli.c.33.v.1.*
(uuuu) *Eccli.cap.34. v.16. & 17. & 19. & 20.*
(vvvv) *Psal.90.v.1.*
(xxxx) *Ps.111.v.1. & 5. & 7. & 10.*
(yyyy) *Ps.124.v.4.*
(zzzz) *Psal.83.v.13.*
(aaaaa) *Psalm.36. v.16. & 17.*
(bbbbb) *Psalm.54. vers.23.*

eſt modicum juſto ſuper divitias peccatorum multas. Quoniam brachia peccatorum conterentur, confirmat autem juſtos Dominus. Ideo debemus jactare ſuper Dominum curam noſtram, & ipſe nos enutriet: non dabit in æternum fluctuationem juſto.

SECTIO II.

In qua apponitur Evangelium Feriæ Sextæ Quatuor Temporum Adventus, cum tribus illi correſpondentibus Homiliis.

Sequentia Sancti Evangelii ſecundum Lucam, cap. 1. verſ. 39.

IN illo tempore: Exurgens Maria abiit in montana cum feſtinatione, in civitatem Juda: & intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Eliſabeth. Et factum eſt, ut audivit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultavit infans in utero ejus: & repleta eſt Spiritu Sancto Eliſabeth: & exclamavit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Ecce enim ut facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo: & beata quæ credidiſti, quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi à Domino. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum: & exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.

§. Pri-

§. Primus.

HOMILIA PRIMA,

Super illa verba:

Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?



ST jam in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, quandoquidem post conceptionem Christi Domini nostri in utero, & ex utero virginali, exurgens Maria abiit in montana. Ipsa Virgo Sacratissima Dei Genitrix est Domus Dei, ac mons Dei, mons pinguis, mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, & fundamenta ejus in montibus sanctis: ideo diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob. Fundatur in exultatione universæ terræ mons Sion, latera Aquilonis, civitas Regis Magni: ideo Magnus Dominus, & laudabilis nimis in Civitate Dei nostri, in monte sancto ejus: & gloriosa dicta sunt de hac Civitate Dei, quando eam alloquens in montanis Judææ cognata ejus Sancta Elisabeth, dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Est profectò Maria Civitas supra montem posita, quæ non potest abscondi, quia, juxta Sanctum Augustinum, fundata est super insignem, magnamque justitiam, quam significat etiam ipse mons. Sustulit Angelus Beatum Joannem Evangelistam in spiritu in montem ma-

(a) *Isaiæ cap.2. v.2.*

(b) *Psalm.67. v.15. & 17.*

(c. *Psalm.85. v.2.*

(d) *Psalm.47. v.2. & ibidem v.1.*

(e) *Psalm.86. v.3.*

(f) *Matthæi cap.5. vers.14.*

(g) *Lib.1. de Serm. Dom. in monte c.6. tom.4.*

magnum, & altum, & ostendit ei Civitatem Sanctam Jerusalem [nempè Mariam] habentem claritatem Dei, & lucerna ejus est agnus, maximè quando qui creavit eam requiescit in tabernaculo ipsius, & quem terra, pontus, sydera colunt, adorant, prædicant, trinam regentem machinam claustrum Mariæ bajulat, ac Deum hominem factum in virginali ventre portans, abit in montana, & Elisabeth salutat. Est Maria Civitas Dei, ait S. Joannes Damascenus. Maria per excellentiam Civitas dicitur, ut asserit Sanctus Antoninus Florentinus. Et, ut docet Richardus à S. Laurentio, Maria dicitur Civitas Jerusalem. Ideoque hæc est civitas Jerusalem, quæ in altitudine ostensa est ab Angelo, Sancto Evangelista Joanni. Et juxta Sanctum Gregorium Magnum, etiam potest montis nomine beatissima semper Virgo Maria Dei Genitrix designari. Mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem, electionis suæ dignitate transcendit. An non mons sublimis Maria, quæ, ut conceptionem Æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros, usque ad solium Deitatis erexit? Hujus enim montis præcellentissimam dignitatem Isaias vaticinans ait: Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ supra omnes sanctos refulsit. Hucusque Sanctissimus, & Magnus Doctor Gregorius. Ut Civitas igitur Dei, ac mons Domus Domini in vertice montium monstrata est ab Spiritu Sancto Domino, & vivificante, qui locutus est per Prophetas, Beatissima Maria Dei Genitrix Virgo, sanctæ Elisabeth ejus cognatæ, quando in beato ventre, qui eum portavit, erat clausus Christus Dominus, Deus, & ho-

(h) *Apocalyps. c.21. v.10. & 11. & 23.*

(i) *Eccli. c.24. v.12.*

(j) *Ecclesiastic. Officium B.M.V. in Hymno Matutini, v.1.*

(k) *4.part. titul.15. cap.9.*

(l) *Lib.11. de Laudibus Virginis.*

(m) *Exposit. in libros Regum, in 1. Regum cap.1.*

(n) *Eccles. in Symbolo Niceno Missæ.*

(o) *Lucæ, c.11. v.27.*

(p) *Canticor. c.6. v.9.*

(q) *Psalm. 18. v.6.*

(r) *Psalm. 88. v.38.*

(s) *Psalm. 83. v.2. & 3.*

& homo perfectus, & erat Sanctissima Virgo electa, ut sol, quia Redemptor noster in sole posuit tabernaculum suum: & ideo fuit Maria thronus Christi, sicut sol in conspectu Dei, & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis. Tunc, quoniam dilexit Dominus portas illius Sion Mariæ super omnia tabernacula Jacob, concupivit, & defecit anima Sanctæ Elisabeth in hoc atrium Domini: sed præcipuè cor ejus filii Sancti Præcursoris Joannis Baptistæ, & caro illius exultaverunt in Deum vivū, dum ex quo facta est vox salutationis Mariæ in auribus Elisabeth, exultavit infans in utero istius, & repleta est Spiritu Sancto Elisabeth: quæ tali plenitudine donata dixit: Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Excepit Jesum Zachæus gaudens, & salus domui illius facta est. Similiter, cùm Deus, qui posuit tenebras latibulum suum, quamvis lucem habitet inaccessibilem, dixit, ut habitaret in nebula, hoc est voluit incarnari, & per novem menses habitare in Maria, quæ sicut nebula texit omnem terram, ex tunc medicina omnium in festinatione nebulæ: & ad curandum, & sanctificandum Præcursorem Divinum, & sanandam totam ejus domum, ut salus fieret domui illi excipienti Jesum Christum in Matris Virginis claustro asservatum, quasi nebula exurgens Maria abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda, & intravit in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth. Arca testamenti, quæ habebat urnam auream habentem manna, elevabatur maximè ad salutem populi: ideo dicebatur: Applica Arcam Dei: ob hoc etiam ait Sacer Textus: Cùmque elevaretur arca, dicebat Moyses: Surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te, à facie tua. Melior, & magis proficua

(t) *Luca, c.19. v.6. & 9.*

(u) *Psalm. 17. v. 12.*

(v) *1. ad Timoth. c.6. vers.16.*

(x) *3. Regum, c. 8. vers. 12.*

(y) *Eccli. c.24. v.6.*

(z) *Eccli. c.43. v.24.*

(aa) *Ad Hebræos, c.9. v.4.*

(bb) *1. Reg. cap. 14. vers.18.*

(cc) *Numeror. c.10. vers.35.*

(dd) *In Littania Lauretana.*

ficua fuit elevatio Deiparæ ad montana Judææ,
(ee) *In eadem Littania.* de qua Sacratissima Domina dixerunt Sanctus
Ambrosius, & Sanctus Ildefonsus: Maria fuit
Arca testamenti: cui etiam in Sacra Littania
(ff) *Exodi,c.16.v.15.* ait Ecclesia: Fœderis Arca. Nisi fortè velimus
intelligere per arcam elevatam testamenti montana
Judææ, ac præcipuè domum Zachariæ,
(gg) *Psal.77.v.24.* quæ elevaverunt se ad maximam altitudinem,
velut arca, dum elevaverunt Mariam urnam
auream habentem manna, quia ipsa est domus
aurea, in qua Deus homo, utpote verum man-
(hh) *Ioan.c.6.v.41.* na, velut in urna aurea, erat servatus, & ab-
sconditus, ut mundus haberet remedium, &
Ecclesia cœlestem, ac supersubstantialem ci-
(ii) *Ezechiel.cap.1. vers.26.* bum. Manhu quid est hoc? dicebant filii Israel,
quando portas cœli aperuit Dominus, & pluit
illis manna: similiter Sancta Elisabeth videns il-
luminatis fidei suæ oculis verum manna in urna
(jj) *Ezechiel. cap.3. vers.12.* aurea,& domo aurea Virginis Mariæ [quia hæc
portabat in ventre sacro Christum panem vi-
vum, qui de cœlo descendit] quasi diceret:
Manhu, quid est hoc? exclamavit voce magna,
(kk) *Genes.cap.28. vers.13.* & dixit: Unde hoc mihi, ut veniat Mater Do-
mini mei ad me?Dum super similitudinem thro-
ni erat similitudo quasi aspectus Filii hominis,ju-
xta Ezechielem, ajebat quædam vox: Benedi-
(ll) *Eccles.in Symbolo Niceno Missæ.* cta gloria Domini de loco suo. Talis, & tanta
resultat Domino accidentalis gloria, dum ha-
bitat in Maria. Felicem se reputavit Jacob, qui
vidit Dominum innixum scalæ, id est Mariæ,
(mm) *Psal.45.v.9. & in eodem Psalm. v.2. & 5. & 6.* quia juxta Sanctum Bonaventuram, Deus ad
nos venit per ipsam, & secundum Sanctum Au-
gustinum, Maria est scala ad cœlos, & pons ad
vitam. Per hanc sacratissimam scalam descendit
Deus de cœlis in terræ orbem propter nos ho-
(nn) *Ioan.c.1.v.38.* mines, & propter nostram salutem. Venite, &
videte opera Domini, quæ posuit prodigia su-

per

per terram; dum est Deus noster refugium, & virt us,adjutor in tribulationibus,quæ invenerũt nos nimis, & sanctificavit tabernaculum suum, id est, Mariam, Altissimus: Deus in medio ejus non commovebitur, adjuvabit eam Deus valdè diluculo.Si Christo Domino diceret tunc aliquis in illis montanis Judææ: Rabbi, ubi habitas? Si sponsa sancta loqueretur ei dicens: Indica mihi, ubi pascas,ubi cubes in meridie, nè vagari incipiam post greges sodalium tuorum: poterat respondere Jesus: Pascor inter lilia: quia quando Maria habens Jesum in utero intravit in domum Zachariæ, tunc jucundè Christus habitabat in Deipara Virgine lilio purissimo, atque pulcherrimo,per quam Dominam fecit idẽ Deus homo esse lilia etiam S. Præcursorem, & ejus patrem, & matrem. Utique quadrigæ Domini salvatio, cùm currus Dei Maria decem millibus multiplex millia lætantium: Dominus in eis in Sina in Sancto. Ascendit ipse in altum, cepit captivitatem: accepit dona in hominibus: ac Deus noster Deus salvos faciendi: & Domini Domini exitus mortis. Cùm, oculis fidei, viderunt illæ beatæ personæ domus Zachariæ, in quam intravit Maria, ingressus Dei, Regis nostri, qui erat, homo factus, in illius ventre Virginali inclusus, & ideo erat in sancto ejus claustro, ut in throno collocatus: tunc prævenerunt Principes conjuncti psallentibus in medio juvencularum tympanistriarum, id est, animarum sanctarum,quas associaverunt Principes trium Hierarchiarum Angelorum,Deum in medio electorum utriusque Testamenti, veteris, scilicet, atque novi, laudantium: & ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu, sanctus, videlicet, Joannes Baptista, qui, ex quo facta est vox salutationis Mariæ in auribus Elisabeth, exultavit

(oo) *Canticor.cap.1. vers.6.*

(pp) *Canticor.cap.6. vers.2.*

(qq) *Habacuc,c.3. vers.8.*

(rr) *Psalm.67.v.18. & 19. & 21. & 25. & 26. & 28. & 29.*

(ss) *Sapientiæ,cap.1. v.5. & in eodem c.1. vers.2.*

(tt) *Psalm.17.v.11.*

(uu) *Threnor.cap.2. vers.15.*

(vv) *Isaia,c.19.v.1.*

(xx) *1.Regum,c.5. vers.3.*

in gaudio in utero hujus suæ matris: ut per hæc
(yy) 1.Regum,c.14. mysteria mandaret Deus virtuti suæ, & confir-
v.18. & 19. & 20. maret hoc Deus, quod operatus est in nobis. Ille
Dominus Deus, cujus Spiritus Sanctus discip linæ
effugiet fictum, & invenitur ab his, qui non ten-
(zz) Lucæ, c.1.v.68. tant illum, apparet autem his, qui fidem ha-
& 74. & 78. & 79. bent in illum; ille, qui ascendit super cherub im,
& volavit: idem ipse in ventre virginali, Cheru-
bico throno, Mariæ, pleno Divina incarnata
(aaa) Isai.c.9.v.2. Sapientia, venit cum festinatione ob bonum,
& profectum maximum totius domus Zacha-
riæ, ac totius etiam orbis, per Deiparam, quæ
est urbs perfecti decoris, gaudium universæ
(bbb) Psal.24.v.10. terræ. Tunc ascendit Dominus super nubem
levem, nempe Mariam, sine pondere peccati
originalis conceptam, & numquam peccato
(ccc) Psal.144. v.9. actuali gravatam: & ingressus est Ægyptum hu-
jus mundi in sua Incarnatione mirabili. Com-
mota sunt simulacra Ægypti à facie ejus: jacet
(ddd) Ps.118.v.64. Dagon pronus in terra ante Arcam Domini: Phi-
listhiim terrentur, atque occiduntur: quia omne
corpus peccati, & vis inferni per Christum in
(eee) Isaiæ, c.6.v.3. Maria positum, & collocatum, destruitur. Ideo
benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit,
& fecit redemptionem plebis suæ: ut sine timo-
(fff) Psalm.88.v.2. re de manu inimicorum nostrorum liberati ser-
viamus illi. Quæris, Elisabeth, unde hoc tibi,
ut veniat Mater Domini tui ad te? Interrogat
in te mundus, unde ei tanta felicitas, ut eum
(ggg) Ps.101.v.20. visitet Divinus Redemptor in ejus Sacratissima
& 21. Matre? Respondetur, quòd per viscera miseri-
cordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens
ex alto, illuminans his, qui in tenebris, & in
(hhh) Ierem. cap.4. umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes no-
v.23. & 25. stros in viam pacis, dum Populus, qui ambu-
labat in tenebris, vidit lucem magnam: habi-
(iii) Psal.131. v.3. tantibus in regione umbræ mortis lux orta est

ejs.

eis. Undè hoc, nisi quia universæ viæ Domini misericordia, & veritas: & miserationes ejus super omnia opera ejus, cujus etiam misericordia plena est terra? Ideo plena est terra gloria ejus; & misericordias Domini debemus in æternū cantare, qui prospexit de excelso sancto suo, Dominus de cœlo in terram aspexit, ut audiret gemitus compeditorum, ut solveret filios interemptorum per inobedientiam primorum parentum. Qui quidem Dominus, quamvìs aspexit terram, & ecce vacua erat, intuitus est, & non erat homo: quia omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum, siquidem (præter Mariam immaculatam, & à culpa præservatam per ejus singularissimam prædestinationem à Creatore omnium stabilitam, & ab æterno decretam] omne periit genus humanum, cùm omnes in Adam peccaverunt; tamen cognovit Dominus ipse Deus figmentum nostrum: recordatus est, quoniam pulvis sumus; & apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abundè per Jesum Christum Salvatorem nostrum: ut justificati gratia ipsius hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ: & ubi venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege: ut eos, qui sub lege erant, redimeret: ut adoptionem filiorum reciperemus. Etiam apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, & justè, & piè vivamus in hoc seculo, expectātes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & Sal-

(jjj) *Ad Romanos*, *c.5.v.12.*

(KKK) *Ps.102.v.14. & 15.*

(lll) *Ad Titum, c.3. v.4. & 5. & 6. & 7.*

(mmm) *Ad Galat. c.4.v.4. & 5.*

(nnn) *Ad Titum, c.2. v.11. & 12. & 13. & 14.*

(ooo) *Ioan. cap.3. vers.16.*

(ppp) *Ad Hebræos, c.1.v.1. & 2.*

(qqq) *Psal.99. v.2.*

(rrr) *Isai. c.12.v.6.*

(sss) *Ecclesiastic. Officium in Hymno Vesperar. B.M.V. v.3.*

vatoris nostri Jesu Christi: qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam: quando multifariàm, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & sæcula. Itaque exulta Elisabeth: exulta omnis terra: jubilate Deo omnis terra: servite Domino in lætitia. Exulta, & lauda habitatio Sion: quia magnus in medio tui Sanctus Israel. Exultet præcipuè Sanctus Joannes Baptista in ejus matris senili utero, magno, & inennarabili gaudio. Miretur etiam cum exultatione Elisabeth, & magna voce exclamet, quando Mater Domini sui, & nostri vadit ad eam, & verè eam salutat, ac nos etiam sanat: quia salutem affert Maria toti mundo, portans Salvatorem sæculorum, ipsum Regem Angelorum in suo semper Virginali, ac benedictissimo claustro. Ex tunc solvit vincla reis, profert lumen cæcis, mala nostra pellit, bona cuncta poscit. Ergo, quando per Mariam, cum Maria, & in Maria viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri, quia novum fecit Dominus super terram, femina circumdedit virum, & ut docet Sanctus Doctor Mellifluus, Pater noster Bernardus, nec alium, quàm Christum, de quo dicitur: Ecce vir, Oriens nomen ejus: dum cui luna, sol, & omnia deserviunt per tempora, perfusa cœli gratia, gestant puellæ viscera: ac beata Mater munere cujus Supernus Artifex, mundum pugillo continens, ventris sub arca clausus est, quia est Virginis proles, Opi-

(ttt) *Psalm. 97. v. 3.*

(uuu) *Ierem. cap. 31. vers. 22.*

(vvv) *Serm. in c. 12. Apocalyps. ante medium.*

(xxx) *Ecclesiast. Officium B. M. Virg. in Hymno Matutini, v. 2. & 3.*

(yyy) *Ecclesiast. Officium Commune Virginum, in Hymno Matut. vers. 1.*

(zzz) *Psalm. 97. v. 2. & 3.*

(aaaa) *Lucæ, cap. 1. v. 54. & 55. & 72.*

(bbbb) *Psal. 97. v. 4.*

(cccc) *Psal. 46. v. 2.*

(dddd) *Eccles. Officiũ B. M. V. in Hymno laud. vers. 3.*

(eeee) *Psal. 97. v. 7.*

Opifexque Matris: cùm etiam notum fecit Dominus salutare suum, & recordatus est misericordiæ suæ, & veritatis suæ domui Israel, ac suscepit Israel puerum suum recordatus misericordiæ suæ, sicut locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt, Prophetarum ejus, ad faciendam misericordiam cum Patribus nostris, & memorari testamenti sui sancti: justum est, quòd jubilet omnis terra, cantet, & exultet, & psallat. Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis. Vitam datam per Virginem gentes redemptæ plaudite. Jubilet in Mariæ Visitatione ex speciali causa tota domus Zachariæ in conspectu Regis Domini, gaudio etiam exultet, ac moveatur mare, & plenitudo ejus: orbis terrarum, & qui habitant in eo.

§. Secundus.

HOMILIA II.

Super illa verba:

Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.



Ut confidunt in Domino sicut mons Sion: non commovebitur in æternum qui habitat in Jerusalem. Montes in circuitu ejus, & Dominus in circuitu populi sui ex hoc nunc, & usque in sæculum. Ut jam diximus in Homilia præcedenti, potest Maria Virgo Deipara appel-

lari

lari mons Sion in sua Visitatione. Ideo montes in circuitu ejus, quia montes sunt magni Sancti, ut ait Sanctus Ambrosius: & Sanctissima Dei Genitrix est Magistra Magistrorum, id est, Apostolorum, secundùm quod docet Rupertus: & dum Apostoli discipuli Christi credentium Magistri habentur, ut ponderat Sanctus Joannes Chrysostomus: montes sanctitatis, fidei, & doctrinæ sunt in circuitu Beatæ Virginis, quæ est mons Sion admirabilis, quando eos docuit, & in eis nos omnes, in Deo confidentiam, & fidem in ipsum, ad maximum Ecclesiæ, ac totius mundi bonum. Beata tu fidei nostræ, dicit Sanctus Ildefonsus Mariæ, cui Elisabeth applausit, dum dixit: Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino. Omnibus prodest sua fide, ac sua in Deo confidentia Maria: & quia taliter credidit, & confidit, est singulariter Beata. Quia credidit Deo, attendit mandatis: & quia confidit in illo, non est minorata; sed potius maxima gratiæ, & gloriæ ubertate, ac felicitate repleta. Ideo in Deo honorabitur, & in medio populi sui gloriabitur, & in Ecclesiis Altissimi aperiet os suum, & in conspectu virtutis illius gloriabitur, & in medio populi sui exaltabitur, & in plenitudine sancta admirabitur, & in multitudine electorum habebit laudem, & inter benedictos benedicetur dicens: Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam: Ego feci in cœlis, ut oriretur lumen indeficiens, & sicut nebula texi omnem terram: Ego in Altissimis habitavi, & thronus meus in columna nubis: in omni populo, & in omni gente primatum habui: & in his omnibus requiem quæsivi, & in hæreditate Domini morabor. Quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam, & quasi

(a) *Psalm.* 124. *v.* 1. *&* 2.

(b) *Lib.* 5. *Commentar. in Lucam, c.* 16. *post initium.*

(c) *Serm. de Martyribus, quod aut imitandi, aut non laudandi sunt.*

(d) *Lib. de Virginitate Beatæ Mariæ.*

(e) *Eccli. c.* 32. *v.* 28.

(f) *Eccli. c.* 24. *v.* 1. *&* 2. *&* 3. *&* 4. *&* 5. *&* 6. *&* 7. *&* 9. *&* 10. *&* 11. *&* 21. *&* 22. *&* 30. *&* 31. *&* 41. *&* 46. *&* 47.

(g) *Apocalyps. c.* 22. *vers.* 2.

quasi balsamum non mixtum odor meus. Ego quasi terebinthus extendi ramos meos: & rami mei honoris, & gratiæ. Qui audit me, non confundetur: & qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Ego Sapientia effudi flumina. Ego sicut aquæductus exivi de Paradiso. Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam: & relinquam illam quærentibus sapientiam: & non desinam in progenies illorum usque in ævum sanctum. Videte, quoniam non soli mihi laboravi: sed omnibus exquirentibus veritatem. Hucusque facer textus, qui apprimè potest esse Beatæ Virgini Mariæ in ejus Annuntiatione, ac etiam Visitatione applicatus. Verè beata, quæ credidit, quoniam perfecta sunt ea, quæ dicta sunt illi à Domino, dum eam appellavit Dei nomine Sanctus Archangelus Gabriel gratia plenam, & in mulieribus benedictam, ac ipsam, etiam prædixit, Deum hominem concepturam, & parituram, atque ab Spiritu Sancto associandam, & virtutem Altissimi oburbaturam eidem Beatissimæ Virgini, cum reliquis omnibus, quæ ad tantæ Virginis, & Dominæ conducere, & pertinere valebant excellentiam, honorem, elevationem, & gloriam. Taliter Deus homo, Filius Dei, & Filius Mariæ, ut benedictus fructus ventris ejus, honorare hanc arborem mirabilem voluit ad maximam Dei, & Virginis gloriam, ac nostram utilitatem, quando à Deipara sumere ipsi complacuit nostræ humanæ naturæ originem. Et quia folia hujus sacri ligni sunt ad sanitatem gentium, dum affert fructus duodecim per menses singulos, per Mariam, ut eloquenter, & devotè asserit Sanctus Cyrillus Alexandrinus, Trinitas sanctificatur, per eam Crux pretiosa celebratur, & adoratur in

to-

(h) *Homilia contra Nestorium.*

(i) *Serm.18. de Sanctis, qui est secundus de Annuntiat. Dominica.*

(j) *Lib. adversus hæreses 3. hæres.78. post medium.*

(kk) *Actor. cap.13. vers.48.*

(l) *Ad Galatas, c.3. vers.11.*

(m) *Ad Roman. c.4. vers.3. & 11.*

(n) *Lib. advers. hæres. 3. hæres.78. post medium.*

(o) *Psal.115. v.10.*

(p) *Luca, c.1. v.48. & 49.*

toto orbe terrarum. Per eam exultat cœlum,
(q) *Psalm.137. v.1.* lætantur Angeli, & Archangeli, fugantur dæmones, & homo ipse ad cœlum revocatur. Per
(r) *Lib. 2. in Lucæ cap.1. post initium.* eam omnis creatura idolorum errore detenta, conversa est ad agnitionem veritatis, & fideles homines ad sanctum baptisma pervenerunt, at-
(s) *Psalm.118.v.66.* que in toto orbe terrarum constructæ sunt Ecclesiæ. Et, ut S. Augustinus docet, Eva per-
(t) *1.Ioan.c.5.v.10.* cussit, Maria sanavit: pro inobedientia enim obedientia commutatur, fides pro perfidia com-
(u) *Psalm.92. v.5.* pensatur. Eva, dicit Sanctus Epiphanius, mortis causa facta est hominibus: per ipsam enim
(y) *Psal.118.v.168.* mors ingressa est in mundum: Maria verò causa vitæ, per quam genita est nobis vita; & per hanc Filius Dei advenit in mundum: & unde
(x) *Psalm. 92. v.1.* illata est mors, illinc processit & vita, ut vita pro morte fieret, & qui per mulierem nobis vita factus est, mortem ex muliere inductam excluderet. Et quoniam illic Eva, cùm adhuc es-
(y) *Psalm.44. v.3.* set virgo, per inobedientiam transgressa est: è contrario per Virginem obedientia gratiæ facta est, annuntiato adventu in carne de cœlo, &
(z) *Psalm. 18. v.6. & 7. & 8.* vita æterna. Hæc habet Sanctus Epiphanius. Beata igitur est Maria, quæ credidit, per quam crediderunt etiam quotquot præordinati erant ad vitam æternam; & si justus ex fide vivit,
(aa) *1.Petri,c.1.v.7. & 8. & 9.* omnis justus ex fide vivit per Mariam, ut per causam exemplarem, immo instrumentalem, & adhuc aliquomodo efficientem in sensu, in quo hoc fas est dicere, juxta illud: Maria fuit
(bb) *Psal.138.v.14.* cum Christo corredemptrix, quæ quidem sunt verba Sancti Anselmi, ac etiam Sancti Patris no-
(cc) *Ioan.c.20.v.31.* stri Bernardi. Credidit Maria Deo, & deputatum est ei ad justitiam meliùs, quàm Abraha-
(dd) *2.Petri, cap.1. vers.19.* mo: & si iste Pater fuit fidei, & Pater credentium, & per fidem viventium justorum, per ænigma Maria, dicit Sanctus Epiphanius, Ma-

ter

ter viventium appellata est. Credidit Maria, propter quod locuta est, & dixit: Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundùm verbum tuum. En, quomodò Maria credens locuta est humiliter nimis; ideoque evasit sublimis, atque mirabilis. Respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam eam dicent omnes generationes: quia fecit illi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus: qui etiam excelsus est Dominus, & humilia respicit, ut humilia attollat, dicit Sanctus Augustinus. Venit Maria humiliter credens ad visitandam Elisabeth, &, ut notavit Sanctus Ambrosius, non solùm venit, sed etiam prior salutavit. Verè bonitatem, & disciplinam, & scientiam docuit Deus Mariam, quia mandatis Domini credidit: & quia credidit in Filium Dei, habet Deipara testimonium Dei in se. Cùm testimonia Domini credibilia facta sint nimis per Mariam, quæ servavit mandata ejus, & testimonia illius: ideo hanc Dei Genitricem, ut veram in sua Visitatione domum Domini, decet sanctitudo in longitudinem dierum. In ea Dominus regnavit, decorem indutus est, & speciosus forma præ filiis hominum, tamquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viā: à summo cœlo egressio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus, nec est qui se abscondat à calore ejus, cujus lex immaculata convertit animas, & præceptum lucidum illuminat oculos: ut probatio fidei justorum multò pretiosior auro [quod per ignem probatur] inveniatur in laudem, & gloriam, & honorem in revelatione Jesu Christi: quem cùm non viderint diligunt: in quem nunc quoque non videntes credunt: credentes autem exultabunt lætitia inenarrabili, & glorificata, reportantes

(ee) 2. *ad Corinth. c.* 5. *vers.* 7.

(ff) *Actor. c.* 15. *v.* 9.

(gg) *Matthæi, c.* 5. *vers.* 8.

(hh) *Iacobi, cap.* 2. *vers.* 26.

(ii) 1. *ad Timoth. c.* 1. *vers.* 5.

(jj) *Ad Galatas, c.* 5. *vers.* 6.

(kk) *Lib.* 2. *Epist.* 3. *sub initium.*

(ll) *Ad Galatas, c.* 3. *vers.* 8.

(mm) *Lucæ, cap.* 1. *vers.* 50.

(nn) *Psalm.* 23. *v.* 5.

finem fideì suæ salutem animarum: quia opera Christi mirabilia, quæ animæ justorum cognoscunt nimis, dicta sunt, ut credamus, & ut credentes vitam habeamus in nomine ejus: & habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui benè facimus attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus nostris: per fidem enim ambulamus, & non per speciem: & Deus fide purificans corda nostra, [hoc est, disponens fide ad gratiam, charitatem, & bona opera] omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, cùm beati sint mundo corde; quoniam ipsi Deum videbunt: ut [quia fides sine operibus mortua est] in fide non ficta, sed per eam, quæ per charitatem operatur, utique quisquis Deo credit, & fide vivit, justus inveniatur, juxta id, quod S. Cyprianus loquitur. Et si providens Scriptura, quia ex fide [utique cum gratia, & operibus bonis] justificat Gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ: Quia benedicentur in te omnes Gentes, ut docet Sanctus Paulus: utique per Mariam, quæ credidit Deo, extenditur misericordia Dei à progenie in progenies timentibus eum: & justi accipient benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo: in quo etiam sensu qui crediderit, & baptizatus fuerit salvus erit; quia ut dicit Sanctus Gregorius Magnus, ille verè credit, qui exercet operando quod credit. Beatus itaque homo, quem Dominus erudierit, & de lege sua docuerit eum: beatus homo, qui audit Mariam, Beatam, quæ credidit, & qui vigilat ad fores ejus quotidie, & observat ad postes ostii sui: quia ipsa est Sapientia, quæ habitat in consilio, & eruditis interest cogitationibus, cujus est consilium, & æquitas, cujus est prudentia, cujus est

(oo) *Marci, cap. 16. vers. 16.*

(pp) *Homil. 16. in Evang. post medium.*

(qq) *Psalm. 93. v. 12.*

(rr) *Sapientiæ, c. 8. v. 34. & ibid. v. 12. & 14. & 15. & 16.*

(ss) *Marci, cap. 16. vers. 16.*

(tt) *Ioan. c. 3. v. 18.*

(uu) *Marci, c. 9. v. 22.*

(vv) *Numeror. c. 12. vers. 15.*

(xx) *Homil. 2. super missus est, ad finem.*

est fortitudo: per quam reges regnant, & legum conditores justa decernunt: per quam principes imperant, & potentes decernunt justitiam. Itaque qui per Mariam non crediderit, condemnabitur: quia qui non credit, jam judicatus est. Si per Mariam possumus credere, omnia possibilia sunt credenti. Populus non est motus de loco suo, donec revocata est Maria soror Moysi, & Aaron: nec sine Maria Deipara Virgine poterimus nos in Patriam cęlestem Paradisi veram terrā promissionis ambulare. Ne avertamus ergo, ait S. Pater Bernardus, oculos à fulgore hujus sideris, si non volumus obrui procellis, quicumque nos intelligimus in hujus sæculi profluvio magis inter procellas, & tempestates fluctuare, quàm per terram ambulare. Mariam sequentes, non deviamus: ipsam rogantes, non desperamus: ipsam cogitantes, non erramus: ipsa tenente, non corruimus: ipsa protegente, non metuimus: ipsa duce, non fatigamur: ipsa propitia, pervenimus. Sicut crediderimus, fiet nobis, dum cuique nostrum Maria, velut melior Rebecca [ut dicit S. Antoninus Florentinus, nè placere non possimus cęlesti Patri, sed potius, ut ei placentes maximè, valeamus instar Jacob optimam benedictionem accipere] dicit: Nunc ergo fili mi, acquiesce consiliis meis. Sed heu! Multoties venit diabolus, & tollit verbum de corde aliquorum, nè credentes salvi fiant, cùm Deus dederit potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine Christi, ornati gratia, & bona operatione. Ideo vigilemus, & oremus, ut non intremus in tentationem: sobrii simus, & vigilemus, resistentes adversario nostro diabolo fortes in fide bonis associata operibus, ita facti diabolo terribiles, ut dicit Sanctus Joannes Chrysostomus: ut hæc fides nostra salvos nos fa-

(yy) *Matthæi, cap.* 8. *vers.* 13.
(zz) *Genes. c.* 27. *v.* 8.
(aaa) *Luca, c.* 8. *v.* 12.
(bbb) *Joan. c.* 1. *v.* 12.
(ccc) *Matthæi, c.* 26. *vers.* 41.
(ddd) 1. *Petri, cap.* 5. *vers.* 8.
(eee) *Jacobi, c.* 4. *v.* 7.
(fff) *Hom.* 61. *ad Populum Antioch.*
(ggg) *Luca, cap.* 7. *vers.* 50.
(hhh) *Ad Habræos, c.* 11. *v.* 6.
(iii) 1. *Joan. c.* 2. *v.* 1.
(jjj) *Ad Roman. c.* 8. *v.* 34.
(kkk) *Luca, cap.* 22. *vers.* 31. *&* 32.
(lll) *Eccli. c.* 45. *v.* 4.
(mmm) *Eccli. c.* 31. *vers.* 11.
(nnn) *Ad Habræos, c.* 9. *v.* 15.
(ooo) *Ad Habræos, c.* 11. *v.* 34.
(ppp) *Apocalyps. c.* 1. *v.* 5.

faciat, quia sine fide impossibile est placere Deo. Per Mariam advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, qui etiam interpellat pro nobis: & quando expetierit nos Satanas, ut cribret sicut triticum, rogabit pro nobis, ut non deficiat fides nostra. Scit ipse Deus noster in fide, & lenitate ipsius sanctum facere quemque, & fide, bona cujuslibet in ipso Domino stabilire: ut repromissionem accipiant qui vocati sunt æternæ hæreditatis in Christo Jesu Domino nostro: & ut hi omnes testimonio fidei probati inveniantur in ipso Domino nostro Jesu Christo, qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.

§. Tertius.

HOMILIA III.

Super illa verba:

Magnificat anima mea Dominum: & exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.



XULTENT, & lætentur super Deum omnes quærentes eum: & dicant semper: Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare ipsius. Exultent, inquam, & lætentur per Mariam, cum Maria, & in Maria, quæ dixit: Magnificat anima mea Dominum: & exultavit spiritus meus in Deo salutari meo, ut hodie nobis refert Sacra Evangelica Historia. Sit in singulis quærentibus Deum Mariæ anima, ut magni-

gnificent animæ eorum Dominum: ſit in omnibus Mariæ ſpiritus, ut exultent in Deo. Per Mariam ergo Virginem Dei Genitricem, & eum ad Zachariæ domum gerentem: cum Maria, cujus anima magnificat Dominum, & in Maria, cujus ſpiritus exultavit in Deo ſalutari ſuo, laudemus Dominum, quoniam bonus eſt pſalmus: Deo noſtro ſit jucunda, decoraque laudatio. Plaudat nunc organis Maria, ait S. Auguſtinus, & inter veloces articulos tympana puerperæ concrepent. Concinant lætantes chori, & alternantibus modulis, dulciſona carmina miſceantur. Audite igitur, quemadmodum tympaniſtria noſtra cantaverit. Ait enim: Magnificat anima mea Dominum, & exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Cauſam igitur invaleſcentis errati miraculum novi partus evicit, & Evæ planctum Mariæ cantus excluſit. Hucuſque Sanctus Auguſtinus. Maria [dum omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus] quando ſe invitat ad Domini laudem, dicens: Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto ejus: ſimul nos etiam provocat ad benedicendum Deum, & videtur, quód ait: Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipſum. Ideo laudabimus nomen Dei cum cantico, & magnificabimus eum in laude. Ideo etiam exultabit ſolitudo, hoc eſt, Eccleſia, quia multi filii deſertæ magis, quàm ejus, quæ habet virum, dum per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti præfertur Eccleſia Gentium Synagogæ Judæorum: & ſi lex per Moyſen data eſt, gratia, & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt. Florebit quaſi lilium Populus Chriſtianus, quia per Mariam gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli, & Saron: ipſi Fideles videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri

(a) *Pſalm. 39. v. 17.*

(b) *Pſalm. 146. v. 1.*

(c) *Serm. 18. de Sanctis, qui eſt 2. de Annuntiat. Dominica.*

(d) *Pſal. 44. v. 14.*

(e) *Pſalm. 102. v. 1.*

(f) *Pſalm. 33. v. 4*

(g) *Pſalm. 68. v. 31.*

(h) *Iſai. cap. 35. v. 1.*

(i) *Ad Galatas, c. 4. verſ. 27.*

ſtri: quoniam Maria velut aquila grandis magnarum alarum venit ad Libanum, & tulit medullam cedri, dum fecit Deum deſcendere in ejus virginalem thalamum, digna planè Virgo Sacratiſſima, ut loquitur Sanctus Pater noſter Bernardus, cujus decorem concupiſceret Rex, cujus odore ſuaviſſimo ab æterno illo Paterni ſinus attraheretur accubitu. Itaque, quando Eccleſiam cum Anna matre Samuelis lætam audierimus Deum in cantico magnificantem, & dicentem: Exultavit cor meum in Domino: dilatatum eſt os meum ſuper inimicos meos, quia lætata ſum in ſalutari tuo: Dominus ſuſcitat de pulvere egenum, & de ſtercore elevat pauperem, ut ſedeat cum Principibus, & ſolium gloriæ teneat: dicamus nos ſinguli, cum Maria, & Eccleſia Matre noſtra Deum magnificantes, ut in cantico Habacuc: Domine, audivi auditionem tuam, & timui. Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo. Ut requieſcam in die tribulationis, ut aſcendam ad populum accinctum noſtrum. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jeſu meo. Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quaſi cervorum. Et ſuper excelſa mea deducet me victor in pſalmis canentem. Quam admirabile igitur eſt nomen Domini, Domini noſtri in univerſa terra! Quoniam, cùm Maria magnificat Dominum, & exultat ſpiritus ejus in Deo ſalutari ſuo, elevata eſt magnificentia Dei ſuper cœlos, & ex ore infantium, & lactentium perficit laudem ipſe Deus noſter, & Dominus, propter inimicos ſuos, ut deſtruat inimicum peccatum, & ultorem dæmonem, dum minuit hominem paulo minùs ab Angelis, gloria, & honore coronavit eum, & conſtituit eum ſuper opera manuum ſuarum. Propterea per

(j) *Joannis, c.1. v.17.*
(k) *Iſai. c.35. v.2.*
(l) *Ezechiel. c.17. verſ.3.*
(m) *Serm.4. de Aſſumpt. circa medium.*
(n) *1. Regum, cap.2. verſ.1. & 8.*
(o) *Habacuc, cap.3. v.2. & 13. & 16. & 18. & 19.*
(p) *Pſalm. 8. v.2. & 10. & ibid. v.3. & 6. & 7.*
(q) *Pſalm.67. v.35.*
(r) *Pſalm.35. v.6.*
(ſ) *Pſalm.88. v.7. & 8.*

per Mariam est magnificentia Dei, & virtus ejus in nubibus: & in cœlo misericordia ejus, (t) & veritas illius usque ad nubes. Quis in nubibus æquabitur Domino? similis erit Deo in filiis Dei? Deus, qui glorificatur in consilio Sanctorum, & ideo in Maria, quæ est corona omnium (u) Sanctorum Dei, ut loquitur Sanctus Bonaventura, Deus est etiam magnus, & terribilis super omnes, qui in circuitu ejus sunt. Cum Maria (v) Dominus Deus noster magnificatus est vehementer: confessionem, & decorem induit, amictus lumine, sicut vestimento: & confessio, & pulchritudo in conspectu ejus: sanctimonia, & (x) magnificentia in sanctificatione ejus, qui est magnificus in sanctitate, terribilis, atque laudabilis faciens mirabilia. Itaque cantemus Domino, quoniam magnificè fecit: & hoc in universa (y) terra debemus omnes annuntiare. Ob hoc etiam nomen Mariæ Dominus Deus excelsus ita magnificavit, ut non recedat laus Virginis de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in æternum: & in omni gente, quæ audierit nomen Deiparæ, magnificabitur super (z) eam Deus Israel. Est Maria gloria Jerusalem Cœlestis, & terrestris, Ecclesiæ, videlicet, triumphantis, atque etiam militantis: est lætitia Israel, & honorificentia populi nostri, hoc est, generis humani. Egressum est nomen Dei Genitricis in (aa) gentes propter speciem suam, tum gratiæ, tum etiam gloriæ, quia ut dicit S. Pater noster Bernardus, quantum gratiæ adepta est præ ceteris, tantum & in cœlis obtinet gloriæ singularis: quia perfecta erat in decore Dei, quem posuerat super eam ipse Dominus Deus, scilicet, Pa- (bb) ter, Filius, & Spiritus Sanctus. Pauperes sumus (cc) nos, & in laboribus à juventute nostra: mendici sumus, & pauperes; sed Dominus solicitus est no-

(t) *Psalm.103.v.1. & 2.*

(u) *Psalm.95.v.6.*

(v) *Exodi,c.15.v.11.*

(x) *Isai.c.12.vers.5.*

(y) *Judith.c.13.v.15. & 31. & c.15.v.10.*

(z) *Ezechiel.cap.16. vers.14.*

(aa) *Sermon.4. de Assumpt.*

(bb) *Psalm.87.v.16.*

(cc) *Psalm.39.v.18.*

nostri. Adjutor, & protector noster est ipse per Mariam Dei Genitricem eum magnificantem, & in illo exultantem. Confiteamur igitur Domino Deo in toto corde nostro: narremus omnia mirabilia ejus: lætemur, & exultemus in eo, psallamus nomini Dei Altissimi, qui per Mariam factus est refugium generi humano pauperi: adjutor in opportunitatibus, & in tribulatione: & speremus in eo qui novimus nomen ejus, quoniam non dereliquit quærentes se Dominus. Psallamus Domino, qui habitat per gratiam, & gloriam in Sion, quæ est Maria, & annuntiemus inter gentes studia ejus: quoniam non est oblitus clamorem pauperum: qui exaltat nos de portis mortis, ut annuntiemus omnes laudationes ejus in portis filiæ Sion. Exultemus in salutari Dei, quamvis infixæ sint gentes in interitu, quem fecerunt, gentes, inquam, peccatrices, ac perditi homines. Pessimi plerique terrigenæ, & filii hominum, simul in unum dives, & pauper, in quantum fuit ex se, & ex vi suæ malitiæ, fecerunt interitum Dei honoris, & gloriæ, interitum quisque eorum suæ propriæ animæ, interitum etiam per suum malum exemplum, animarum multorum proximorum, quando peccaverunt dicentes opere, si non verbo: Non serviam, à sæculo confringentes jugum Dei, & rumpentes vincula ejus. Sunt infixi plerique eorum peccatorum in interitu, quem fecerunt, quia remanent obstinati; ob quod fortè aliqui illorum erunt æternaliter reprobi. Sed Deus misericors, qui per Mariam implebit ruinas, dum per Incarnationem, & Adventum Filii Dei ad salvandum mundùm, loco Angelorum apostatarum inflexibiliter in malitia obduratorum, subrogabit homines electos, ac prædestinatos ad cœlum:

(dd) *Psalm. 9. v. 2. & 3. & 10. & 11. & 12. & 13. & 15. & 16.*

(ee) *Psalm. 48. v. 3.*

(ff) *Ierem. cap. 2. vers. 20.*

(gg) *Psalm. 109. v. 6.*

(hh) *Ad Hebræos, c. 12. v. 23.*

lum: fecit, facit, & faciet usque in finem hujus sæculi, quòd cum Maria, quæ magnificavit Dominum, & exultavit in Deo salutari suo, [sicut etiam nunc magnificat, & exultat] innumeræ animæ sanctæ, exemplo Deiparæ magnificent taliter offensum à peccatoribus Dominum, & exultent in Christo salutari Dei, & salutari earum, generis humani Redemptore, ac Reparatore ruinarum, quæ mundo venerunt ob primum peccatum Adæ, atque etiam sic bene credendo, & operando accedant ad Civitatem Dei viventis Jerusalem cœlestem, & Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, & ad multorum millium Angelorum frequentiam. Igitur Mariam imitantes, taliter vivamus, ut posteà laudemus Dominum de cœlis: laudemus eum in excelsis: quoniam ipse dixit, & facta sunt, ac fient hæc ex parte narrata, & plurima alia inennarrabilia bona per Mariam, cum Maria, & in Maria. Laudent eum omnes Angeli ejus, laudent eum omnes virtutes ejus in conspectu Mariæ Virginis Deiparæ, quæ est Regina cœlorum, Domina Angelorum, ac cœlestium Imperatrix Virtutum. Juvenes, & Virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini, quia exaltatum est nomen ejus solius, præcipuè per Mariam, quæ quod Eva tristis abstulit, ipsa reddit almo germine, intrent ut astra flebiles, cœli recludens cardines. Lætetur Israel, populus, nempè, Catholicus, per Mariam in eo, qui fecit eum: & filii Sion, id est, devoti veri Genitricis Dei, exultent in Rege suo. Laudent nomen ejus in choro: in tympano, & psalterio psallant ei: quia beneplacitum est Domino in populo suo, & exaltabit mansuetos in salutem, per Christi Sacratissimam Matrem. Cum Maria laudate om-

(ii) *Psal.* 148. *v.* 1. *&* 2. *&* 12.

(jj) *Ecclesiastic. Officium B.M.V. in Hymno Laudum*, *v.* 2.

(kk) *Psal.* 149. *v.* 2. *&* 3. *&* 4.

(ll) *Ad Roman.* c. 15. *vers.* 11.

(mm) *Psalm.* 116. *vers.* 2.

omnes Gentes Dominum, & magnificate eum omnes populi: quoniam, interveniente, & intercedente Maria, confirmata est super nos misericordia ejus, & veritas Domini [Verbum Divinum meritis, & precibus Beatissimæ Virginis incarnatum] manet in æternum.

SECTIO TERTIA,

In qua apponitur Evangelium Sabbati Quatuor Temporum Decembris, seu Adventus, cum tribus ipsi correspondentibus Homiliis.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam.
cap. 3. vers. 1.

ANno quintodecimo Imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Ituræ, & Traconitidis regionis, & Lysania Abilinæ tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna, & Caipha: factum est verbum Domini super Joannem, Zachariæ filium, in deserto. Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ Prophetæ: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini: rectas facite semitas ejus: omnis vallis implebitur: & omnis mons, & collis humiliabitur: & erunt prava in directa, & aspera in vias planas: & videbit omnis caro salutare Dei.

§. Pri-

§. Primus.

HOMILIA PRIMA

Super illa verba:

Sub principibus Sacerdotum Anna, & Caipha, factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto.



DIcite justo, quoniam benè, ait Sanctus Isaias Propheta. Vel hinc possumus addiscere, quòd ea est, ac tanta Divina misericordia, & sacratissima etiam ejus providentia, ut quamvis subsint malis Prælatis, possit benè esse, ac feliciter accidere humilibus prædestinatis, & subditis justis, vel subjectis, maximè circa negotium suæ electionis, & salutis: aut etiam ex Prophetæ verbis relatis ad benè operandum spe bonorum futurorum instruimur, quantumlibèt secùs suadeant, & ad peccatum alliciant proceritas Magnatorum scelerum, & magnitudo Procerum, ac Dynastarum frequentissimorum criminum. In præsenti Evangelica Historia nobis dicitur: Sub principibus Sacerdotum Anna, & Caipha, factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto. Dum adventum Prophetiæ super Sanctum Joannem Baptistam Sacer Textus eloquitur, abs dubio cum maximo mysterio tempus, quo principabantur inter Sacerdotes Annas, & Caiphas, nota-

(a) *Isai. c.3.v.10.*

(b) *1. Petri, cap.5. vers.6.*

(c) *1. Petri, c.2. v.13.*

(d) *Hugo Cardinalis, Nicolaus de Lyra, & Ioannes Sylveira ad hunc locum.*

notatur. Attendamus ad Sacratissimum Christi Præcursorem se in deserto sub potenti manu Dei humiliantem, & subjectum esse omni humanæ creaturæ propter Deum volentem; advertamus simul venerantes Dei justum, rectum, ac profundum judicium, cujus permissione fit elevatio indignorum Annæ, & Caiphæ in sui ipsorum perniciem. Ecce acceperunt sacerdotale principatum Annas, & Caiphas imparibus meritis, siquidem, juxta plurium Doctorum sententiam, emerunt pretio pecuniæ Prælaturas à Romanis. In malum suum filii Belial, nescientes Dominum, neque officium sacerdotum ad populum, Deo sic permittente, evecti sunt ad culmen, apicem, ac fastigium Dignitatum. Has obtinuerunt, tum agente mundo, tum carne blandiente, atque etiam diabolo curante. Elevat aquila in altum tardam, ignavam, fœdam, ac consequenter celsitudinis indignam testudinem: tollit in sublime calor æstatis infimum terræ vaporem: effert in suprema etiam, callidè, & astutè, cornicula insensibilem nucem: sed eviscerat testudinem aquila, quando ex alto eam projiciens, facit, quòd in saxum cadat, ut concham, qua cooperiebatur illud miserum animal reptile, discerpat: evanescit citò præcipitatus vapor terreus, quamvis aliquando æstiva vi fuerit in nubem, aut etiam in coruscum fulmen mutatus: nucem irridet cornicula, cùm ejus in petram impingentis cortex fuerit confractus, & per terram sparsa medulla, qua fallax sagaciter alitur avicula. Melius esset nuci demississimè super pavimentum jacere: tutiùs servaretur vapor, si sub solo datum esset illi perseverare, sicut satius esset testudini humiliter per terram repere. Sed, quantumlibèt mundus in istis fallacibus elevationibus ad immeritas

(e) 1. *Regum*, *cap.* 2. *vers.* 12. & 13.

(f) *Esther* c. 7. v. 6.

(g) *Sapientiæ*, *cap.* 2. *vers.* 24.

(h) *Genesis*, c. 3. v. 5.

(i) *Matthæi*, *cap.* 16. *vers.* 18.

(j) *Psalm.* 40. v. 2.

(k) *Psal.* 111. v. 5.

tas [immò etiam meritas] altitudines dignitatum decipiat : licèt etiam caro in eis, illecebris suis hominibus mundanis, & ambitiosis illudat; (l) *Psalm.83. v.8.* tamen hostis, & inimicus noster pessimus iste est Aman superbus diabolus, cujus invidia mors ingressa est in orbem terrarum, ex quò primis nostris primis parentibus dicens: Eritis sicut dii, ipsis, ut docet S. Bernardus Pater noster Mellifluus, obtulit pomum, ut raperet Paradisum. (m) *Matthæi, c.11. vers.12.* Aspiciunt profectò dæmones cum risu, ut deglutiant eos præcipuè, quos indignos ad dignitates sublimant. Expectant, quòd præceps ibit in abyssum ille, quem elevant suis versutiis, atque fraudulentis artibus in altum. Hos vor- (n) *Ioan. c.10. v.2.* tices fugiunt homines sancti, ac Sacerdotes perfecti: qui potius eligunt subesse, quàm præesse. Super hujus repugnantiæ erga dignitates (o) *1. ad Corinth. c.10. v.12.* petram ædificat Christus Dominus Ecclesiam suam. Dum Ecclesia fundatur super istos abhorrentes à Prælaturis, non habent hi Ecclesias sub pedibus, sed super capita, quando è contrario ambientes dignitates Templa proterunt, Ecclesiasque ipsas conculcant, quia eas superbè (p) *Psal.106. v.26. & 27.* occupant. Super capita electorum Sacerdotum sunt benè constitutæ Dignitates, & Ecclesiæ Christi Fidelium: quia, cùm capita sint officinæ intellectionum, ac discursuum, boni Presules intelligentes super egenum, & pauperem, quan- (q) *Psalm.72. v.18.* do inviti Prælaturis inserviunt, volunt esse beati, & quòd in die mala mortis, & judicii liberet eos Dominus: quia jucundus homo, qui miseretur, & commodat, disponet sermones suos (r) *Iob, c.34. v.30.* in judicio, quia in æternùm non commovebitur. Intelligunt, & discurrunt circa Divini cultus augmentum, & subventiones, atque profe- (s) *Iob, cap.10. v.5.* ctus in dies majores, ampliores, ac abundantiores inopum: itaque eis benedictionem dabit legis-

gislator, ibunt de virtute in virtutem, usque-
(t) *Lib.4.cap.5.in 1. Regum, cap.10.* quo ab eis videatur Deus Deorum in Sion, cùm rapuerint, vim sibi facientes, violenti regnum cęleste, & Empyrei acceperint possessionem ad completam, & æternam ipsorum felicitatem. Hi intrant per ostium in ovile ovium, qui abhorrentes à Prælaturis, solummodò eas in se re-
(u) *Genes.c.30.v.30.* cipiunt, ut Deo pareant: intrant ad illas inviti, ut necessitati Dei populi subveniant. Hi sunt stantes, qui vident, nè cadant, experimentum
(v) *2.Petri.c.1.v.10.* sumentes ab eis, qui ascendunt usque ad cœlos, accipientes Præpositura onus supra proprium debile dorsum, & descendunt usque ad
(x) *Osea, c.5. v.1.* abyssos, passuri supplicium æternum. Anima eorum in malis tabescebat: & omnis sapientia eorum devorata est. Juxta Psalmistam etiam, Deus dejecit malos, dum allevarentur, quan-
(y) *Psalm.68. v.3.* do ipse, ut dicit Job, regnare facit hominem hypocritam propter peccatum populi, sed etiam statuit, quòd gaudium hypocritæ sit ad instar puncti. Et, quia, ut plangit Sanctus Pater noster Bernardus, jam non sicut populus, sic Sa-
(z) *Psalm.68. v.16.* cerdos, quoniam pejores, quàm homines sæculares, inveniuntur nonnulli Sacerdotes: &, ut dicit Sanctus Gregorius Magnus, plerùmque culmen Prælationis accipiunt qui in charitate
(aa) *Lib. 5. in Luc. cap.6. post initium.* Dei, & proximi perfecti non sunt: timere debent Sacerdotes, qui audierint talia, & [quia tempus est, ut aliquando provideant etiam domui suæ, ut Jacob dicebat] curantes de domo.
(bb) *Psal.15. v.10.* conscientiæ nè pereant, debent magis satagere, ut per bona opera certam suam vocationem, & electionem faciant. Hæc enim facientes non
(cc) *Psalm.98. v.6. & 7.* peccabunt aliquando, ut Sanctus Petrus docet. Ad quod agendum attendant ad sententiam terribilem dicentem: Audite hoc Sacerdotes: quia vobis judicium est: quoniam laqueus facti estis,

cſtis ſpeculationi, & rete expanſum ſuper Thabor. O miſeros illos, qui infixi ſunt in limo profundi, hoc eſt in voragine lutoſa, immò adeo luctuoſa, cupiditatis terrenæ! & ideo non eſt in eis ſubſtantia veræ, Sacerdotalis, neque adhuc Chriſtianæ, perfectionis, aut virtutis. Demerſit eos tempeſtas aquę mundanarum vanitatum inconſtantium, & dilabentium, & abſorpſit eos profundum: ideoque non poſſunt meritum regni cœleſtis adipiſci, qui mundi cupiditate preſſi, emergendi non habent facultatem, ut docet Sanctus Ambroſius: nec ad veras delectationes, quæ in dextera Dei ſunt uſque in finem, potерunt appropiare, maximè, quando adeò ſunt eorum greſſus tortuoſi, & ut dicit Sanctus Gregorius Papa, in via Dei non progredi eſt regredi. Verè dicitur, ſi dicatur, quod Annas, & Caiphas erant ſacerdotes peſſimi, quia fidei, & charitatis obliti; quamvis ſub ipſis eſſet, ut ſubditus, populus Iſrael electus, ac etiam Præcurſor Domini Sanctus, cùm eorum tempore venit ſuper illum verus Prophetiæ ſpiritus. Si dicitur in Pſalmo: Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus ejus, quia Deus in ipſis complacuit, ideò hoc, quoniam cuſtodiebant teſtimonia ejus, virtute fidei credentes, & præceptum, quod dedit illis, legem Domini, quam habebant in medio cordis ſui, accuratiſſimè in charitate non ficta ſervantes, dum deduxit Conditor, & Redemptor noſter, ſicut oves populum ſuum in manu Moyſi, & Aaron: & horum ſanctorum Sacerdotum optimis exemplis Deus fuit Dux in miſericordia populo, quem redemit à captivitate Ægyptiaca. Is eſt fructus Sacerdotum bonorum, quem percipit Deus, & plebs Catholica, quando à nullo, quàm à malis Sacerdotibus majus præjudicium tolerat Deus, ut dicit Magnus Pontifex San-

(dd) *Pſalm. 39. v. 9.*

(ee) *1. ad Corinth. c. 6. verſ. 6.*

(ff) *Pſalm. 76. v. 21.*

(gg) *Exodi, cap. 15. verſ. 13.*

(hh) *Homil. 17. in Luc. 10. ante mediũ.*

(ii) *Tract. 19. in Ioan. ſub finem.*

(jj) *Ezechiel. cap. 7. verſ. 26.*

(kk) *Pſalm. 131. v. 9. & 16. & 17. & 18.*

Sanctus Gregorius: & quando isti miseri Annas, & Caiphas indigni Sacerdotes, de quibus hodie Sanctum Evangelium loquitur, ut notavit Sanctus Augustinus, temporalia perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitaverunt, ac sic utrumque amiserunt. Utinam [nè lex pereat à Sacerdote, & consilium à senioribus, juxta id, quod Ezechiel vaticinatur] Sacerdotes Dei induantur justitiam. Et, si Dominus Sacerdotes Sion, id est, Ecclesiæ, induerit salutari; tunc Sancti Ecclesiæ ipsius exultatione exultabunt: parabit Deus lucernam Christo suo: & inimicos ejus induet confusione: super ipsum autem efflorebit sanctificatio sua.

§. Secundus.

HOMILIA II.

Super illa verba:

Et venit in omnem regionem Jordanis prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.



Nos orationi, & ministerio verbi instantes erimus, dixerunt duodecim Apostoli congregati, convocatæ discipulorum, sive Christi Fidelium multitudini. Et placuit sermo eorum omni multitudini, cui jucundum fuit audire, quòd Apostoli per orationem volebant attendere sibipsis, ut uberiùs per prædicationem verbi Dei possent salutem proximorum

rum procurare. Ut sibi igitur, & aliis proficeret, & magis in dies prodesse posset S. Joannes Baptista Præcursor Domini nostri Jesu-Christi, attendens sibi, & doctrinæ, ut aliquando hortabatur Sanctus Paulus, venit in omnem regionem Jordanis prædicans, & ad pœnitentiam incitans. Hoc narrat hodie Divinum Evangelium, dum dicit: Et venit in omnem regionem Jordanis prædicans baptismū pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Venit, postquam orationi institit: venit, postquam factum est verbum super illum in deserto: quia ipse S. Joannes [ut Dominus exaudiret orationem ejus, & non averteret faciem suam ab illo, inclinans ad eum aurem suam] similis factus est pellicano solitudinis: vigilavit, & factus est sicut passer solitarius in tecto. Immo potiùs, quando in omnem regionem Jordanis prædicans venit, locum aptum ad orationem quæsivit, ut meditaretur nocte cum corde suo: quia, cùm, juxta Sanctum Hieronymum, Jordanis interpretetur Fluvius judicii, Concionator qui à memoria, & meditatione Judicii Dei non recedit, sed venit, & appropiat ad ipsam, uberes colligit ad proprium profectum fructus, maximam etiam affert suis utilitatem audientibus. Tunc Sanctus David credebat, & sperabat, quòd in societate aliorum confessurus erat Deum, dicens: Confitebimur tibi Deus: confitebimur, & invocabimus nomen tuum: tunc etiam judicabat, se cum sociis mirabilia Dei narraturum, & ajebat: Narrabimus mirabilia ejus; quando videns liquefactam terram, & omnes, qui habitabant in ea, confirmavit ejus columnas, dicens etiam iniquis: Nolite iniquè agere; quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à desertis montibus, quoniam Deus Judex est. Ecce quomodo

(a) *Actor. c. 6. v. 4. & 5.*

(b) *1. ad Timoth. c. 4. vers. 16.*

(c) *Psalm. 38. v. 13.*

(d) *Psalm. 101. v. 3.*

(e) *Psalm. 70. v. 2.*

(f) *Psal. 101. v. 7. & 8.*

(g) *Psalm. 76. v. 7.*

(h) *Psalm. 74. v. 2. & 3. & 4. & 5. & 7.*

(i) *Psalm. 17. v. 23.*

(j) *Psal. 118. v. 11.*

dò ad sibi, & aliis maximum capessendum proventum, memoratus est, & memorari ceteros fecit, Divinum Judicium, utpote experientia doctus, dum quia omnia judicia Dei fuerant in conspectu suo, ideo justitias ejus non repulit à se, cùm potius in corde suo absconderit eloquia Domini, ut non peccaret illi. Ideo etiam ipse David proponebat, quòd futurus esset immaculatus cum Deo, & observaturus se ab iniquitate sua propria. Orabimus etiam nos proficuè Conditorem nostrum, ut configat timore suo carnes nostras, nè labamur in vetita, si à judiciis ejus timuerimus: itaque facientes judicium, & justitiam, non trademur calumniantibus nos hominibus pessimis mundi, nec accusatoribus dæmoniis inferni. Cogitemus ergo illud tribunal, & putemus, ipsum nunc adesse, ut nos docet Sanctus Joannes Chrysostomus. Discutiamus nos nunc, ne judicet nos Deus, clamat, ut Evangelica tuba, S. Thomas de Villanova; nam præoccupare debemus faciem Dei salutaris nostri in confessione, Dei illius piissimi, inquam, qùi, ut notavit Sanctus Gregorius Magnus, terribilis in secundo adventu ad judicium redibit, quia in primo adventu nos redimens adeo mitem se monstravit; qui tamen citius venire differt, ut minùs inveniat quod condemnet. Præoccupemus itaque faciem ejus in confessione peccatorum nostræ benè discussæ, ac examinatæ conscientiæ: quia si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur: &, cùm Deus appensurus sit nos in statera justa, ut Sanctus Job dicebat, ne appensi simus in statera, & inventi simus minùs habentes, quàm judicamus, meritorum, & bonorum operum, velut accidit illi Regi Baltassari misero, postquam audivit talia verba: *Appensus es in statera*, eadem no-

(k) *Psalm.* 17. *v.* 24.

(l) *Psal.* 118. *v.* 120. *&* 121.

(m) *Psalm.* 94. *v.* 1. *&* 2.

(n) *Homil.* 29. *in Evang.*

(o) 1. *ad Corinth. c.* 11. *vers.* 31.

(p) *Iob*, *c.* 31. *v.* 6.

(q) *Daniel. c.* 5. *v.* 27. *&* 30.

(r) *Ad Galatas*, *c.* 6. *vers.* 10.

(s) *Iosue*, *c.* 7. *v.* 19.

cte interfecto, juvabit, quòd dum tempus habemus, operemur bonum: juvabit dare gloriam Deo, & confiteri, ficut illi militi Achan dixit aliquando Josue: confiteri, nempe, quæ malè cogitavimus, locuti, atque operati sumus: omissiones etiam, quas incurrimus non agentes quod agere tenebamur: juvabit denique ad totum debitum faciendum, considerare, quòd pondus, & statera sunt judicia Domini. Certè Naaman Syro dixit Sanctus Eliseus Propheta: Lavare septies in Jordane, ut eum mundaret à lepra, & stabiliret in salute ab ipso leproso desiderata. Iste descendit, ut ait Sacer textus, & lavit in Iordane septies juxta sermonem viri Dei, & restituta est caro ejus, sicut caro pueri parvuli, & mundatus est. Quid est septenaria lotio in Jordane, nisi multiplicata, ac repetita recordatio judicii? quæ quidem maculas animarum emundat, & à fœdo morbo lepræ peccatorum liberat, dum etiam hominem spiritualiter renovans, ipsum felicissimè meliorat. Vidit Daniel, quod interfecta esset bestia, & periisset corpus ejus, & traditum esset ad comburendum igni, quando judicium sedit, & libri aperti sunt; quia, si Judicium Dei sedem fixerit in nostra consideratione repetita, si Dei Tribunal sedeat in nostrûm cujusque memoria, etiamsi ante hanc recordationem habuerimus corda peccatricia, atque prava; imposterùm non regnabit peccatum in nostro mortali corpore, quod quidem debemus juxta Sanctum Paulum curare diligentissimè, immò potiùs tali judicii Dei meditatione continua, destruetur corpus peccati, ut idem loquitur Apostolus: & ita peccatum, quod est bestia inter omnes truculentissima, & fera pessima, quæ devorat ad se accedentem, exterminans etiam vineam animæ

(t) *Proverb. cap. 16. vers. 11.*

(u) *4. Regum, cap. 5. v. 10. & 14.*

(v) *Daniel. c. 7. v. 11. & in eodem c. v. 10.*

(x) *Ad Roman. c. 6. v. 12. & in eodem c. vers. 6.*

(y) *Genes. c. 37. v. 20. & 23.*

(z) *Psalm. 79. v. 14.*

(aa) *Psal. 62. v. 11.*

(bb) *Deuteron. c. 4. vers. 24.*

(cc) *Ad Roman. c. 6. vers. 6.*

aper de silva, & singularis ferus depascens uberiora, & pinguiora, non ampliùs trucidabit, non devorabit, non exterminabit, nec depascet animas nostras; quia tradetur in manus gladii, & interficietur framea perfectæ contritionis hæc bestia, dum fuerit in optima Confessione Sacramentali confossa, facto ascensu ab attritione elicita ex terrore Tribunalis Divini, ad contritionem provenientem ex summo amore, ac dilectione Majestatis supernæ: corpus etiam peccati, utpote bestiæ valdè nocentis, peribit, quando traditum sit ad comburendum flammis Dei ardentissimi amoris, quia Deus noster ignis consumens est: ut ultrà non serviamus peccato. Non perveniunt ad istum verum baptismum pœnitentiæ, neque ad remissionem peccatorum illi viri scelerati, qui nolentes intelligere, ut benè agant, ex industria fugiunt malitiosè à consideratione Tribunalis Divini Judicii, ut per omnia vitia devagantes, & coronari rosis volentes, omnes loqui sibi placentia desiderãtes [vel ipsos, qui tenentur non decipere, sed terrores Dei justitiæ annuntiare, utpote obligantur Confessarii, Concionatores, & alii Domini nostri ministri] ut ita, inquam, perditè viventes, nullum sit pratum, quod non pertranseat eorum luxuria, dum secundùm suam duritiam, & impœnitens cor thesaurizant sibi iram in die iræ, præ suæ conscientiæ cauteriatæ libertate periculosa, & libidine effrenata. Hinc oritur pusillorum scandalum, quia tales animæ perditæ peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt. Ideo, dum superbit impius incenditur pauper, seu injustis divitum rapinis, sive mercedis operariorum, & facultatum aliorum creditorum retentionibus injustis, unde sequitur, quòd funestissimis consequentiis miseri creditores, ac eorum domus, &

(dd) *Psalm.* 35. *v.* 4.
(ee) *Sapient. c.* 2. *v.* 8.
(ff) *Isaiæ, c.* 30. *v.* 10.
(gg) *Sapient. c.* 2. *v.* 8.
(hh) *Ad Romanos, c.* 2. *v.* 5.
(ii) 1. *ad Timoth. c.* 4. *vers.* 2.
(jj) *Psalm.* 10. *secundum Hebr. v.* 2. *&* 5. *&* 6. *&* 7. *& in eodem Psal. v.* 5.
(kk) *Psalm.* 35. *v.* 7.
(ll) *Psalm.* 58. *v.* 11.

& familiæ in tristem egestatem redigantur: sive etiam incenditur pauper, litibus miserabilium personarum contra justitiam ex industria forsan, vel saltem detentis ex culpabili, & valde noxia omissione. Ideo item de eodem impio dicitur: Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore, &, quòd dixit in corde suo: Non movebor à generatione in generationē sine malo, &: Cujus maledictione os plenum est, & amaritudine, & dolo; quia de ipso impio dicitur: Auferuntur judicia tua (Domine Deus) à facie ejus. O utinam Domine Jesu, Deus, & Redemptor noster, non auferrentur judicia tua à facie peccatorum, qui in tali perditione versantur, ac tantis sceleribus obvolvuntur, ac proinde tot, & tam magna supplicia in hac, & in alia vita merentur! Neutiquam talia mala perpetrarent, neque tam inordinatè, ac periculosè degerent. Justitia tua, Domine, sicut montes Dei, & judicia tua abyssus multa. Ut misericordia tua, quæ præveniet nos, etiam subsequatur nos omnibus diebus vitæ nostræ, fac benignè, & clementer, ut memorantes justitiæ tuæ solius, quia justus es Domine, & rectum judicium tuum; hac recordatione justi judicii tui, cùm horrendum sit incidere in manus Dei viventis, vitam agamus, ut ait Sanctus Basilius Magnus, tuo Evangelio convenientem, sempiternam vitam, & cœleste regnum sperantes: ut sic accuratè vivente in hoc sæculo, æternaliter gaudeamus, & lætemur in futuro. Hac judicii memoria faciamus quod nobis intimat faciendum amicus tuus dilectus Sanctus Augustinus, dum dicit: Quasi duæ res sunt homo, & peccator. Quod audis, homo, Deus fecit: quod audis: Peccator, ipse homo fecit. Dele quod fecisti, ut salvet Deus quod fecit. Sprevisti, Domine Jesu,

(mm) *Psalm. 22. v. 6.*

(nn) *Psal. 70. v. 16.*

(oo) *Ps. 118. v. 137.*

(pp) *Ad Hebræos, c. 10. v. 31.*

(qq) *De vera, ac pia fide, juxta finem.*

(rr) *Tractat. 12. in Ioan. sub finem.*

(ss) *Psalm. 118. vers. ibid. 118.*

(tt) *Psalm. 78. v. 9.*

(uu) *Ps. 118. v. 106.*

(vv) *Psal. 105. v. 3.*

Jesu, omnes discedentes à judiciis tuis, quia injusta cogitatio eorum. Adjuva nos Deus salutaris noster, ut statuamus custodire judicia justitiæ tuæ: quia beati qui custodiunt judicium, & faciunt justitiam in omni tempore.

§. Tertius.

HOMILIA III.

Super illa verba:
Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.



Rgo erravimus à via veritatis: dicent æternaliter damnati in inferno peccatores. Benè ex antecedenti mala sua vita, & ex præmissis, vel facinoribus detestandis, vel mortalibus suis inferunt, ac concludunt omissionibus. Utinam nos ab istis miseris, ne tali Ergo in abysso infernali concludamur, experimentum sumentes, non erremus à via veritatis; sed potiùs ad invicem nos provocantes dicamus: Venite, & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob: & docebit nos vias suas: & ambulabimus in semitis ejus, ut lucerna sit pedibus nostris verbum Dei, & lumen semitis nostris, dum semitæ nostræ non fuerint aliæ, quam ipsæ Dei, & Domini nostri semitæ. Faciamus igitur, nè erremus, ut semitæ nostræ, Dei nostri semitæ sint, qui reliquit nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, & ipse

(a) *Sapientiæ, cap.* 5. *vers.* 6.

(b) *Isaiæ, cap.* 2. *v.* 3.

(c) *Psal.* 118. *v.* 105.

(d) 1. *Petri, cap.* 2. *vers.* 21.

(e) 1. *Ioan. c.* 2. *v.* 6.

ipse ambulare, ut Sanctus Joannes Evangelista docet. Has Dei semitas designaverat Sanctus Paulus, quando nobis dixit: Fratres: Rogamus vos, & obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodùm accepistis à nobis, quomodò vos oporteat ambulare, & placere Deo, sic & ambuletis, ut abundetis magis. Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra: ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore. Ideo David prædixerat, prævidens in spiritu futurum: Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur: Viæ Domini [ait Sanctus Pater noster Bernardus] viæ planæ, viæ pulchræ, viæ tutæ. E contrà, peccatores secundum carnem viventes lassantur in via iniquitatis, & perditionis, ambulant vias difficiles, viam autem Domini ignorant, ut Sacer textus ait, dum ipsos in æternum gementes proponit. Lassis non datur requies, & opprimuntur operibus, dum explent ea, isti miseri captivi in Pharaonis dæmonis potestate: quando ille Deus piissimus, qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, dicit: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Promissio ejus in promptu est, quoniam laborantes vocavit, ut Sanctus Augustinus advertit. Ideo dictum est nobis: Hæc est via, ambulate in ea. In præsenti Evangelio nobis dicitur: Parate viam Domini: rectas facite semitas ejus. Parabimus viam Domini, ut ad nos veniat, si nos per viam ejus ambulaverimus, ut ad eum eamus, qui quidem dixit: Manete in me, & ego in vobis. Rectas faciemus semitas ejus, si, ut ipse ad nos properet, tortuositatem antiquarum iniquitatum nostrarum auferamus, cùm idem Dominus animas nostras converterit propter suam mise-

(f) 1. ad Thessalonic. c.4. v.1. & 3.
(g) Psalm. 50. v.15.
(h) Sapientiæ, cap.5. vers.7.
(i) Sapientiæ, cap.4. v.20. & c.5. v.3.
(j) Threnor. c.5. v.5.
(k) Exodi, c.5. v.9.
(l) 1. ad Timoth. c.2. vers.4.
(m) Matthæi, cap.11. vers.28.
(n) Serm.10. de Verbis Domini.
(o) Isai. c.30. v.21.
(p) Joan. c.15. v.4.
(q) Psalm. 22. v.3.

misericordiam, & deduxerit nos super semitas justitiæ, videns nos cogitantes vias nostras, & convertentes pedes nostros in testimonia sua, ut participes simus omnium timentium eum, & custodientium mandata illius. Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum, quando Deus Israel visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ, Sanctus Joannes Baptista Propheta Altissimi vocatus est: præivit enim ante faciem Domini parare vias ejus: & cùm præcesserit ante illum in spiritu, & virtute Eliæ parare Domino plebem perfectam: cùm etiam sit Sanctus Domini Præcursor Vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta: Sancti Joannis Baptistæ merita interpellat Ecclesia Catholica, cum invocans, & dicens: Nunc potens nostri, meritis opimis, pectoris duros lapides revelle, asperum planans iter, & reflexos dirige calles: ut pius mundi Sator, & Redemptor, mentibus culpæ sine labe puris, ritè dignetur veniens beatos ponere gressus. Utinam ergo dirigantur viæ nostræ ad custodiendas justificationes Domini: & ab omni via mala prohibeamus pedes nostros, ut custodiamus verba Dei: à judiciis ejus non declinemus, quia ipse legem posuit nobis: à mandatis illius intelligamus, & propterea odio habeamus omnem viam iniquitatis. Sint pedes nostri recti, & planta pedis nostri quasi plāta pedis vituli, idest, ad sacrificium, & laborem nos destinemus, ac Deo benè ambulantes obediamus, ut explicat Sanctus Hieronymus: quia, si compatimur, & conglorificabimur, ut docet nos Sanctus Paulus: hoc est, si tolerabimus, & conregnabimus, ut notat Sanctus Ambrosius. Hac posita pedum rectitudine, & plantæ pedis nostræ forma, erunt scintillæ, quasi aspectus

(r) *Psal.* 118. *v.* 59. & 63.

(s) *Lucæ*, c. 1. *v.* 77. & *in eodem c. v.* 68. & 76.

(t) *Lucæ*, c. 1. *v.* 17.

(u) *Ioan.* c. 1. *v.* 23.

(v) *Ecclesiast. Officiū Nativitatis Sancti Ioann. Baptist. in Hymno Laudum*, *v.* 3. & 4.

(x) *Psalm.* 118. *v.* 5. & 101. & 102. & 104.

(y) *Ezechielis*, c. 1. *vers.* 7.

(z) *Ad Roman.* c. 8. *vers.* 17.

(aa) *Serm.* 22.

(bb) *Ezechiel. cap.* 1. *vers.* 8.

(cc) *Homil.* 13. *in Evangel.*

ctus æris candentis, cùm per bona opera proximis nostris lucis exempla monstraverimus, ad quod ardenter nos provocat Sanctus Gregorius Magnus. Sic non revertemur, cùm incedemus, sed unusquisque nostrum ante faciem suam gradietur: tunc etiam ubi fuerit impetus spiritus, illuc gradiemur, nec revertemur, cùm ambulaverimus. Recti ergo esse debemus, quia ita diligemus Deum, cui dicitur in Canticis: Recti diligunt te. Itaque exultate justi in Domino: rectos decet collaudatio. Confitemini Domino in cithara: in psalterio decem chordarum psallite illi: quia rectum est verbum Domini: & omnia opera ejus in fide. Dulcis, & rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via. Diriget mansuetos in judicio: docebit mites vias suas. Universæ viæ Domini misericordia, & veritas, requirentibus testamentum ejus, & testimonia ejus. Firmamentum est Dominus timentibus eum: & testamentum ipsius, ut manifestetur illis. Sed ad hæc facienda, & talia capienda bona, ò dulcissimè Jesu Deus noster, & Redemptor mundi, dirige in conspectu tuo viam nostram: & fac, ut servemus mandata tua, & testimonia tua, quia omnes viæ nostræ in conspectu tuo. Cùm virga sit directionis virga regni tui, quando etiam regnum Dei intra nos est: oramus te, ut virga tua, & baculus tuus, quæ ipsa nos consolata sunt [nam, ut explicat Sanctus Gregorius Magnus, virga tua percutimur, & baculo sustentamur: & debemus consolationem habere etiam percussi virga, velut filii:] virga, inquam, & baculus nos dirigent [quia tua virga, & tuus baculus est] ad hoc, ut sicut arca antiqua testamenti, quæ portabatur in plaustro, virtute tua faciebat, quòd irent in directum vaccæ itinere unò pergen-

(dd) *Ezechiel.cap.1. v.9. & 12.*

(ee) *Canticor. cap.1. vers.3.*

(ff) *Psal. 32. v.1. & 2. & 4.*

(gg) *Psalm.24. v.8. & 9. & 10. & 14.*

(hh) *Psalm.5. v.9.*

(ii) *Psal.118. v.168.*

(jj) *Psalm.44. v.7.*

(kk) *Luca, cap.17. vers.21.*

(ll) *Psalm.22. v.4.*

(mm) *1.Reg. cap.6. vers.12.*

gentes, & mugientes, & non declinarent ad dexteram, neque ad finistram; ita jugum tuum suave, & onus tuum leve [dum tulerimus feliciter jugum tuum super nos] in nobis operetur, quòd legem portantes, & legis Christianæ leve pondus [immò pondus allevians, & elevans] sustinentes, pergamus per viam cœlestis Patriæ, nec deviemus à recto itinere, declinantes, vel ad dexteram prosperitatis fallacis, vel ad sinistram persecutionis, & adversitatis horribilis, quamvìs mugiamus, quia tribulationem habebunt justi, cùm quilibet accedens ad servitutem Dei debeat præparare animam suam ad tentationem: cùm etiam scriptum sit, quòd omnes, qui piè volunt vivere in te, Christe Jesu, persecutionem passuri sunt. Et vos, ò Fratres mei, qui hæc audientes, parare viam Domini, rectas facere semitas ejus, sicut nobis hodie dicit Sanctum Evangelium verbis Isaiæ, vultis; advertere debetis, quòd, ut gratiæ Redemptionis, ac Vocationis nostræ cooperantes, Dei simus adjutores, ut loquitur Sanctus Paulus, necessarium est cùm metu, & tremore, nostram nos salutem operari, secundùm id, quod docet ipse Sanctus Apostolus. Confiteamur Domino in directione cordis, quia justum adjutorium nostrum à Domino, qui salvos facit rectos corde, & præparationem cordis eorum audivit auris ejus, & tribuet illis secundum cor illorum, & omne consilium ipsorum confirmabit. In Deo lætabitur cor eorum, & in nomine sancto ejus sperabunt, qui finxit singillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum. Confiteamur, inquam, Domino Deo nostro in directione cordis, in eo, quòd didicimus judicia justitiæ illius: ita justificationes ejus custodiemus, & ipse non nos derelinquet usquequaque, sed potius.

(nn) *Matthæi*, c.11. v. 30. & in eodem cap. v.29.

(oo) *Eccli*. c.2. v.1.

(pp) 2. *ad Timoth*. c.3. v.12.

(qq) 1. *ad Corinth*. c.3. v.9.

(rr) *Ad Philipp*. c.2. v.12.

(ss) *Psalm*.118. v.7.

(tt) *Psalm*.7. v.11.

(uu) *Psalm*.10. *secundum Hebr*. v.17.

(vv) *Psalm*.19. v.5.

(xx) *Psal*.32. v.21. & in eodem *Ps*. v.15.

tius accipiet nos ad se ipsum, ut ubi est ille nos simus, quia vult, ut ubi ille est, illic, & minister ejus sit. Hoc est rectum cor, quod est mundum cor: itaque debemus desiderare, ac petere, ut cor mundum creet in nobis Deus, & spiritum rectum innovet in visceribus nostris, & nè projiciat nos à facie sua, & Spiritum Sanctum suũ nè auferat à nobis; immò reddat nobis lætitiam salutaris sui, & Spiritu principali confirmet nos: & cùm beati sint mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, caveamus à cordis immunditia, quæ visionem Dei impedit, dum cordis directioni obstat, & hominem spiritualiter interficit. Corpus, quod corrumpitur aggravat animam: & cor, quod in homine est primum vivens, & ultimum moriens; ut rectum sit in pectore, sua forma triangulari in modum sit stipitis, non dejectum in figura tristis sepulchralis pyramidis; debet inveniri mundum, à carne, & sanguine vacuum, & spiritu vitæ per omnem suam naturalem concavitatem repletum: quia aliter carnis, & sanguinis mole ponderosa obrutum, & impulsum, cor cadit, & homo irremediabiliter moritur, nisi à Deo miraculosè ejus cor levetur, & dirigatur. Ut sit rectum cor, debent sursum versùs cœlum aspicere duæ cuspides, sive extremitates ejus triangularis figuræ, & una tantum ex tribus in terram vergere. Habentes igitur alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus, ut loquitur Sanctus Paulus: & ideo non debemus turbari erga plurima præ nimia solicitudine terrenorum: & si spiritu vivimus, spiritu & ambulemus, si enim [ut dicit Propheta Oseas] sanguis sanguinem tetigerit, cùm virum sanguinum, & dolosum abominaturus sit Dominus: & si secundum carnem vixerimus, moriemur; si autem

(yy) *Psal.* 118. *v.* 7. & 8.

(zz) *Ioan. c.* 14. *v.* 3.

(aaa) *Ioan. cap.* 12. *vers.* 26.

(bbb) *Psal.* 50. *v.* 12. & 13. & 14.

(ccc) *Matthæ*, *c.* 5. *vers.* 8.

(ddd) *Sapientiæ*, *c.* 9. *vers.* 15.

(eee) 1. *ad Timoth.* *c.* 6. *v.* 8.

(fff) *Lucæ*, *cap.* 10. *vers.* 41.

(ggg) *Ad Galatas*, *c.* 5. *v.* 25.

 tem

tem spiritu facta carnis mortificaverimus, vive-
(hhh) *Oseæ, c.4. v.2.* mus. Porrò unum est necessarium. Ergo spe-
rate in Deo omnis congregatio populi, effundite
coram illo corda vestra: Deus adjutor noster in
(iii) *Psalm. 5. v.7.* æternum. Rectificemus cor, illud directum
per Dei gratiam servantes, ut quamvis una ex
(jjj) *Ad Roman. c.8. vers.13.* necessitate sit versùs terram, cordis duæ cuspi-
des aspiciant cœlestem Patriam: duplò majo-
rem curam de cœlo habeamus, quam de hoc
(kkk) *Lucæ, cap.10. vers.42.* mundo: quandoquidem speramus, ut Venera-
bilis Beda dicit, quòd in vitam æternam, & im-
mortalem erimus resurgendo regenerati qui in
(lll) *Psalm.61. v.9.* vitam caducam mortaliter eramus geniti: &
Deus Pater regeneravit nos in spem vivam per
(mmm) *Homil. in Natal. S.Benedicti.* resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hæ-
reditatem incorruptibilem, & incontaminatam,
& immarcescibilem. Quæ sursum sunt quæra-
(nnn) *1.Petri, c.1. vers.3. & 4.* mus, quæ sursum sunt sapiamus, & sit nostra
conversatio in cœlis. Abjiciamus opera tene-
brarum, & induamur arma lucis: sicut in die
(ooo) *Ad Colossens. c.3. v.1. & 2.* honestè ambulemus, non in commessationibus,
& ebrietatibus, non in cubilibus, & impudici-
tiis, non in contentione, & æmulatione. At-
(ppp) *Ad Philippens. c.3. v.20.* tendamus autem nobis, ut Christus Dominus
benignè hortatur, nè fortè graventur corda no-
stra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ:
(qqq) *Ad Roman. c.13. v.12. & 13.* & superveniat in nos repentina dies illa: tam-
quam laqueus enim superveniet in omnes, qui
sedent super faciem omnis terræ. Vigilemus
(rrr) *Lucæ, cap.21. v.34. & 35. & 36.* itaque, omni tempore orantes, ut digni habea-
mur fugere ista omnia, quæ futura sunt, & sta-
re ante Filium hominis. Ambulemus igitur
(sss) *Ioan. c.12. v.35.* dum lucem habemus, ut non nos tenebræ com-
prehendant, quia hora est jam nos de somno
(ttt) *Ad Romanos, c.13. v.11. & 12.* surgere, cùm jam nox præcesserit, dies autem
appropinquaverit, ille, scilicèt, dies verus Chri-
stus, ut loquitur S. Cyprianus, cùm jam ap-
pro-

propinquaverit in nos regnum Dei, hoc Adventus tempore, per proximum Nativitatis Domini Festum. Audivimus Sanctum Precursorem Joannem Baptistam prædicentem nostrumDivinum Redemptorem, dum clamabat in deserto, ut paremus ejus viam, & rectas faciamus ejus semitas, nos præparantes ad ejus spiritualem Adventum in mundo, ut sine fine cum ipso felicissimè regnemus in cœlo. Præstet Æternus Pater Omnipotens Deus, ut familia sua per viam salutis incedat: ut beati Joannis Præcursoris hortamenta sectando, ad eum, quem prædixit, secura perveniat, Dominum nostrum Jesum Christum, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

(uuu) *De Oratione Dominica, ad fin.*

(vvv) *Luca, c.10. v.9.*

(xxx) *Ecclesiast. Officium Vigiliæ S. Joannis Baptistæ in Oratione; & Itinerarium Clericorum in Oratione ultima.*

(yyy) *Ad Roman. c.9. vers.5.*

Finis Homiliarum.

PARS

PARS SECUNDA.

COntinet hæc pars explicationes omnium Orationum Officii cujuslibet omnium dierum Quatuor Temporum Veris, Æſtatis, Autumni, & Hyemis, ſimulque earum, quæ dicuntur in Miſſis dierum ipſorum. Ex quibus Orationibus illæ, quæ recitantur in Officio, & ſunt primæ in Miſſa, habent explicationem Sacra Scriptura, & auctoritatibus Sanctorum Patrum ſtipatam; ſed non ſic Orationes reliquæ prædictarum Miſſarum: quæ brevi enodantur ſtilo, nè fortè, cùm plures ſint numero, faſtidium ſua prolixitate hæ explicationes poſſint facere legenti. Omnes Orationes ponuntur, prout in Breviario, & Miſſali Romano noviſſimo Urbani Octavi continentur.

CA-

CAPUT PRIMUM,

In quo ponuntur, & explicantur stilo Scripturali duodecim Orationes, quæ dicuntur in Officiis duodecim dierum Temporum, & in totidem ipsorum Missis primo loco recitantur.

SECTIO PRIMA,

Habet explanatas tres Orationes Officii, quæ primo loco dicuntur in Missis dierum Temporum Quadragesimæ, sive Temporum Vernalis.

§. Primus.

Pro Feria quarta Quatuor Temporum Quadragesimæ

ORATIO.

P*Reces nostras, quæsumus Domine, clementer exaudi: & contra cuncta nobis adversantia dexteram tuæ majestatis extende. Per Dominum nostrum &c.*

Explicatio ejus.



Eus, qui anteà promiserat, quòd effusurus erat super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ, & precum, exoratur hodie ab Ecclesia, ut exaudire dignetur preces Catholicorum. Necessaria est gratia postulandi ad

(a) *Zachar. cap.12. vers.10.*

(b) *Matthæi, c.7. v.8.*

ad benè precandum: quia quamvìs verum sit, quod omnis, qui petit, accipit, & dictum sit nobis: Petite, & accipietis, etiam scimus, scriptum esse: Petitis, & non accipitis: eò quòd malè petatis. Quidquid petierimus in nomine Christi, credimus, quia accipiemus, & fiet nobis: sed juxta Sanctum Augustinum, non petitur in nomine Salvatoris quidquid petitur contra rationem salutis: & qui in nomine Christi petit, accipit quod petit, si non contra suam salutem sempiternam petit. Cavendum igitur est, nè super nos veniat illa maledictio: Cùm judicatur, exeat condemnatus: & oratio ejus fiat in peccatum. Effudit ergo clementissimus Deus super Catholicum populum [dum allegoricè filii Ecclesiæ sunt habitatores Jerusalem] spiritum gratiæ, & precum, ad hoc, ut preces eorum exaudiantur, siquidem hæ preces ab habentibus gratiam benè postulandi procedunt: itaque Dominus respiciet in orationem humilium, & non spernet precem eorum. Exaudita est Anna mater Samuelis, cùm illa multiplicasset preces coram Domino: & exaudiet profectò Deus Matrem nostram Sanctam Ecclesiam, cùm ipsa multiplicaverit preces ante suam Majestatem Divinam. Exauditæ sunt preces amborum [Tobiæ, nempe senioris, & Saræ filiæ Raguelis, quamvìs ambo multùm corpore inter se distarent] in conspectu gloriæ summi Dei: & missus est Angelus Domini Sanctus Raphael, ut curaret eos ambos, quorum uno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatæ. Hac spe freti filii Ecclesiæ totum per orbem diffusæ, maximè, si renatis fonte baptismatis una est fides mentium, & pietas actionum, habentes spiritum gratiæ, & precum, quamvis corpore multùm inter se distent, uno ore, & una hodie

(c) *Ioan.c.16. v.24.*

(d) *Iacobi, c.4.v.3.*

(e) *Ioan.cap.15.v.7. & 16.*

(f) *Tract.102. in Ioann.*

(g) *Tract. 81. in Ioannem, sub mediù.*

(h) *Psalm.108.v.7.*

(i) *Psalm.101. v.18.*

(j) *1. Regum, cap.1. v.12. & 27.*

(k) *Tobia, c.3.v.24. & 25.*

(l) *In Oratione Officii, & Missæ Feria quinta infra octavam Paschæ.*

die dicunt fide : Preces nostras ; quæsumus Domine, clementer exaudi. Propè est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & salvos faciet eos, quia ipse est, qui ædificans Jerusalem Dominus, dispersiones Israelis congregabit : qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum : qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat. Omnia in sapientia fecit : impleta est terra possessione sua : omnia ab eo spectant, ut det illis escam in tempore : dante ipso illis, colligent, aperiente illo manum suam, omnia implebuntur bonitate. Ab ipso igitur, qui multoties exaudivit preces nostras, & eduxit nos de lacu miseriæ, & de luto fęcis, quærimus hodie [utpote à Domino Deo salutis nostræ, coram quo in die, & nocte debemus clamare] ut intret in conspectu suo oratio nostra, & inclinet aurem suam ad precem nostram, quia repleta est malis anima cujusque nostrûm, & vita nostra inferno appropinquavit : itaque oportet semper orare, & non deficere, & jubemur vigilare, & orare, ut non intremus in tentationem. Ipse Deus audivit gemitum filiorum Israel, quo Ægyptii oppresserunt eos, & recordatus est pacti sui : vidit afflictionem populi sui in Ægypto, & clamorem ejus audivit, & descendit, ut liberaret eos de manibus Ægyptiorum :. & educens illos de ergastulo Ægyptiorum, eruit populum de servitute, ac redemit in brachio excelso, & judiciis magnis: & dux fuit in misericordia populo, quem redemit. Ita etiã, si nos clamaverimus ad Dominum, cùm tribulamur, de necessitatibus nostris eruet nos, & propitiùs erit peccatis nostris propter nomen suum. Tribu-

(m) *Psal.144. v.18. & 19.*

(n) *Psalm.146. v.2. & 3. & 4.*

(o) *Psal.103. v.24. & 27. & 28.*

(p) *Psalm.39.v.3.*

(q) *Psalm.87. v.2. & 3. & 4.*

(r) *Lucæ, c.18. v.1.*

(s) *Matthæi, cap.26. vers.41.*

(t) *Exodi, c.6. v.5.*

(u) *Exodi, c.3. v.7. & 8.*

(v) *Exodi, c.6. v.6.*

bulant nos peccata, quæ responderunt nobis,
(x) *Exodi,c.15.v.13.* dum digna factis recipimus: & meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum Jesum Christum, Deum [scilicet, hominem propter nos factum] videntes angustiam animæ
(y) *Psalm.106. v.6.* illius: idcircò venit super nos ista tribulatio: quia, quamvìs Deus sit præstabilis super malitia, quando bonitas suæ infinitæ misericordiæ
(z) *Psalm.78. v.9.* excedit perversitatem nostræ malitiæ, etiam maximæ; quamvìs etiam pius, & misericors sit, & dicatur verè, quòd, cùm iratus fuerit,
(aa) *Isai.c.59.v.12.* misericordiæ recordabitur: tamen, ut convertamur in ærumna nostra, dum configitur spina: ut etiam tribulatio, & angustia inveniant nos
(bb) *Lucæ, cap.23. vers.41.* per peccata nostra perditos, & saltem, quando experimur, quòd maximè egemus, sicut ille filius prodigus, in nos revertamur: ut hæc omnia, inquam, in felicissima, ac valde proficua nostra
(cc) *Genes. cap.42. vers.21.* conversione nobis eveniant, sagittæ Domini in nobis sunt, quarum indignatio ebibit spiritum cuiuslibet nostrûm, & Deus ipse propter iniquitates immittit pœnas, tum ægritudinis, tum
(dd) *Ioel,c.2. v.13.* paupertatis, tum infamiæ, vel famæ, & honoris diminutionis, ac jacturæ: fiunt viæ nostræ tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini persequens nos: sunt etiam in nobis immissiones
(ee) *Habacuc, cap.3. vers.2.* per angelos malos (dum è contrà evenit justis, quòd immittit Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos] circumdant nos bella, recedunt necessariæ pluviæ, appropin-
(ff) *Psalm.31.v.4.* quant mortales pestilentiæ, minantur mortes repentinæ, terra motibus insolitis quatitur, vortices marini aperiuntur, alluvionibus, & incre-
(gg) *Ps.118.v.143.* mentis nocivis fluminum ferè omnia perduntur, ac pessumdantur. Ideò, ut de istis, & similibus nos Deus eripiat, precamur: & oramus, ut preces nostras clementer exaudiat, volentes,

ut

ut faveat nobis benignè qui nos punit adeo justè. Petimus clementer exaudiri: ut qui nos exaudierit clementer, apponat remedium misericorditer. Si aurem benignam protinus intendat nostris vocibus, à cunctis tribulationibus, & miseriis eripiemur. Si voce nostra ad Dominum clamaverimus, credimus, quòd intendet nobis: ideo clamemus, & multiplicemus preces coram Domino, ut dignetur preces nostras clementer exaudire, & nos de necessitatibus nostris eruere. Videbit humilitatem nostram, & laborem nostrum, & dimittet universa delicta nostra: salvabit de necessitatibus animas nostras: custodiet animas nostras, & eruet nos: non erubescemus, quia speravimus in eo. Utinam preces nostras Dominus Deus noster clementer exaudiat, nè fiant nostra vota irrita, neque ulla nostra postulatio vacua. Supplices petimus clementer attendi, ut benignè consequamur à Deo nostro tractari, ipsiusque dulci pietate foveri. Petimus, in clementi exauditione, Domini miserationibus frui, ut quælibet possimus bona de manu sua sperare. Petentes speramus, sperantes petimus, ut fiat nostra postulatio proficua, siquidem cum spe preces effundimus, & orationem multiplicantes, spem nostram in Deo collocamus, ut quod exaudierit benignitas, expediat magnifica pietas: & habeat supplex petitio exauditionem, & pietatem Dei pro præmio. Faxit Deus, ut ipse, qui omne debitum remisit servo, quoniam rogavit eum, rogantibus nobis illum, dimissis nostris debitis, exaudiat supplicum preces, & confitentium sibi parcat peccatis, nè ab istis dominatione iniqua oppressi, rebus defraudemur petitis. Optat hodie nostra Mater Ecclesia, ut Deus extendat manum ad nos defendendum; ideò orationem ho-

(hh) *Lucæ, cap.* 15. *vers.* 14. & 17.

(ii) *Iob, c.* 6. *v.* 4.

(jj) *Psalm.* 34. *v.* 6.

(kk) *Psalm.* 77. *v.* 49.

(ll) *Psalm.* 33. *v.* 8.

(mm) *Psal.* 76. *v.* 2.

(nn) *Psal.* 24. *v.* 17. & 18.

(oo) *Psalm.* 30. *v.* 8.

(pp) *Psal.* 24. *v.* 20.

(qq) *Matthæi, c.* 18. *vers.* 32.

hodierni Officii prosequens, ait: Et contra cuncta nobis adversantia dexteram tuæ majestatis extende. Illam dexteram implorat, quæ fecit virtutem, illam dexteram Domini, quæ exaltavit nos, quamvis illi exaltationi fæda responderimus ingratitudine, de qua queritur ipse Deus, qui dicit; Filios enutrivi, & exaltavi: ipsi autem spreverunt me. Alia Versio legit: Filios enutrivi, & exaltavi; ipsi autem defecerunt à me. Alia insuper habet hæc; Filios enutrivi, & exaltavi; ipsi autem conjuraverunt in me. In oratione hac de dextera Majestatis illius loquimur, de qua dicitur divina majestate, quòd majestas Domini implevit Templum Domini: de qua etiam dicitur: Benedictum nomen majestatis ejus in æternum: & replebitur majestate ejus omnis terra: &; Deus majestatis intonuit; ac etiam; Dominus omnium tu es, nec est, qui resistat majestati tuæ. Per hanc igitur majestatem, & per hujusce majestatis dexteram petimus liberari, & defendi, qui graviter ex multis causis invenimur afflicti. Petimus, quòd Deus manum extendat, ut largiter nobis subveniat, & benignissimè faveat. Quærimus extensionem frequentem, qui desideramus propitiationem multiplicem. Contra cuncta nobis adversantia desideramus per extensionem dexteræ Dei remedium, qui patimur multiformiter pœnam peccatorum nostrorum. Cuncta nobis adversantur, & juxta Sanctum Gregorium Magnum, qui in cunctis deliquimus, in cunctis ferimur, qui a multiplicantur supplicia, ubi agglomerantur scelera. Ideò quærimus extensione dexteræ Divinæ majestatis, defendi, ut ubi augentur ictus, adaugeantur etiam Dei auxiliorum succursus, & veniant isti nobis à Divina misericordia, quando verberibus nos punit ejus severa justitia: quia per-

(rr) *In Littaniis, Orat. secunda.*

(ss) *Psal. 117. v. 16.*

(tt) *Isai. cap. 1. v. 2.*

(uu) *Apud Michaelem Roman. in lib. Expedit. spiritual. Societ. Iesu.*

(vv) *2. Paralipomen. c. 7. v. 2.*

(xx) *Psalm. 71. v. 19.*

(yy) *Psalm. 28. v. 3.*

(zz) *Esther, cap. 13. vers. 11.*

(aaa) *Homil. 35. in Evangelia.*

pervenit præ altitudine usque ad cœlos misericordia Dei, qua plena est terra, quamvis justitia Domini sit ut montes Dei, & judicia illius abyssus multa: ideoque quantum cœli excedunt montes in elevatione, ac terra superat abyssum cum sua profunditate in terræ ipsius elevata superficie, tantùm excedit opus Divinæ misericordiæ, quæ nos liberat, illa exercitia Divinæ justitiæ, quibus nos toties flagellat: quia, cùm suavis sit Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus, debemus credere, quòd ille, qui Omnipotentiam suam parcendo maximè, & miserando manifestat, vincet iram misericordia. Sed heu! Nos, ut Sanctus Augustinus ait, si Deus feriat, clamamus, ut parcat; si pepercerit, iterùm provocamus, ut feriat. Quamvis Ecclesia à pœnis, quæ pro peccatis nostris meremur, nos eripi optat, Deo dicens: Et contra cuncta nobis adversantia dexteram tuæ majestatis extende; principaliter tamen intendit, nos à peccato liberari per extensionem dexteræ majestatis Divinæ: nam certum est, quòd nulla nobis nocebit adversitas, si nulla nobis dominetur iniquitas. Adversatur nobis peccatum magis, quàm Amalec, qui restitit populo Israelitico in via ad terram promissionis: curemus, quòd Amalec percutiatur, & demoliantur universa ejus. Adversatur peccatum, ut claudat ad cœlum viam, & nos in infernum demergat: adversatur superbia, ut nos attollendo destruat: adversatur luxuria, ut nociva voluptate detineat, simulque Deum, animam, vitam, famam, opesque à nobis auferat: adversatur avaritia, ut pulvere terræ cæcos faciat: adversantur præsumptio, quæ officit, & desperatio, quæ dejicit, & confundit. Etiam adversantur pravi habitus, & consuetudines peccandi,

(bbb) *Psal.* 35. *v.* 6. *& Psalm.* 88. *v.* 3. *& Psalm.* 107. *v.* 5. *& Psalm.* 118. *v.* 64.

(ccc) *Psalm.* 35. *v.* 7.

(ddd) *Psal.* 144. *v.* 9.


(eee) *In Oratione Dominicæ* 10. *post Pentecost.*

(fff) *In Littaniis, Oratione tertia.*

di, quæ nos faciunt in laqueis mundi, carnis, ac diaboli irretitos: pessima insuper adversantur exempla malorum sociorum, quæ nos insensibiliter ad omnia vitia perducunt, nobisque gehennam aperiunt, ac sæpiùs in æternos flammarum globos detrudunt, quando falsi amici nos volunt efficere in facinoribus participes, & in abominationibus complices. Utinam extendat Deus dexteram suæ majestatis contra cuncta nobis adversantia, ut nos nostræ salutis æternæ soliciti, gratiæ Dei cooperantes, & peccata antiqua, & nova per veram pœnitentiam destruentes, ex toto corde nostro contriti, auferamus Baalim, & Astaroth, & serviamus Domino soli.

(ggg) *Oration. super populum, & pro Vesperis Fer. 6. post Cineres.*

(hhh) *Exodi, cap. 17. vers. 8. & 1. Regum, c. 15. v. 2. & 3.*



§. Sc.

§. Secundus.

Pro Feria sexta Quatuor Temporum Quadragesimæ.

ORATIO.

Esto, Domine, propitius plebi tuæ: & quam tibi facis esse devotam, benigno refove miseratus auxilio. Per Dominum nostrum Jesum-Christum, &c.

Explicatio ejus.



SI conversus Deus vivificaverit nos, plebs ejus lætabitur in illo, qui est (a) lumen ad revelationem Gentium, & gloriam plebis suæ Israel. Utinam vota supplicantis populi Deus cœ-(b) lesti pietate prosequatur, ut & quæ agenda sunt videant, & ad implenda, quæ viderint, convalescant: ac, ut plebs Domini nostri & sua (c) vota depromat, & desiderata percipiat. Hoc optans hodie Sancta Catholica Ecclesia, dicit Deo: Esto, Domine, propitius plebi tuæ: & quam tibi facis esse devotam, benigno refove miseratus auxilio. Deus, qui propter nomen suum propitiabitur peccato nostro, multum (d) est enim: ille, qui propitiatur omnibus iniquitatibus nostris, qui sanat omnes infirmitates nostras: qui redimit de interitu vitas nostras, qui coronat nos in misericordia, & miserationibus,

(a) *Psalm. 84. v. 7.*

(b) *Lucæ, c. 2. v. 32.*

(c) *In Oratione Officii, & Missæ Dominicæ infra Oct. Epiphan.*

(d) *In Oratione secreta Missæ Vigiliarum Apostol. ut in Communi Sanctor.*

ac

ac etiam qui replet in bonis desiderium nostrum: ipse ille, inquam, Deus oratur hodie ab
(e) *Psalm.* 24. *v.* 11. Ecclesia, ut sit propitius plebi suæ. Certum est, quòd honor regis judicium diligit, sed diligit misericordiam, & judicium Deus: ideo miseri-
(f) *Psalm.* 102. *v.* 3. *&* 4. *&* 5. cordia ejus plena est terra: ideo etiam beata gens, cujus est Dominus Deus ejus, populus, quem elegit in hæreditatem sibi, quando respexit de cœlo Dominus, vidit omnes filios homi-
(g) *Psalm.* 98. *v.* 4. num, de præparato habitaculo suo respexit super omnes, qui habitant terram: qui finxit singillatim corda eorum, qui intelligit omnia ope-
(h) *Psalm.* 32. *v.* 5. *&* 12. *&* 13. *&* 14. *&* 15. *&* 18. *&* 19. *&* 20. *&* 21. ra eorum: & oculi Domini super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia ejus, ut eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame. Anima nostra sustinet Dominum, quoniam adjutor, & protector noster est. Quia in eo lætabitur cor nostrum, & in nomine sancto
(i) *Deuteronom. c.* 4. *vers.* 7. ejus speravimus. Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Invocabimus, & Dominus exaudiet: cla-
(j) *Isaiæ, c.* 58. *v.* 9. mabimus, & dicet: Ecce adsum, ille qui in terris visus est, & cum hominibus conversatus est: qui etiam promisit, nobiscum se futurum usque ad consummationem sæculi. Antiqui-
(k) *Baruch, c.* 3. *v.* 38. tùs bonos Israelitas exaudiebat Deus: & propitius fuit eis, qui custodiebant testimonia ejus, & præceptum, quod dedit illis. Volumus,
(l) *Matthæi, cap.* 28. *vers.* 20. quòd Deus sit propitius plebi suæ in statu felicissimo Legis Gratiæ: quia Pater Christi diliget eum, qui sermonem Divini Redemptoris servaverit: & Pater, & Filius ad eum venient, &
(m) *Psalm.* 98. *v.* 8. *& in eodem Psalm. vers.* 7. mansionem apud eum facient. Non repellet Dominus plebem suam: sed procidamus: & ploremus ante Dominum, qui fecit nos. Ante eum utique, quia ipse est Dominus Deus noster: nos au-

autem populus ejus, & oves paſcuæ ejus: ac etiam nolimus obdurare corda noſtra, hodie ſi vocem Domini audierimus. Oves vocem paſtoris audiunt, & proprias oves vocat nominatim, & educit eas. Et cùm proprias oves emiſerit, ante eas vadit, & oves illum ſequuntur, quia ſciunt vocem ejus. Ecce quomodò paſtor eſt propitius ovibus: ſed ecce quomodò oves audiunt vocem paſtoris, nè demereantur propitiationem ejus, & ut fungantur beneficiis illius. Eò paſtor magìs exercet propitiationem ad bonum ovilis, quantò meliùs reſpondent oves vocibus, & ſibilis paſtoris. Si non obedirent audientes, non experirentur beneficium ipſum lætantes. Perfunduntur oves lætitia præ paſtoris propitiabili patrocinio; ſed illius mancipantur obedientiæ, & obſequio: attendunt ad præcipientem, vocantem, & dirigentem, ut lucrentur propitiantem: non recedunt ab ejus voluntate, nè careant ipſius propitiatione. Sed poſtquàm rogavit Eccleſia Dominum noſtrum, eſſe plebi ſuæ propitium, ulteriùs in deprecatione progreditur, & ad novam ſupplicationem dilatatur. Dicit ergo conſequenter: Et quam tibi facis eſſe devotam, benigno refove miſeratus auxilio. Aliud ſupponendo affirmat, & aliud depoſcendo peroptat. Supponit, devotionem populi à Deo provenire; & petit, ipſum populum benigno auxilio miſericorditer refoveri. Volebat Deus antiquitùs, quòd Nazaræus, juxtà, quod mente devoverat, ita faceret ad perfectionem ſanctificationis ſuæ. Accidit etiam, quòd egreſſa omnis multitudo filiorum Iſrael de conſpectu Moyſi, obtulerint mente devota, atque promptiſſima primitias Domino ad faciendum opus tabernaculi teſtimonii. Similiter omnes viri, & mulieres mente devota obtule-

(n) *Ioan. c. 14. v. 23.*

(o) *Pſalm. 94. v. 6. & 8.*

(p) *Ioan. c. 10. v. 3. & 4.*

(q) *Numeror. c. 6. verſ. 21.*

(r) *Exodi, c. 35. v. 21. & 29.*

(s) *Ad Philippenſ. c. 2. v. 13.*

(t) *Pſalm. 3. verſ. 9.*

(u) *Pſalm. 120. v. 1. & 2.*

(v) *Pſalm. 61. v. 8.*

runt donaria, ut fierent opera, quæ jusserat Dominus per manum Moysi. Cuncti filii Israel voluntaria Domino dedicaverunt. Sub Ezechia quoque Rege Juda, obtulit universa multitudo hostias, & laudes, & holocausta mente devota. Sed talem devotionem neque Nazaræi, neque alii filii Israel umquàm habuissent, nisi à Domino factum fuisset, plebem suam ipsi Deo esse devotam. Deus fecit, illos esse devotos, quos volebat facere salvos: itaque provenit semper devotio ab eodem illo, à quo nostra procedit salvatio, utpote qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate. Domini est salus, & super populum suum benedictio sua. Benedicit populo suo, super eum benedictionem infundens, vel etiam juvans, ut plebs Dei, ab eo gratiæ collatæ cooperans, & ad ejus obedientiam liberum arbitrium inclinans, & devota permaneat, & secura consistat: ut sic Dei populus salvationem possit recipere à Domino, cujus est salus, & qui solus potest salvare. Supposito igitur, quòd Deus per suam infinitam misericordiam fecit, & quotidie facit, esse Creatori, ac Redemptori suo plebem Christianam devotam, petimus à Domino nostro Æterno Patre per ejus Sacratissimum Filium, benigno auxilio refoveri, Divina miseratione ab eodem Deo Patre proveniente. Levemus itaque oculos nostros in montes, unde veniet auxilium nobis: auxilium nostrum à Domiuo, qui fecit cœlum, & terram: ipse est Deus auxilii nostri, & spes nostra in ipso est, à quo debemus petere, ut det nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis. In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos. Itaque beatus vir, cujus est auxilium abs Domino. Utinam Deus nè elongaverit auxilium suum à no-

(x) *Psalm.59. v.13. & 14.*

(y) *Psalm.83. v.6.*

(z) *Psalm.21. v.20. & 26. & 28.*

(aa) *Psalm.90. v.5.*

(bb) *Psalm.5. v.13.*

(cc) *Lucæ, cap.24. vers.32.*

nobis: ipse ad defensionem nostram conspiciat: & ita erit apud ipsum laus nostra in Ecclesia magna: vota nostra reddemus in conspectu timentium eum. Reminiscentur, & convertentur ad Dominum universi fines terræ: & adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium. Benigno auxilio à Deo quærimus refoveri, hoc est protegi, circumdari, & quodammodò calefieri: quia auxilium benignum, quo Deus plebem suam miseratus refovet, eam defendit, dum sustinet, nè cadat; munit, ne umquam deficiat: hoc ipsum auxilium benignum est scutum, quo veritas Dei circumdat, quando scuto bonæ voluntatis suæ coronat nos, ut nobis multiformiter faveat: benignum denique auxilium etiam calefacit, quando Deus misericorditer illo plebem suam refovet. Ita non tepescemus, immò cor nostrum ardens erit in nobis, dum loquetur in via Deus noster beneficiis, & mirabilibus operibus non minùs, quàm inspiratione, & vocibus, quando, ut dicit Sanctus Gregorius Magnus, in præsenti vita, quasi in via sumus, qua ad Patriam pergimus. Non lędet nobis ergo frigus noctis sæculi hujus, non offendent ad lapides scandali pedes nostri; & non timebimus à timore nocturno, habitantes in adjutorio Altissimi. Oramus, ut miseratus Dominus, plebem suam benigno auxilio refoveat, qui secundum suam misericordiam misertus est nostri. Erigenda est ad Deum major intentio, ait Sanctus Augustinus. Erigamus ad Deum intentionem majorem quotidie, ut sic moveatur piissimus Dominus ad refovendam benigno auxilio miseratus plebem Christianam, ille, inquam, Deus, qui non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.

(dd) *Homil.* 11. *in Evangel.*

(ee) *Psalm.* 90. *v.* 12. *& in eodem Ps. v.* 5. *& item ibi, v.* 1.

(ff) *Tract.* 67. *in Ioan.*

(gg) *Ad Titum, c.* 3. *vers.* 5.

§. Tertius.

Pro Sabbato Quatuor Temporum Quadragesimæ.

ORATIO,

POpulum tuum, quæsumus Domine, propitius respice: atque ab eo flagella tuæ iracundiæ clementer averte. Per Dominum nostrum Jesum-Christum, &c.

Explicatio ejus.

(a) *Psalm.* 55. *v.* 8. & 13.

(b) 1. *ad Corinth. c.* 6. *vers.* 11.

(c) *Psalm.* 119. *v.* 4.

(d) *Ad Ephes. cap.* 2. *vers.* 3.

(e) *Tract.* 44. *in Jo an. circa initium.*



Eus in ira populos confringet. Sed ipse eripuit animas nostras de morte,& pedes nostros de lapsu; ut placeamus coram Deo in lumine viventium; si Sancta Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ benè,ac ritè accepimus,& per ea abluti sumus,& sanctificati sumus.Utique sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis, quia natura eramus filii iræ sicut & ceteri: & ut explicat S. Augustinus, si filii iræ, filii vindictæ, filii pœnæ, filii gehennæ, dum omnes in Adam peccavimus: tamen Dominus inclinavit aurem suam nobis: itaque in diebus nostris invocabimus. Dedit Deus metuentibus illum significationem, ut fugiant à facie arcus: ut liberentur dilecti ejus. Sagittæ Domini acutæ: populi sub eo cadent. Saltem timore pœnarum, quas Deus se offendentibus infligit, procidamus: & ploremus ante Dominum, qui fecit

cit nos: flectamus iram vindicem, ploremus ante Judicem: clamemus ore supplici: dicamus omnes cernui, in Oratione hodierna edocti ab Ecclesia Catholica: Populum tuum, quæsumus Domine, propitius respice: atque ab eo flagella tuæ iracundiæ clementer averte. Optat Ecclesia, ut Deus populum suum non respiciat iratus, sed propitius. Supponit, quòd iratus est furor Dei super oves pascuæ suæ, & vult ipsum precibus propitium reddere: &, quòd desinat ab ira, & derelinquat furorem: nè in furore suo arguat nos, neque in ira sua corripiat nos, qui respiciens super castra Ægyptiorum, subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum, & involvit eos in mediis fluctibus; quia misericordia, & ira ab illo citò proximant: & in peccatores respicit ira illius. Petimus ergo, ut Deus desinens irasci, desinat etiam populo suo flagella iracundiæ suæ infligere. Verum est, quòd Deus aspexit, & dissolvit gentes, & contriti sunt montes sæculi: certum verò est etiam, quòd, cùm iratus fuerit, misericordiæ recordabitur: & ipse est, qui propitius respiciet in nos, & miserebitur nobis: respiciet, & exaudiet nos Dominus Deus noster. En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos, ut convertat nos Deus salutaris noster, & avertat iram suam à nobis. Scit ad adjuvandum nos respicere. Itaque exultent, & lætentur in eo omnes quærentes eum. Exaudiet nos Dominus, quoniam benigna est misericordia sua: secundum multitudinem miserationum suarum respiciet in nos. Hac spe concita Ecclesia orat Deum nostrum, ut propitius respiciat populum suum, ac etiam ipsum rogat, ut à ab eodem populo flagella suæ iracundiæ clementer avertat. Nos Deum ad iracundiam

(f) *Ad Roman. c. 5. vers. 12.*

(g) *Psalm. 114. v. 2.*

(h) *Psalm. 59. v. 6. & 7.*

(i) *Psalm. 44. v. 6.*

(j) *Psalm. 94. v. 6.*

(k) *Ecclesia in Hymno Matutini quatuor priorum Dominicarum Quadrages. vers. 5.*

(l) *Psalm. 73. v. 1.*

(m) *Psalm. 36. v. 8.*

(n) *Psalm. 6. vers. 2.*

diam provocamus: & ipse dicit: Si me ad iracundiam provocaveritis, gladiùs devorabit vos. Juxta Prophetam Oseam, perire meretur Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum. Obliti sumus Deum, qui nutrivit nos, & contristavimus nutricem nostram Jerusalem. Hæc est Ecclesia, alia utique Rachel plorans filios suos: & noluit consolari, quia non sunt. Peccatorum mors invisibilis non plangitur, quia non videtur, ut notat Sanctus Doctor Augustinus. Sed Jerusalem Ecclesia videt iracundiam à Deo venientem nobis, & dicit: Audite confines Sion: adduxit enim mihi Deus luctum magnum: vidi enim captivitatem populi mei, filiorum meorum, & filiarum, quam superduxit illis æternus. Nutrivi enim illos cum jucunditate: dimisi autem illos cum fletu, & luctu. Nemo gaudeat super me viduam, & desolatam: à multis derelicta sum propter peccata filiorum meorum, quia declinaverunt à lege Dei. Justitias autem ipsius nescierunt, nec ambulaverunt per vias mandatorum Dei, neque per semitas veritatis ejus cum justitia ingressi sunt. Ego autem quid possum adjuvare vos? Qui enim adduxit super vos mala, ipse vos eripiet de manibus inimicorum vestrorum. Ambulate filii, ambulate: ego enim derelicta sum sola. Exui me stola pacis, indui autem me sacco obsecrationis, & clamabo ad Altissimum in diebus meis. Animæquiores estote, filii, clamate ad Dominum, & eripiet vos de manu principum inimicorum. Ego enim speravi in æternum salutem vestram: & venit mihi gaudium à Sancto super misericordia, quæ veniet vobis ab æterno salutari nostro. Emisi enim vos cum luctu, & ploratu: reducet autem vos mihi Dominus cum gaudio, & jucunditate in sem-

(o) *Exodi, c.14.v.24. & 25. & 27.*

(p) *Eccli. c.5.v.7.*

(q) *Habacuc, cap.3. vers.6. & in eodem cap. vers.2.*

(r) *Psalm.24.v.16.*

(s) *Psalm.12.v.4.*

(t) *Canticor.c.2.v.9.*

(u) *Psalm.84.v.5.*

(v) *Psalm.39.v.14. & 17.*

(x) *Psalm.68.v.17.*

(y) *Isai. c.1.v.20.*

ſempiternum. Filii, patienter ſuſtinete iram, quæ ſuperveniet vobis. Animæquiores eſtote filii, & proclamate ad Dominum: erit enim memoria veſtra ab eo, qui duxit vos. Sicut enim fuit ſenſus veſter, ut erraretis à Deo, decies tantum iterùm convertentes requiretis eum. Qui enim induxit vobis mala, ipſe rursùm adducet vobis ſempiternam jucunditatem cum ſalute veſtra. Ex Propheta Baruch ſumpta ſunt verba iſta: ex quibus clarè infertur [quando dicitur, Jeruſalem Eccleſiam à multis derelictam eſſe propter peccata filiorum ſuorum] quòd, ut ait S. Joannes Chryſoſtomus, illi filii Eccleſiæ, qui in peccatis vivunt, & verſantur, dum traditi iniquitatibus, maximè ſcandaloſis, degunt, ſunt in cauſa, cur infideles non convertantur. Jugiter tota die nomen Dei blaſphematur, & filii Eccleſiæ peccantes coram Gentibus, Mauris, Judæis, & Hæreticis, facientes quæ non decet, & pudet vel dicere, blaſphemare facimus inimicos Domini. Vident in nobis Chriſtianis ſcelera; ideo Fidem non amplectuntur, & blaſphemantes contra Deum, & ejus legem immaculatam convertentem animas, miſeri æternaliter damnantur. Reſtat, & expedit, ùt pecatis mortui, juſtitiæ vivamus, & in omnibus nos ipſos præbeamus exempla bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum ſanum, irreprehenſibile: ut is, qui ex adverſo eſt, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. Sed ecce, quomodò Eccleſia Catholica Romana in prædictis verbis ſub metaphora Jeruſalem, ſuos filios, & deplorat, videns iracundiam Dei ſuper ipſos venientem, & hortatur pœnitentiam agere, illos juvans, pro eis rogare promittens, quos ſimul erigit, ut in Deo ſperent, dum etiam eiſdem ſpondet con-

ſo-

(z) *Oſeæ, cap.* 14. *v.* 1.

(aa) *Baruch, c.* 4. *v.* 8.

(bb) *Matthæi, c.* 2. *verſ.* 18.

(cc) *Serm.* 44. *de Verbis Domini circa initium.*

(dd) *Baruch, cap.* 4. *à v.* 9. *uſque ad* 14. *incluſivè, & in eod. cap. à verſ.* 17. *uſque ad* 23. *incluſivè, & ibidem v.* 25. *&* 27. *&* 28. *&* 29.

(ee) *Iſaiæ, c.* 52. *v.* 5.

(ff) 2. *Regum, c.* 12. *verſ.* 14.

solationem. Ut vera Mater, non cessat Ecclesia plangere: & accuratissimè solicitat suos filios liberare à flagellis iracundiæ Divinæ. Ideo de-
(gg) *Psalm.* 13. *v.* 8. siderans, quòd Deus populum suum, & ab iracundiæ suæ terroribus liberum, & misericordiæ suæ faciat largitate securum, orat nostrum
(hh) 1. *Petri, cap.* 2. *vers.* 24. Dominum consequenter ad dicta, dum ait enixè: Atque ab eo flagella tuæ iracundiæ clementer averte. Quò fugiam à Deo irato, nisi ad Deum placatum? dicebat Sanctus Augustinus.
(ii) *Ad Titum, c.* 2. *vers.* 7. & 8. Quis nisi Deus, nos verè à Deo potest liberare? Quis meliùs, quàm ipse, valet à nobis flagella iracundiæ suæ avertere? Adeamus igitur pœnitentes cum fiducia ad Divinam misericordiam, Dei timentes justitiam: & ut hanc fugiamus,
(jj) *Ecclesia in Oratione post Communionem Missæ tempore pestis.* illam suppliciter imploremus. Bonum est, quòd nos in flagella parati simus, & dolor noster in conspectu nostro sit semper. Multa flagella peccatoris, sperantem autem in Domino misericordia circumdabit. Væ illis iniquis, qui in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, & ideo tenuit eos superbia,
(kk) *Psalm.* 37. *v.* 18. operti sunt iniquitate, & impietate sua. Hi miseri non flagellantur in hoc sæculo, ubi flagella finiuntur, sed in futuro, in quo numquàm terminantur. Si flagellis suis Deus nos cinxerit, ideo est, quia qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, ut lætetur in novissimo suo; quem
(ll) *Psalm.* 31. *v.* 10. enim diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit: in disciplina perseveremus, ut docet S. Paulus Apostolus: qui etiam ait: Tamquàm filiis vobis offert se Deus:
(mm) *Psal.* 72. *v.* 5. & 6. quis enim filius, quem non corripit pater? Quòd si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes: ergo adulteri, & non filii estis. Deinde patres quidem carnis nostræ, eruditores habuimus, & reverebamur eos: non multò magis

gis

gis obtemperabimus Patri spirituum, & vivemus? Et illi quidem in tempore paucorum dierum, secundùm voluntatem suam erudiebant nos: hic autem ad id, quod utile est in recipiendo sanctificationem ejus. Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris: posteà autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ. Propter quod remissas manus, & soluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris: ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur. Itaque regnum immobile suscipientes, habemus gratiam: per quam serviamus placentes Deo, cum metu, & reverentia. Etenim Deus noster ignis consumens est. Hucusque locutus est Sanctus Paulus. Quid potest addi? cùm hoc abundè sufficiat, ut agnoscamus misericordiam Divinæ iracundiæ, & utilitatem flagella humili resignatione, & patientia tolerandi. Tamen Ecclesia orat, ut à nobis Deus flagella suæ iracundiæ clementer avertat. Castigavit nos Dominus, & eruditi sumus, quasi juvenculus indomitus, qui anteà, malis operibus nostris, confregimus jugum Dei, rupimus vincula illius, & diximus: Non serviemus. Sed postquam convertit nos Deus, agamus pœnitentiam: & cessabunt verbera, si non iterentur crimina. Faxit Deus flagella suæ iracundiæ à nobis clementer avertere; sed faxit potiùs clementer non permittere, nos ampliùs peccare: quia, ut dicebat Sanctus Joannes Chrysostomus, Magnus dæmon peccatum est: & acerbius est Deum offendere, quàm gehennæ incendiis tradi. Rogemus ergo [nè Deum offendentes malum omnium malorum maximum, nempe peccatum mortale, incurramus, & ob illud in æternitate flagellemur] ut non tradat Deus bestiis

(nn) *Iob, cap. 19. v. 6.*

(oo) *Eccli. c. 30. v. 1.*

(pp) *Ad Hæbræos, c. 12. v. 6. & 7. & 8. & 9. & 10. & 11. & 12. & 13. & 28. & 29.*

(qq) *Ieremiæ, c. 31. vers. 18.*

(rr) *Ierem. c. 2. v. 20*

(ss) *Ierem. c. 31. v. 19.*

(tt) *Psalm. 73. v. 19.*

[peccato, & diabolo] animas confitentes sibi: & animas pauperum suorum non obliviscatur in finem.

SECTIO II.

Habet explanatas tres Orationes Officii, quæ primo loco dicuntur in Missis dierum Temporum Pentecostes, seu Temporis Æstivalis.

§. Primus.

Pro Feria Quarta Quatuor Temporum Pentecostes.

ORATIO.

M*Entes nostras, quæsumus Domine, Paraclitus, qui à te procedit, illuminet, & inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem. Qui tecum, &c. in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, &c.*

Explicatio ejus.



(a) *Ioann. c.* 14. *v.* 16.

(b) *Ad Roman. c.* 8. *v.* 14. & 15. & 16. & 17.

ROGAVIT Christus Filius Dei suum Patrem, & alium Paraclitum dedit nobis, ut maneret nobiscum in æternum, spiritum veritatis. De hoc Sancto Spiritu Paraclito loquitur hodie Ecclesia, dum orans Æternum Patrem dicit: Mentes nostras, quæsumus Domine,

ne, Paraclitus, qui à te procedit, illuminet, & inducat in omnem, ficut tuus promifit Filius, veritatem. Dedit nobis Pater Æternus Spiritum Sanctum, & quicumque Spiritu Dei aguntur, hi funt filii Dei: non enim accepimus iterùm fpiritum fervitutis, fed accepimus Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba [Pater]. Ipfe enim Spiritus teftimonium reddit fpiritui noftro, quòd fumus filii Dei: fi autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chrifti. Utinam Deus, qui illum dedit, Spiritum Sanctum fuum non auferat à nobis, quando aufert fpiritum Principum, terribilis apud reges terræ. Timeamus, nè fimus, ficut generatio prava, & exafperans; generatio, quę non direxit cor fuum: & non eft creditus cum Deo fpiritus ejus. Non cuftodierunt teftamentum Dei, & in lege ejus noluerunt ambulare. Et obliti funt benefactorum ejus, & mirabilium ejus, quæ oftendit eis. Sentiamus de Domino in bonitate, & in fimplicitate cordis quæramus illum. Spiritus enim Sanctus difciplinæ effugiet fictum, & auferet fe à cogitationibus, quæ funt fine intellectu. Benignus eft enim Spiritus fapientiæ, & non liberabit maledicum à labiis fuis: quoniam renum illius teftis eft Deus, & cordis illius fcrutator eft verus. Rogemus Deum, ut cor mundum creet in nobis, & fpiritum rectum innovet in vifceribus noftris: etiam, ut reddat nobis lætitiam falutaris fui, & Spiritu principali confirmet nos: ac, ut requiefcat fuper nos Spiritus Domini, fpiritus fapientiæ, & intellectus, fpiritus confilii, & fortitudinis, fpiritus fcientiæ, & pietatis, & repleat nos fpiritus timoris Domini. Defiderat ergo Ecclefia, quòd Paraclitus, qui à Patre procedit, mentes noftras illuminet. Utique Paraclitus, qui à Pa-

(c) *Pfalm.50.v.13.*

(d) *Pfalm.75.v.13.*

(e) *Pfalm.77.v.8. & 10. & 11.*

(f) *Sapientiæ, cap.1. verf.1. & 5. & 6.*

(g) *Pfalm.50.v.12. & 14.*

(h) *Ifai.cap.11.v.2. & 3.*

(i) *In Symbolo Nifcano Miffæ.*

(j) *Pfalm.75.v.5.*

(k) *1. Machabæor. c.6.v.39.*

(l) *Pfalm.107.v.14.*

à Patre procedit, procedit etiam à Filio. Procedit ab utroque Dominus, & vivificans Paraclitus: & oramus, ut illuminet mentes nostras iste vivificans Dominus. Ipse est illuminans à montibus æternis. Ipse etiam est verus sol, qui refulget in clypeos aureos, & aereos, ut resplendeant montes ab eis, ac ita fortitudo gentium dissipetur: quia ille ad nihilum deducet inimicos nostros, si nos ejus illuminationem, qua illuminavit viros sanctos, acceperimus, & cum ea resplenduerimus, facti montes in circuitu ejus, ut sit Dominus in circuitu populi sui ex hoc nunc, & usque in sæculum. Quale gaudium nobis erit, si in tenebris sederimus, & lumen cœli non viderimus? si non attenderimus, inquam, ad lumen, quod effundit, & diffundit Sol Divinus Paraclitus noster Deus, & Dominus? Cęcum est genus humanum, quod in parente primo à paradisi gaudiis expulsum, claritatem supernæ lucis ignorans, damnationis suæ tenebras patitur, ait Magnus Doctor Sanctus Papa Gregorius. Secundum mentem omnis homo cęcus natus est, dicit Sanctus Augustinus, qui etiam ait: Festinent ad lavacrum qui lumen inquirunt. Dominus illuminat cęcos: & Dominus est Spiritus Sanctus, in quem credimus, ut in Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit: qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur. Iste Dominus illuminabit oculos nostros, nè umquam obdormiamus in morte: nequando dicant inimici nostri: Prævaluimus adversus eos. Ipse faciem suam illuminabit super servos suos: & quia benedictus est Dominus, docebit nos justificationes suas, & in labiis nostris pronuntiabimus omnia judicia oris sui. Deus noster est, qui illuminabit tenebras nostras, cùm præceptum Domini sit lucidum illu-

(m) *Psalm. 124. v. 2.*
(n) *Tobiæ, c. 5. v. 12.*
(o) *Homil. 2. in Evangel.*
(p) *Tractat. 44. in Ioann. circà init.*
(q) *Psalm. 145. v. 8.*
(r) *In Symbolo Nicæno Missæ.*
(s) *Psalm. 12. v. 3. & 4.*
(t) *Psal. 118. v. 135. & in eodem Psalm. versf. 12. & 13.*
(u) *Psalm. 17. v. 29.*
(y) *Psalm. 18. v. 9.*

luminans oculos. Idem Deus misereatur nostri, & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri; ut cognoscamus in terra viam suam: ac sic lætentur, & exultent gentes, quoniam gentes in terra dirigit. Utinam ipse revocet animas nostras à corruptione, & illuminet luce viventium. Hæc sunt desideria Ecclesiæ, quando petit, ut mentes nostras Paraclitus, qui à Patre procedit, illuminet, & inducat in omnem, sicut Dei promisit Filius, veritatem. A Christo Domino nostro promissum fuit Apostolis, & nobis in ipsis, quod manifestatur hisce Divini Evangelii verbis: Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me: Cùm antem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. In hanc veritatem, juxta promissionem Dei Filii, Redemptoris nostri, postulamus ab Spiritu Sancto Paraclito illuminante induci. Certum est, quòd nos in omnem veritatem inducet, cùm docuerit nos, atque illuminaverit. Spiritus est veritatis, qui nos liberabit ab spiritu erroris. Paraclitus est, sive Consolator, qui nobis adducet maximam consolationem, in omnem nos inducens veritatem. Emittat lucem suam, & veritatem suam, ut ipsa nos deducant, & adducant in montem sanctum Dei, & in tabernacula sua. In isto Paraclito est gratia omnis vitæ, & veritatis: in illo omnis spes vitæ, & virtutis. Epulemur itaque non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis, & veritatis. Hic Spiritus veritatis vias suas demonstrabit nobis, & semitas suas edocebit nos. Diriget nos in veritate sua, & docebit nos: quia ipse est Deus Salvator noster, & eum sustinuimus

(x) *Psalm. 66. v. 2. & 3. & 5.*

(y) *Iob, c. 33. v. 30.*

(z) *Ioan. c. 15. v. 26.*

(aa) *Ioan. c. 16. v. 13.*

(bb) *Psalm. 42. v. 3.*

(cc) *Eccli. c. 24. v. 25.*

(dd) *1. ad Corinth. c. 5. v. 8.*

(ee) *Psalm. 24. v. 4. & 5. & 8. & 9.*

(ff) *Psalm. 50. v. 8.*

(gg) *Psalm. 35. v. 6.*

(hh) *Psal. 44. v. 5.*

mus

mus tota die. Eſt dulcis, & rectus Dominus:
(ii) *Pſalm.*85.*v.*11. propter hoc legem dabit delinquentibus in via: diriget manſuetos in judicio, docebit mites vias ſuas. Ecce enim veritatem dilexit, incerta, &
(jj) *Pſalm.* 88. *v.*9. *& in eodem Pſ.v.*3. occulta ſapientiæ ſuæ manifeſtavit nobis ille, cujus veritas uſque ad nubes. Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam deducet nos
(kk) *Pſal.*84. *v.*12. mirabiliter dextera ſua. Deducat nos in via ſua, & ingrediemur in veritate ſua: lætabitur cor noſtrum, ut timeat nomen ſuum. Potens eſt Dominus, & veritas ſua in circuitu ejus. Mi-
(ll) *Pſalm.*11. *v.*2. *&* 3. ſericordia ædificabitur in cœlis, præparabitur veritas ſua in eis, quamvis etiam certum ſit, quòd veritas de terra orta eſt. Quando diminutæ ſunt veritates à filiis hominum, labia doloſa
(mm) *Matthæi*, *c.*6. *verſ.*13. in corde, & corde locuti ſunt, Paraclitus in omnem nos inducet veritatem, & numquam ab ea nos educet, quia non nos inducet in tentationem qui cuſtodit veritatem in ſæculum.
(nn)*Pſalm.*145.*v.*7. Veritatem ſuam, & ſalutare ſuum dicamus: non abſcondamus miſericordiam ſuam, & veritatem ſuam: Ideo Paraclitus eſt in omnem
(oo) *Pſal.*39. *v.*11. veritatem inducens, quia eſt Spiritus veritatis eam maximoperè diligens. Ipſe inducens nos in omnem veritatem faciet, nos omnem fugere mendacii abominationem. Ille diriget, ut
(pp) *Pſalm.* 5. *v.*7. veritatem diſcamus, & dicamus, atque juxta quod didicerimus,& dixerimus,operemur: quia idem eſt,qui perdet omnes, qui loquuntur men-
(qq) *Pſal.*144.*v.*20. dacium. Virum ſanguinum, & doloſum abominabitur Dominus, ideoque omnes peccatores diſperdet hic noſter Dominus Spiritus veri-
(rr) *Pſalm.*35.*v.*10. tatis Paraclitus. Inducet nobis ſuam illuminationem, ut in omnem inducat veritatem. Du-
(ss) 1. *ad Timoth. c.*6.*v.*16. cens inducet, quia ducet nos in ſolatium veritatis, ut Paraclitus: & inducet nos illuminans, tamquam veritatis Spiritus. In lumine ſuo vide-

debimus lumen: quia veritatem accipientes, & (tt) *Psalm.17.v.12.*
diligentes, inveniemus Deum nostrum, lucem
inhabitantem inaccessibilem, illum nempe Do- (uu) *Ioann.c.1.v.5.*
minum, qui posuit tenebras latibulum suum,
dum lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non (vv) *Psalm.83.v.12.*
comprehenderunt. Misericordiam, & verita- *&* 13.
tem diligit Deus Paraclitus, gratiam, & glo-
riam dabit Spiritus Sanctus Dominus. Non pri- (xx) *Psalm.25.v.3.*
vabit bonis eos, qui ambulant in innocentia, &
complacuerunt in veritate sua: nam qui diligit (yy) *Psalm.10.v.6.*
iniquitatem odit animam suam, & qui dicit:
Diligo Deum, & mandata ejus non custodit, (zz) 1.*Ioan.c.2.v.4.*
mendax est, & in hoc veritas non est. Non imi-
temur eos, de quibus dicitur: Non est in ore (aaa) *Psalm.5.v.10.*
eorum veritas, cor eorum vanum est: sed po-
tius viam veritatis eligamus, & judicia Dei non
obliviscemur. Veritatem per omnia requiramus,
& viam, quę ad ipsam veritatem ducit, amemus. (bbb) *Ps.118.v.30.*
Timeamus Deum: nam Paraclitus mentes illu-
minans, & in omnem veritatem inducens pro
hoc, & pro venturo sæculo, arguet mundum (ccc) *Ioan.c.16.v.8.*
de peccato, & de justitia, & de judicio.

§. Se-

§. Secundus.

Pro Feria Sexta Quatuor Temporum Pentecostes.

ORATIO.

DA, quæsumus, Ecclesiæ tuæ, misericors Deus, ut Sancto Spiritu congregata, hostili nullatenùs incursione turbetur. Per Dominum nostrum, &c. Qui tecum vivit, & regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti, &c.

Explicatio ejus.



POstulamus hodie à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur nobis, quod postulamus, ut det. Et quòd det, petimus: & quòd concedat Ecclesiæ quod desiderat, rogamus. Dans Ecclesiæ nostræ Matri, dabit Deus nostrûm unicuique. Illa vult, quòd nobis prosint ea, quæ sibi, & nostrûm cuilibet petit. Singuli accipiemus, si ipsa compos voti sui fuerit facta: itaque nobis poscimus, quando ei postulamus. Felix erit nostra petitio, si, ut benè expedita evadat, bonum Ecclesiæ nostræ Matris, & contineat, & intendat. Agnoscemur veri filii, tam Sanctæ benè addicti parenti, Ecclesiæ, nempè, Catholicæ, quæ per sacratissimum Crucis signum, ut ait S. Augu-

(a) *Iacobi, c.1.v.5.*

(b) *Tract. de Symbolo ad Catbecum. lib. 4. cap. 1. tom. 9.*

(c) *Psalm. 103. v. 3.*

(d) *Homil. 12. in Evangel.*

gustinus, nos suscepit in utero, & sicut fratres nostros, nos cum summa lætitia spiritaliter peperit. Dicimus ergo hodie loquentes cum Deo, & Domino nostro: Da, quæsumus, Ecclesiæ tuæ, misericors Deus, ut Sancto Spiritu congregata, hostili nullatenùs incursione turbetur. Quærimus, hanc fieri concessionem à Deo ejus Ecclesiæ totum per orbem diffusæ, sed Sancto Spiritu congregatæ. Ipse Sanctus Spiritus eam congregavit, qui illam per totum mundum diffudit: & extendens cœlum sicut pellem, extendit Ecclesiam [quæ juxtà Sanctum Gregorium Magnum, cœlum est, & regnum cœlorum] & eam per totum Orbis dilatavit circuitum. Sed quia ipse Spiritus Sanctus, utpote verus Deus, congregat sicut in utre aquas maris, quando juxta Sancti Joannis Apocalypsim, aquæ populi sunt, & gentes; electis advenis dispersionis, in sanctificationem Spiritus, scit gratiam charitatis, & unionis augere, & pacem multiplicare. Dum ponit ergo in istis thesauris abyssos suæ clementiæ, & omnipotentiæ, timeat Dominum omnis terra: ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes Orbem. Commoveantur, ut congregentur, & Sancto Spiritu uniantur: ita temporaliter, simulque æternaliter felicitabuntur. Iterùm dico: Commoveantur, ut congregentur; siquidem scriptum est ab Ezechiele: Factus est sonitus prophetante me, & ecce commotio, & accesserunt ossa ad ossa unumquodque ad juncturam suam: & postea ipse Propheta asserit, quòd ingressus est in ea ossa spiritus, & vixerunt: steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valdè. In illa ossa non intrasset spiritus, ut viverent, & fierent exercitus maximus, nisi ossa commota, essent ad invicem congregata. Felix Ecclesiæ

(e) *Psalm. 32. v. 7.*

(f) *Apocalyps. c. 17. vers. 15.*

(g) *1. Petri, c. 1. v. 1. & 2. & 3.*

(h) *Psalm. 32. v. 7. & 8.*

(i) *Ezechiel. cap. 37. vers. 7. & 10.*

(j) *Tract. 37. in Joan. ante medium.*

(k) *Psal. 117. v. 23.*

solationem. Ut vera Mater, non cessat Eccle-
sia plangere: & accuratissimè solicitat suos filios
liberare à flagellis iracundiæ Divinæ. Ideo de-
(gg) *Psalm.13.v.8.* siderans, quòd Deus populum suum, & ab ira-
cundiæ suæ terroribus liberum, & misericor-
diæ suæ faciat largitate securum, orat nostrum
(hh) *1. Petri, cap.2. vers.24.* Dominum consequenter ad dicta, dum ait eni-
xè: Atque ab eo flagella tuæ iracundiæ clemen-
ter averte. Quò fugiam à Deo irato, nisi ad
Deum placatum? dicebat Sanctus Augustinus.
(ii) *Ad Titum, c.2. vers.7. & 8.* Quis nisi Deus, nos verè à Deo potest liberare?
Quis meliùs, quàm ipse, valet à nobis flagella
iracundiæ suæ avertere? Adeamus igitur pœni-
tentes cum fiducia ad Divinam misericordiam,
Dei timentes justitiam: & ut hanc fugiamus,
(jj) *Ecclesia in Oratione post Communionem Missæ tempore pestis.* illam suppliciter imploremus. Bonum est, quòd
nos in flagella parati simus, & dolor noster in
conspectu nostro sit semper. Multa flagella
peccatoris, sperantem autem in Domino mise-
ricordia circumdabit. Væ illis iniquis, qui in la-
bore hominum non sunt, & cum hominibus
non flagellabuntur, & ideo tenuit eos superbia,
(kk) *Psalm.37.v.18.* operti sunt iniquitate, & impietate sua. Hi mi-
seri non flagellantur in hoc sæculo, ubi flagel-
la finiuntur, sed in futuro, in quo numquàm
terminantur. Si flagellis suis Deus nos cinxerit,
ideo est, quia qui diligit filium suum, assiduat
illi flagella, ut lætetur in novissimo suo; quem
(ll) *Psalm.31.v.10.* enim diligit Dominus castigat, flagellat autem
omnem filium, quem recipit: in disciplina per-
severemus, ut docet S. Paulus Apostolus: qui
etiam ait: Tamquàm filiis vobis offert se Deus:
(mm) *Psal.72.v.5. & 6.* quis enim filius, quem non corripit pater? Quòd
si extra disciplinam estis, cujus participes facti
sunt omnes: ergo adulteri, & non filii estis.
Deinde patres quidem carnis nostræ, eruditores
habuimus, & reverebamur eos: non multò ma-
gìs

gìs obtemperabimus Patri ſpirituum, & vivemus? Et illi quidem in tempore paucorum dierum, ſecundùm voluntatem ſuam erudiebant nos: hic autem ad id, quod utile eſt in recipiendo ſanctificationem ejus. Omnis autem diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudii, ſed mæroris: poſteà autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet juſtitiæ. Propter quod remiſſas manus, & ſoluta genua erigite, & greſſus rectos facite pedibus veſtris: ut non claudicans quis erret, magis autem ſanetur. Itaque regnum immobile ſuſcipientes, habemus gratiam: per quam ſerviamus placentes Deo, cum metu, & reverentia. Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt. Hucuſque locutus eſt Sanctus Paulus. Quid poteſt addi? cùm hoc abundè ſufficiat, ut agnoſcamus miſericordiam Divinæ iracundiæ, & utilitatem flagella humili reſignatione, & patientia tolerandi. Tamen Eccleſia orat, ut à nobis Deus flagella ſuæ iracundiæ clementer avertat. Caſtigavit nos Dominus, & eruditi ſumus, quaſi juvenculus indomitus, qui anteà, malis operibus noſtris, confregimus jugum Dei, rupimus vincula illius, & diximus: Non ſerviemus. Sed poſtquam convertit nos Deus, agamus pœnitentiam: & ceſſabunt verbera, ſi non interentur crimina. Faxit Deus flagella ſuæ iracundiæ à nobis clementer avertere; ſed faxit potiùs clementer non permittere, nos ampliùs peccare: quia, ut dicebat Sanctus Joannes Chryſoſtomus, Magnus dæmon peccatum eſt: & acerbius eſt Deum offendere, quàm gehennæ incendiis tradi. Rogemus ergo [nè Deum offendentes malum omnium malorum maximum, nempe peccatum mortale, incurramus, & ob illud in æternitate flagellemur] ut non tradat Deus beſtiis

(nn) *Iob, cap. 19. v. 6.*

(oo) *Eccli. c. 30. v. 1.*

(pp) *Ad Hæbræos, c. 12. v. 6. & 7. & 8. & 9. & 10. & 11. & 12. & 13. & 28. & 29.*

(qq) *Ieremiæ, c. 31. verſ. 18.*

(rr) *Ierem. c. 2. v. 20*

(ss) *Ierem. c. 31. v. 19.*

(tt) *Pſalm. 73. v. 19.*

[peccato, & diabolo] animas confitentes sibi: & animas pauperum suorum non obliviscatur in finem.

SECTIO II.

Habet explanatas tres Orationes Officii, quæ primo loco dicuntur in Missis dierum Temporum Pentecostes, seu Temporis Æstivalis.

§. Primus.

Pro Feria Quarta Quatuor Temporum Pentecostes.

ORATIO.

MEntes *nostras, quæsumus Domine, Paraclitus, qui à te procedit, illuminet, & inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem. Qui tecum, &c. in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, &c.*

Explicatio ejus.



OGAVIT Christus Filius Dei suum Patrem, & alium Paraclitum dedit nobis, ut maneret nobiscum in æternum, spiritum veritatis. De hoc Sancto Spiritu Paraclito loquitur hodie Ecclesia, dum orans Æternum Patrem dicit: Mentes nostras, quæsumus Domine,

(a) *Ioann.c.*14. *v.*16.

(b) *Ad Roman.c.*8. *v.*14. & 15. & 16. & 17.

ne, Paraclitus, qui à te procedit, illuminet, & inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem. Dedit nobis Pater Æternus Spiritum Sanctum, & quicumque Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei: non enim accepimus iterùm spiritum servitutis, sed accepimus Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba [Pater]. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii Dei: si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Utinam Deus, qui illum dedit, Spiritum Sanctum suum non auferat à nobis, quando aufert spiritum Principum, terribilis apud reges terræ. Timeamus, nè simus, sicut generatio prava, & exasperans; generatio, quę non direxit cor suum: & non est creditus cum Deo spiritus ejus. Non custodierunt testamentum Dei, & in lege ejus noluerunt ambulare. Et obliti sunt benefactorum ejus, & mirabilium ejus, quæ ostendit eis. Sentiamus de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quæramus illum. Spiritus enim Sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu. Benignus est enim Spiritus sapientiæ, & non liberabit maledicum à labiis suis: quoniam renum illius testis est Deus, & cordis illius scrutator est verus. Rogemus Deum, ut cor mundum creet in nobis, & spiritum rectum innovet in visceribus nostris: etiam, ut reddat nobis lætitiam salutaris sui, & Spiritu principali confirmet nos: ac, ut requiescat super nos Spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilii, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & repleat nos spiritus timoris Domini. Desiderat ergo Ecclesia, quòd Paraclitus, qui à Patre procedit, mentes nostras illuminet. Utique Paraclitus, qui

(c) *Psalm.* 50. *v.* 13.
(d) *Psalm.* 75. *v.* 13.
(e) *Psalm.* 77. *v.* 8. & 10. & 11.
(f) *Sapientiæ, cap.* 1. *vers.* 1. & 5. & 6.
(g) *Psalm.* 50. *v.* 12. & 14.
(h) *Isai. cap.* 11. *v.* 2. & 3.
(i) *In Symbolo Niceno Missæ.*
(j) *Psalm.* 75. *v.* 5.
(k) 1. *Machabæor. c.* 6. *v.* 39.
(l) *Psalm.* 107. *v.* 14.

à Patre procedit, procedit etiam à Filio. Procedit ab utroque Dominus, & vivificans Paraclitus: & oramus, ut illuminet mentes nostras iste vivificans Dominus. Ipse est illuminans à montibus æternis. Ipse etiam est verus sol, qui refulget in clypeos aureos, & aereos, ut resplendeant montes ab eis, ac ita fortitudo gentium dissipetur: quia ille ad nihilum deducet inimicos nostros, si nos ejus illuminationem, qua illuminavit viros sanctos, acceperimus, & cum ea resplenduerimus, facti montes in circuitu ejus, ut sit Dominus in circuitu populi sui ex hoc nunc, & usque in sæculum. Quale gaudium nobis erit, si in tenebris sederimus, & lumen cœli non viderimus? si non attenderimus, inquam, ad lumen, quod effundit, & diffundit Sol Divinus Paraclitus noster Deus, & Dominus? Cęcum est genus humanum, quod in parente primo à paradisi gaudiis expulsum, claritatem supernæ lucis ignorans, damnationis suæ tenebras patitur, ait Magnus Doctor Sanctus Papa Gregorius. Secundum mentem omnis homo cęcus natus est, dicit Sanctus Augustinus, qui etiam ait: Festinent ad lavacrum qui lumen inquirunt. Dominus illuminat cęcos: & Dominus est Spiritus Sanctus, in quem credimus, ut in Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit: qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur. Iste Dominus illuminabit oculos nostros, nè umquam obdormiamus in morte: nequando dicant inimici nostri: Prævaluimus adversus eos. Ipse faciem suam illuminabit super servos suos: & quia benedictus est Dominus, docebit nos justificationes suas, & in labiis nostris pronuntiabimus omnia judicia oris sui. Deus noster est, qui illuminabit tenebras nostras, cùm præceptum Domini sit lucidum illu-

(m) *Psalm. 124. v. 2.*
(n) *Tobiæ, c. 5. v. 12.*
(o) *Homil. 2. in Evangel.*
(p) *Tractat. 44. in Ioann. circà init.*
(q) *Psalm. 145. v. 8.*
(r) *In Symbolo Nicæno Missæ.*
(s) *Psalm. 12. v. 3. & 4.*
(t) *Psal. 118. v. 135. & in eodem Psalm. vers. 12. & 13.*
(u) *Psalm. 17. v. 29.*
(y) *Psalm. 18. v. 9.*

luminans oculos. Idem Deus misereatur nostri, & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri; ut cognoscamus in terra viam suam: ac sic lætentur, & exultent gentes, quoniam gentes in terra dirigit. Utinam ipse revocet animas nostras à corruptione, & illuminet luce viventium. Hæc sunt desideria Ecclesiæ, quando petit, ut mentes nostras Paraclitus, qui à Patre procedit, illuminet, & inducat in omnem, sicut Dei promisit Filius, veritatem. A Christo Domino nostro promissum fuit Apostolis, & nobis in ipsis, quod manifestatur hisce Divini Evangelii verbis: Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me: Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. In hanc veritatem, juxta promissionem Dei Filii, Redemptoris nostri, postulamus ab Spiritu Sancto Paraclito illuminante induci. Certum est, quòd nos in omnem veritatem inducet, cùm docuerit nos, atque illuminaverit. Spiritus est veritatis, qui nos liberabit ab spiritu erroris. Paraclitus est, sive Consolator, qui nobis adducet maximam consolationem, in omnem nos inducens veritatem. Emittat lucem suam, & veritatem suam, ut ipsa nos deducant, & adducant in montem sanctum Dei, & in tabernacula sua. In isto Paraclito est gratia omnis viæ, & veritatis: in illo omnis spes vitæ, & virtutis. Epulemur itaque non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis, & veritatis. Hic Spiritus veritatis vias suas demonstrabit nobis, & semitas suas edocebit nos. Diriget nos in veritate sua, & docebit nos: quia ipse est Deus Salvator noster, & eum sustinuimus

(x) *Psalm. 66. v. 2. & 3. & 5.*

(y) *Iob, c. 33. v. 30.*

(z) *Ioan. c. 15. v. 26.*

(aa) *Ioan. c. 16. v. 13.*

(bb) *Psalm. 42. v. 3.*

(cc) *Eccli. c. 24. v. 25.*

(dd) *1. ad Corinth. c. 5. v. 8.*

(ee) *Psalm. 24. v. 4. & 5. & 8. & 9.*

(ff) *Psalm. 50. v. 8.*

(gg) *Psalm. 35. v. 6.*

(hh) *Psal. 44. v. 5.*

mus tota die. Est dulcis, & rectus Dominus:
(ii) Psalm.85.v.11. propter hoc legem dabit delinquentibus in via: diriget mansuetos in judicio, docebit mites vias suas. Ecce enim veritatem dilexit, incerta, &
(jj) Psalm. 88. v.9. & in eodem Ps.v.3. occulta sapientiæ suæ manifestavit nobis ille, cujus veritas usque ad nubes. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam deducet nos
(kk) Psal.84. v.12. mirabiliter dextera sua. Deducat nos in via sua, & ingrediemur in veritate sua: lætabitur cor nostrum, ut timeat nomen suum. Potens est Dominus, & veritas sua in circuitu ejus. Mi-
(ll) Psalm.11. v.2. & 3. sericordia ædificabitur in cœlis, præparabitur veritas sua in eis, quamvis etiam certum sit, quòd veritas de terra orta est. Quando diminutæ sunt veritates à filiis hominum, labia dolosa
(mm) Matthei, c.6. vers.13. in corde, & corde locuti sunt, Paraclitus in omnem nos inducet veritatem, & numquam ab ea nos educet, quia non nos inducet in tentationem qui custodit veritatem in sæculum.
(nn) Psalm.145.v.7. Veritatem suam, & salutare suum dicamus: non abscondamus misericordiam suam, & veritatem suam: Ideo Paraclitus est in omnem
(oo) Psal.39. v.11. veritatem inducens, quia est Spiritus veritatis eam maximoperè diligens. Ipse inducens nos in omnem veritatem faciet, nos omnem fugere mendacii abominationem. Ille diriget, ut
(pp) Psalm.5. v.7. veritatem discamus, & dicamus, atque juxta quod didicerimus,& dixerimus,operemur: quia idem est,qui perdet omnes, qui loquuntur mendacium. Virum sanguinum, & dolosum abo-
(qq) Psal.144.v.20. minabitur Dominus, ideoque omnes peccatores disperdet hic noster Dominus Spiritus veri-
(rr) Psalm.35.v.10. tatis Paraclitus. Inducet nobis suam illuminationem, ut in omnem inducat veritatem. Du-
(ss) 1. ad Timoth. c.6.v.16. cens inducet, quia ducet nos in solatium veritatis, ut Paraclitus: & inducet nos illuminans, tamquam veritatis Spiritus. In lumine suo vide-

debimus lumen: quia veritatem accipientes, & (tt) *Psalm.17.v.12.*
diligentes, inveniemus Deum nostrum, lucem
inhabitantem inaccessibilem, illum nempe Do- (uu) *Ioann.c.1.v.5.*
minum, qui posuit tenebras latibulum suum,
dum lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non (vv) *Psalm.83.v.12.*
comprehenderunt. Misericordiam, & verita- *& 13.*
tem diligit Deus Paraclitus, gratiam, & glo-
riam dabit Spiritus Sanctus Dominus. Non pri- (xx) *Psalm.25.v.3.*
vabit bonis eos, qui ambulant in innocentia, &
complacuerunt in veritate sua: nam qui diligit (yy) *Psalm.10.v.6.*
iniquitatem odit animam suam, & qui dicit:
Diligo Deum, & mandata ejus non custodit, (zz) *1.Ioan.c.2.v.4.*
mendax est, & in hoc veritas non est. Non imi-
temur eos, de quibus dicitur: Non est in ore (aaa) *Psalm.5.v.10.*
eorum veritas, cor eorum vanum est: sed po-
tius viam veritatis eligamus, & judicia Dei non
obliviscemur. Veritatem per omnia requiramus,
& viam, quę ad ipsam veritatem ducit, amemus. (bbb) *Ps.118.v.30.*
Timeamus Deum: nam Paraclitus mentes illu-
minans, & in omnem veritatem inducens pro
hoc, & pro venturo sæculo, arguet mundum (ccc) *Ioan.c.16.v.8.*
de peccato, & de justitia, & de judicio.

§.Se-

gustinus, nos suscepit in utero, & sicut fratres nostros, nos cum summa lætitia spiritaliter peperit. Dicimus ergo hodie loquentes cum Deo, & Domino nostro: Da, quæsumus, Ecclesiæ tuæ, misericors Deus, ut Sancto Spiritu congregata, hostili nullatenùs incursione turbetur. Quærimus, hanc fieri concessionem à Deo ejus Ecclesiæ totum per orbem diffusæ, sed Sancto Spiritu congregatæ. Ipse Sanctus Spiritus eam congregavit, qui illam per totum mundum diffudit: & extendens cœlum sicut pellem, extendit Ecclesiam [quæ juxtà Sanctum Gregorium Magnum, cœlum est, & regnum cœlorum] & eam per totum Orbis dilatavit circuitum. Sed quia ipse Spiritus Sanctus, utpote verus Deus, congregat sicut in utre aquas maris, quando juxta Sancti Joannis Apocalypsim, aquæ populi sunt, & gentes; electis advenis dispersionis, in sanctificationem Spiritus, scit gratiam charitatis, & unionis augere, & pacem multiplicare. Dum ponit ergo in istis thesauris abyssos suæ clementiæ, & omnipotentiæ, timeat Dominum omnis terra: ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes Orbem. Commoveantur, ut congregentur, & Sancto Spiritu uniantur: ita temporaliter, simulque æternaliter felicitabuntur. Iterùm dico: Commoveantur, ut congregentur; siquidem scriptum est ab Ezechiele: Factus est sonitus prophetante me, & ecce commotio, & accesserunt ossa ad ossa unumquodque ad juncturam suam: & posteà ipse Propheta asserit, quòd ingressus est in ea ossa spiritus, & vixerunt: steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valdè. In illa ossa non intrasset spiritus, ut viverent, & fierent exercitus maximus, nisi ossa commota, essent ad invicem congregata. Felix Ecclesiæ

(e) *Psalm. 32. v. 7.*

(f) *Apocalyps. c. 17. vers. 15.*

(g) *1. Petri, c. 1. v. 1. & 2. & 3.*

(h) *Psalm. 32. v. 7. & 8.*

(i) *Ezechiel. cap. 37. vers. 7. & 10.*

(j) *Tract. 37. in Ioan. ante medium.*

(k) *Psal. 117. v. 23.*

filiorum commotio, ut congregentur, siquidem Spiritus Sanctus, qui eos commovet, & congregat, ipse in illos intrat, ut eos fortes contra hostes animarum reddat, & illos victorias consequi faciat. Ecclesia [quia dispersa per orbem] ubique petit à Domino, ut Sancto Spiritu congregata, hostili nullatenùs incursione turbetur: & ideò, quia Sancto Spiritu congregata poscit, facilè quod exoptat, accipiet. Petimus, ut det Deus Ecclesiæ congregatæ, quod desideramus: quia ista congregatio, & unio eam reddit dignissimam exauditione, atque præmio. Non defraudabitur oratis quæ unionis inhiat votis, & congregationis ita vacat studiis. Spiritu Sancto est Ecclesia congregata, quia charitate est unita. Audiatur Sanctus Augustinus, qui ait: Ut compaginet unitas, quæ facit, nisi charitas? Et charitas unde? Apostolum interroga: Charitas, inquit, Dei diffusa est in cordibus nostris per inhabitationem Spiritus ejus in nobis. Ergo Spiritus Sanctus Ecclesiam extendens, simul eam compaginavit, congregavit, & univit. Verè à Domino factum est istud; & est mirabile in oculis nostris. Gemma est profectò pretiosissima hæc unio: ideò procul, & de ultimis finibus pretium Ecclesiæ: confidit in ea cor viri sui, & spoliis non indigebit. Christus ejus Sponsus reddet ei bonum, & non malum omnibus diebus vitæ suæ: & quia Spiritus Sanctus in ea manebit, & in ea erit, hostili nullatenùs incursione turbabitur: non desolabitur sicut in vastitate hostili. Manum suam non mittet hostis ad omnia desiderabilia ejus. Non dabit eam Dominus manu, de qua non poterit surgere. Non videbunt eam hostes, ut derideant Sabbata ejus: quia exurget Deus, & dissipabuntur inimici ejus, & fugient qui oderunt eum à facie ejus.

(l) *Proverb. cap. 31. v. 10. & 11. & 12.*

(m) *Ioan. c. 14. v. 17.*

(n) *Isai. cap. 1. v. 7.*

(o) *Threnor. c. 1. v. 16. & 14. & in eodem cap. v. 7.*

(p) *Psalm. 67. v. 2. & 3. & 4.*

(q) *Eccle. c. 4. v. 12. & in eodem cap. v. 9.*

(r) *Psalm. 49. vers. 5. & 6.*

ejus. Sicut deficit fumus deficient: sicut fluit cera à facie ignis, sic peribunt peccatores à facie Dei. Et justi exultabunt, & lætabuntur in conspectu Dei: & delectabuntur in lætitia. O magna utilitas, qua fruitur Ecclesia Spiritu Sancto congregata! quia funiculus triplex difficilè rumpitur, & melius est, duos esse simul, quàm unum: habent enim emolumentum societatis suæ. Ad hoc Spiritus Sanctus fecit, congregari sibi Sanctos suos, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia: & annuntiabunt cœli justitiam ejus: quia apparuerunt Christi discipulis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorum Spiritus Sanctus: & repleti sunt omnes Spiritu Sancto, qui eos docuit omnia, & illis suggessit omnia quæcumque Apostolis, & aliis discipulis dixerat Christus, antequam ab eorum aspectu avolaret, ut ad Thronum celsissimum cœli ascenderet. Verus Deus Spiritus Sanctus locutus est in sancto suo, Deus deorum Dominus locutus est, & vocavit terram, & in omnem terram exivit sonus Apostolorum, & in fines Orbis terræ verba eorum. Deus est iste Paraclitus, & à solis Ortu usque ad Occasum: ex Sion species decoris ejus, quia in monte Sion erat Sacratissimum Cœnaculum [jam factum prima Christianorum Ecclesia] ad quod in linguis igneis descendit Spiritus Sanctus super Apostolicum Collegium: itaque Deus in domibus Ecclesiæ Catholicæ Romanæ cognitus est, cum suscepit eam, & suscepimus misericordiam Dei in medio templi sui: propter quod confitebimur ei in Ecclesia magna, in populo gravi laudabimus eum. Non poterit turbari incursione hostili Ecclesia Spiritu Sancto congregata: ideo petimus hodie, eam in charitate vera semper per Sanctum Spiritum, & in San-

(s) *Actor. c. 2. v. 3. & 4.*

(t) *Ioan. c. 14. v. 26.*

(u) *Psalm. 59. v. 8.*

(v) *Psalm. 49. v. 1.*

(x) *Psalm. 18. v. 5.*

(y) *Psalm. 49. v. 2.*

(z) *Psalm. 47. v. 4. & 10.*

(aa) *Psal. 34. v. 18.*

(bb) *Psalm. 82. v. 3. usque ad 8. inclusivè.*

Sancto Spiritu congregari, ut ipsius mereatur protectione defendi. Itaque, quamvis inimici Dei sonuerint, & qui oderunt eum extulerint caput, super populum Dei malignaverint consilium, & cogitaverint adversus sanctos suos, dicentes: Venite, & disperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Israel ultrà: quamvis etiam cogitaverint unanimiter, simul adversum Ecclesiam testamentum disposuerint, tabernacula Idumæorum, & Ismaelitæ: Moab, & Agareni, Gebal, & Ammon, & Amalec, alienigenæ cum habitantibus Tyrum; Spiritus tamen Sanctus verus Deus, quo congregata est Catholica Romana Ecclesia [quia portæ inferi non prævalebunt adversus eam] faciet illis Omnipotentia sua, sicut Madian, & Sisaræ, sicut Jabin in torrente Cisson: iste Deus noster ponet illos, ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti. Sicut ignis, qui comburit silvam, & sicut flamma comburens montes, ita persequetur illos in tempestate sua, & in ira sua turbabit eos. Et cognoscant, quia nomen illi Dominus: ipse solus Altissimus in omni terra. Ad hoc ergo, ut Ecclesia hostili nullatenùs incursione turbetur, rogemus, ut sit unita, & in Spiritu Sancto congregata: non audiatur, scissuras esse inter nos filios Ecclesiæ, nè schisma sit inter nos, sicut fuit tempore Christi inter Pharisæos, quorum, & aliorum Judæorum regnum, quia in se ipsum divisum, fuit desolatum. Curemus, ut id ipsum dicamus omnes, & non sint in nobis schismata; simus autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia. Idem S. Paulus, ex quo hæc desumpta sunt verba, etiam ait: Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus. Non potest autem oculus dicere manui: opera tua non indigeo; aut iterùm caput

(cc) *Matthæi, c. 16. vers. 18.*

(dd) *Psal. 82. v. 10. & 14. & 15. & 16. & 19.*

(ee) *1. ad Corinth. c. 11. v. 18.*

(ff) *Ioann. c. 9. v. 16.*

(gg) *Lucæ, cap. 11. vers. 17.*

(hh) *1. ad Corinth. c. 1. v. 10.*

caput pedibus: Non estis mihi necessarii. Sed multò magis, quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt: & quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus: & quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent. Honesta autem nostra nullius egent: sed Deus temperavit corpus, ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem: ut non sit schisma in corpore, sed idipsum pro invicem sollicita sint membra. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro. Quid aptius his verbis Sancti Pauli poterat dici? Nos ergo ad hæc aspicientes, ac tam utilem doctrinam amantes, & per eam nos in vera fide, & charitate exercentes, petamus à Domino jugiter, quòd det Ecclesiæ suæ, ut misericors Deus, Spiritus Sancti assistentiam, simulque illuminationem illius, & gratiam, ut plebs fidelium, quæ est Ecclesia ipsa, in Spiritu Sancto congregata, hostili nullatenùs incursione turbetur: siquidem, quia lupus rapit, & dispergit oves, nè dispersi rapiamur, necessarium est, ut non sit jurgium inter nos Catholicos Romanos, fratres enim sumus.

(ii) 1. *ad Corinth. c.* 12. *v.* 20. *& reliquis usque ad.* 27. *inclusivè.*

(jj) *Ioan. c.* 10. *v.* 12.

(kk) *Genes. cap.* 13. *vers.* 8.

§. Ter-

§. Tertius.

Pro Sabbato Quatuor Temporum Pentecostes.

ORATIO.

Mentibus nostris, quæsumus Domine, Spiritum Sanctum benignus infunde: cujus & sapientia conditi sumus, & providentia gubernamur. Per Dominum nostrum Jesum-Christum, &c. Qui tecum vivit, & regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti, &c.

Explicatio ejus.



(a) *Actor. c. 2. v. 17. juxta Ioelē c. 2. v. 28. & Isaiam c. 44. v. 3.*

(b) *Ibidem.*

(c) *Ioan. c. 14. v. 17.*

Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, dixit aliquando Deus, sed invenimus, dixisse etiam ipsum Dominum: Et quidem super servos meos, & super ancillas meas, in diebus illis effundam de Spiritu meo. Sint ergo servi, sint ancillæ ejus in Ecclesia fideles utriusque sexus, ut super illos, & illas effundat Spiritum suum Pater Æternus, & descendat in hoc potissimùm tempore super filios Ecclesiæ Spiritus Sanctus. Vir, qui servitio Dei se applicuerit, & mulier, quæ Domini vero obsequio se mancipaverit, consequenter adventum Spiritus Sancti super se lucrabuntur, & quòd in eos sit effusus Spiritus Dei, gaudebunt. Spiritum veritа-

ritatis mundus non poterat accipere, quia non videbat eum, nec sciebat eum. Ergo qui videt Spiritum veritatis habens spiritum sapientiæ, & revelationis, in agnitione Patris, & Jesu-Christi; & illuminatos oculos cordis sui, & scit spiritum veritatis per praxim, & exercitium juge operationis rectæ, poterit eum accipere, & ejus super se effusionem sperare. Tales debemus esse, ut hodie fructuosè possimus dicere: Mentibus nostris, quæsumus Domine, Spiritum Sanctum benignus infunde: cujus & sapientia conditi sumus, & providentia gubernamur. Spiritus Sanctus dicitur, & est Paraclitus, qui consolatur nos expellens tristitiam mundanam: est etiam Altissimi Donum Dei, ut nos ditet, honoretque, nostram egestatem relegans: est Fons vivus conscientias nostras suæ gratiæ scaturiginibus, & fluentis infinitæ suæ bonitatis à fœdis sordibus mundans, atque purissima pluvia irrigans: est Ignis, tenebras per illuminationem, & frigus per ardorem excludens: est Charitas restinguens odia, & nodo, ac nexu amoris Dei, & proximi nos feliciſſimè vinciens: est & simul Spiritalis Unctio nos confortans, dum curat vulnera criminum, & armat nos ad prælia, & conflictus omnium hostium spiritualium, faciens à nobis extorres plagas, & pusillanimitates, inducens sanitatem, & adducens fortitudinem. Pater Æternus non delectatur in perditionibus nostris: quia post tempestatem tranquillum facit, & post lachrymationem, & fletum, exultationem infundit. Hanc exultationem desideramus, & petimus, infundere super nos Deum Patrem, quando eum hodie oramus, ut benignus mentibus nostris infundat Spiritum Sanctum: quia bonus, & suavis est Spiritus Domini in omnibus. Et sensum Dei quis sciet, nisi ipse

(d) *Ad Ephesios, c.1. vers.17. & 18.*

(e) *In Hymno Vesperar. Festi Pentecostes, v.2.*

(f) *Tobiæ, c.3. v.22.*

(g) *Sapientiæ, c.12. vers.1.*

(h) *Sapientiæ, c.9. v.17. & 18.*

(i) *Eccli. c.1. v.7. & usque ad 12. inclus.*

ipse dederit sapientiam, & miserit Spiritum Sanctum suum de altissimis: & sic correctæ sint semitæ eorum, qui sunt in terris, & quæ Deo placent didicerint homines? Disciplina sapientiæ cui revelata est, & manifestata? & multiplicationem ingressus illius quis intellexit? Unus est Altissimus Creator Omnipotens, & Rex potens, & metuendus nimis, sedens super thronum illius, & dominans Deus. Ipse creavit illam in Spiritu Sancto, & vidit, & dinumeravit, & mensus est. Et effudit illam super omnia opera sua, & super omnem carnem secundùm datum suum, & præbuit illam diligentibus se. Timor Domini gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis. Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium, & longitudinem dierum. Ecce quot, & quanta cum Spiritu Sancto nobis poterunt advenire bona, si mentibus nostris Spiritum Sanctum voluerit Pater Æternus infundere pro sua infinita pietate. Christus nos redemit de maledicto legis, ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu, ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem. Credentes signati sumus Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius. Sed aliquando non erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. Si nos non glorificamus, & portamus Jesum Deum in corpore nostro, quomodò volumus, quòd mentibus nostris benignus Spiritum Sanctum infundat Pater Æternus? Quondam cecidit Spiritus Sanctus super omnes, qui audiebant verbum. Si verbum Dei retineamus corde bono, & optimo, audientes verbum Dei, & custodientes illud, consolabimur per Spiritum Sanctum, qui apud nos manebit, & in nobis erit.

(j) *Ad Galatas, c.3. v.13. & 14.*

(k) *Ad Ephesios, c.1. v.13. & 14.*

(l) *Ioann. c.7. v.39.*

(m) *1. ad Corinth. c.6. v.20.*

(n) *Actor. c.10. v.44*

(o) *Lucæ, c.8. v.15.*

(p) *Lucæ, c.11. v.28.*

erit. Nolimus contriſtare Spiritum Sanctum Dei: in quo ſignati ſumus in diem redemptionis. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia tollatur à nobis, cum omni malitia. Simus autem invicem benigni, miſericordes, donantes invicem, ſicut & Deus in Chriſto donavit nobis. Nolimus fieri imprudentes, ſed intelligentes quæ ſit voluntas Dei: & impleamur Spiritu Sancto, loquentes nobiſmetipſis, cantantes, & pſallentes in cordibus noſtris Domino, gratias agentes ſemper pro omnibus in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, Deo, & Patri. Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio noſtra, ut ſciat unuſquiſque noſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore: non enim vocavit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem. Itaque qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum: qui etiam dedit Spiritum ſuum Sanctum in nobis. Omnes nos filii lucis ſumus, & filii diei: non ſumus noctis, neque tenebrarum. Nos autem, qui diei ſumus, ſobrii ſimus, induti loricam fidei, & charitatis, & galeam ſpem ſalutis: quoniam non poſuit nos Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui mortuus eſt pro nobis: ut ſive vigilemus, ſive dormiamus, ſimul cum illo vivamus. Propter quod conſolemur invicem, & ædificemus alterutrum. Conſolemur puſillanimes, ſuſcipiamus infirmos, patientes ſimus ad omnes. Videamus, nè quis malum pro malo alicui reddat; ſed ſemper quod bonum eſt, ſectemur in invicem, & in omnes. Semper gaudeamus, ſine intermiſſione oremus. Hæc verba ex doctrina Sancti Pauli ſunt deprompta, & quidem aptiſſima, quatenùs diſcamus nos diſponere, ut mentibus noſtris Deus Pater Spiritum Sanctum be-

(q) *Ioan. c.14.v.17.*

(r) *Ad Epheſios, c.4. v.30. & 31. & 32.*

(s) *Ad Epheſios, c.5. v.17. & 19. & 20.*

(t) *1. ad Theſſalonic. c.4.v.3. & 4. & 7. & 8.*

(u) *1. ad Theſſalonic. c.5. v.5. & 8. & 9. & 10. & 11. & 14. & 15. & 16. & 17.*

nignus infundat, & purificet per infusionem Sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut eum perfectè diligere, & dignè laudare mereamur. Utinam qui Apostolis suis Sanctum dedit Spiritum, concedat plebi suæ piæ petitionis effectum, ut quibus dedit fidem, largiatur & pacem: & adsit nobis virtus Spiritus Sancti, quæ & corda nostra clementer expurget, & ab omnibus tueatur adversis: siquidem Spiritus Sancti sapientia conditi sumus, & providentia gubernamur. Hoc asserit Ecclesia hodie, quando Spiritum Sanctum exoptans accipere, rogat Patrem Æternum, ut cum mentibus nostris benignus velit infundere. Vult Ecclesia mater nostra, nos spem nostram erigere, & adeò in altum tollere, ut Spiritui Sancto appropinquare, & illum valeamus accipere, si utiliter consideremus eum Creatorem esse, & gubernatorem nostrum, qui providentia magna regit, quos ex nihilo sapienti Omnipotentia creavit. Optat insuper Ecclesia, ut simus felices Spiritum Sanctum habentes, quia Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam. Desiderat item, quòd Spiritum Sanctum accipientes, domus Dei simus omnes. Sed dicit Sanctus Augustinus: Domus Dei nos ipsi, nos in hoc sæculo ædificamur, ut in fine dedicemur. Ædificium, immò ædificatio habet laborem: dedicatio exultationem. Hanc domum nostram Spiritus Sanctus piè, & misericorditer condidit, providè, & solicitè gubernat, & in ea, si nos præparamus per ejus gratiam, jucundè, & clementer habitat. Utinam simus sapore virtutis conditi, qui fuimus à Sapientia Spiritus Sancti conditi: non vitiis dilapidemur, non ruamus socordia, non inclinemur flectentes nos ad ima, nec diligen-

tes

(v) *In præparatione Sacerdotis ad Missam, Oratione secunda.*

(x) *In Oratione Officii, & Missæ Fer. 2. infra oct. Pentecostes.*

(y) *In Oratione Officii, & Missæ Fer. 3. ejusdē infra octavæ.*

(z) *Ioan. cap. 6. v. 64.*

(aa) *Serm. 256. de Tempore.*

tes mundum tortuositate perversa, qui agnoscimus, gubernari animas, & corpora nostra Sancti Spiritus providentia: non denique peccatis inquinemur, qui à tam mundo, & Sancto Spiritu inhabitamur. Utinam confirmet Deus quod operatus est in nobis, à templo Sancto suo, quod est in Jerusalem! Tunc nostro Domino afferent reges munera: quia, cum rex dicatur à regendo, nosmetipsos Dei adjutorio regentes, munera ipsi offeremus Fidei, Spei, & Charitatis. Utique Spiritus Dei fecit nos, & spiraculum Omnipotentis vivificavit nos, qui ejus sapientia conditi sumus, & providentia gubernamur. Missus est ad nos à Patre, & Filio Spiritus Sanctus, & ille meliùs, quàm Josias, directus est in pœnitentiam gentis, tulit abominationes impietatis, & gubernat cor nostrum ad Dominum, & in diebus peccatorum corroborat pietatem. Ipse inhabitet in cordibus nostris Spiritus Domini, qui ornavit cœlos, quando verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Curam agat nostri, qui nos creavit in sapientia, gubernat in providentia, & inhabitat cum misericordia. Nos condidit, ut essemus: gubernat, ut dirigamur: inhabitat, ut melioremus. Creavit nos ædificans; gubernat ornans; & felicitat inhabitans. Creavit, seu condidit, ut è nihilo educeret: gubernat, ut à peccatis separet: & inhabitat nos, ut virtutibus fœcundet. Creavit nos profusus, & largus: gubernat pius, & providus: inhabitat zelans, & benignus, idem ipse Spiritus Sanctus, qui spirituum ponderator est Dominus. Dicamus ergo ei verbis junioris Tobiæ: Si nos ipsos tradamus tibi servos, non erimus condigni providentiæ tuæ.

(bb) *Psalm. 67. v. 29. & 30.*
(cc) *Iob, cap. 33. v. 4.*
(dd) *Eccli. c. 49. v. 3. & 4.*
(ee) *Iob, c. 26. v. 13.*
(ff) *Psalm. 32. v. 6.*
(gg) *Proverb. c. 16. Vers. 2.*
(hh) *Tobiæ, c. 9. v. 2.*

SECTIO III.

Habet explanatas tres Orationis Officii, quæ primo loco dicuntur in Missis dierum Temporum Septembris, sive Temporis Autumnalis.

§. Primus.

Pro Feria Quarta Quatuor Temporum Septembris.

ORATIO.

M*Isericordiæ tuæ remediis, quæsumus Domine, fragilitas nostra subsistat: ut quæ sua conditione atteritur, tua clementia reparetur. Per Dominum nostrum Jesum-Christum, &c.*

Explicatio ejus.

(a) *2. ad Corinth. c. 3. vers. 4. & 5.*

(b) *1. ad Corinth. c. 12. vers. 3.*

(c) *Deuteron. cap. 8. vers. 17. & 18.*



FIDUCIAM talem habemus per Christum ad Deum: non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Nemo potest dicere: Dominus Jesus; nisi in Spiritu Sancto. Nè ergo dicamus in corde nostro; Fortitudo mea, & robur manus meæ hæc mihi omnia

omnia præstiterunt. Sed recordemur Domini Dei nostri, quòd ipse vires nobis præbuit. Hoc bene agnoscens Sancta Ecclesia, orat Dominum, & docet nos orare, dicens: Misericordiæ tuæ remediis, quæsumus, Domine, fragilitas nostra subsistat: ut quæ sua conditione atteritur, tua clementia reparetur. Oremus itaque Dominum, ut nobis auxilio sit ille ipse, qui dixit: Sine me nihil potestis facere. Venite ad me, & ego reficiam vos. Sumus homines mortales, ait S. Augustinus, infirmi, lutea vasa portantes. Idem Sanctus Doctor etiam dicit: Non dictum est à Christo: Sine me parum potestis facere; sed: Nihil potestis facere. Sive ergo parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest. Ideo, qui hodie sumus, si manè quæsiti fuerimus, non subsistemus. Ergo necessarium est, quòd veniant nobis remedia à misericordia Divina, ut subsistat fragilitas nostra: & his remediis fulcita ista fragilitas, quæ sua atteritur conditione, reparabitur à Divina misericordia, clementia, atque pietate. Remedium domus, nè ruat, est postis, qui eam sustentat: remedium rivuli, nè vagans deficiat, est alveus, qui eum coarctat: remedium lucernæ, nè extinguatur, est christallus, quæ eam servat: remedium debilis ægri est securitas cubiculi, vel etiam firmitas baculi: remedium gemmæ, auri, vel argenti, nè perdantur, est capsa, in qua clauduntur: remedium balsami, nè amittat suavitatem odoris, est operculum illud obturans, vel cingens: remedium denique infirmæ, & inermis ovis est secura maceria ovilis. Sic debilia defenduntur, sic fragilia sustentantur, sic tenuia non deficiunt. Meliùs, quàm prædicta, defendunt, fulciunt, & custodiunt nos remedia, quæ procedunt, veniunt,

(d) *Ioan. c.15.v.5.*

(e) *Matthæi, cap.11. vers.28.*

(f) *Serm.10.de verbis Domini.*

(g) *Tract. 81. in Ioann. sub medium.*

(h) *Iob, c.7.v.21.*

(i) *Psal.8. v.5. & 6.*

(j) *In Oratione 1.Officii, & Missæ Feriæ 5. post Dominicam Passionis.*

(k) *Ieremiæ, cap.8. vers.22.*

niunt, aut proveniunt nobis à Divina miseri-
(l) *Psalm.72. v.28. & in eodem Psalm. vers.27.* cordia. Ideo est necessarium rogare piissimum Dominum, ut remediis suæ misericordiæ subsistat fragilitas nostræ naturæ, quæ [quamvis sit pretiosa dignitas conditionis humanæ, utpote paulò minus ab Angelis minoratæ] est extremè
(m) *Eccli. c.2. v.16.* debilis, valdè infirma, & nimis fragilis: quotidie ideo atteritur magna infelicitate, & miseria: & peribit sua fragili conditione, nisi repa-
(n) *Luca, c.18. v.9. & 11. & 12.* retur quotidie à Divina clementia, & pietate. Oremus itaque Omnipotentem Deum, & præstabit, ac concedet, ut dignitas conditionis humanæ per immoderantiam sauciata, medicinalis parsimoniæ studio reformetur per Dei ad-
(o) *Psal. 48. v.7. & 14. & 16.* jutorium, cooperantibus nobis ex parte nostra: & ex parte Dei reparetur à Divina clementia, adjuvantibus remediis ejus misericordiæ, quæ ex ejus processerint gratia. Resina
(p) *Eccli.c.32.v.28.* est in Galaad, & medicus est ibi: [hoc est, remedia efficacia cõtra vitia sunt in Dei Ecclesia, quæ etiam habet plures spirituales medicos] ideoque fiet, ut obducta sit cicatrix filiæ populi Dei. No-
(q) *Eccli.c.34. v.15.* bis adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo nostro spem nostram, siquidem qui elongant se ab illo peribunt: & væ illis, qui perdi-
(r) *Psal.146. v.11.* derunt sustinentiam. Si volumus esse, ut publicanus, justificati, nolimus, sicut faciebat Pharisæus, in nobis confidere, tamquàm justi.
(s) *Psalm.32. v.19. & 20. & 21.* Non simus ex illis, qui confidunt in virtute sua, & in multitudine divitiarum suarum gloriantur. Hæc via illorum scandalum ipsis. Verumtamen Deus redimet animas nostras de manu inferi, cùm acceperit nos. Qui confidit in illo non minorabitur. Diligentes Deum, & eum
(t) *Sapientiæ, cap.3. vers.9.* filiali timore reverentes, faciamus, quòd spes nostra sit in salvantem nos; & oculi Dei in diligentes se erunt, quia beneplacitum est Domino

super

super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia ejus, & eruet à morte animas eorum. Anima nostra sustineat Dominum, quoniam adjutor, & protector noster est: quia in eo lætabitur cor nostrum, & in nomine sancto ejus sperabimus. Qui confidunt in illum intelligent veritatem, & fideles in dilectione acquiescent illi. Agnoscentes nos fragilitatem nostram tot periculis inimicorum spiritualium circumseptam, ad cadendum impulsam, & adeò ruinæ proximam, dicamus Domino: Convenerunt adversum nos, ut nos disperdant: tu scis quæ cogitant in nos. Quomodò poterimus subsistere ante faciem eorum, nisi tu Deus adjuves nos? Ignoramus quid agere debeamus. Domine Deus, ad te sunt oculi nostri, ne pereamus. Remediis utique misericordiæ Dei fragilitas nostra subsistet, si Deum verè timuerimus, & accedentes ad servitutem talis Domini, steterimus in justitia, & timore: nam quomodò miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum. Recordatus est, quoniam pulvis sumus: homo sicut fœnum dies ejus: tam quam flos agri, sic efflorebit. Quoniam spiritus pertransibit in illo, & non subsistet, & non cognoscet ampliùs locum suum. Misericordia autem Domini ab æterno, & usque in æternum super timentes eum. Verè misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Tales Deum timentes misericordiæ Dei remediis, ut illis promissum est, subsistere poterunt, quando ceciderint super peccatores carbones, & Dominus in ignem dejecerit eos: in miseriis non substiterint. Deus non projiciet simplicem: nec porriget manum malignis. Qui oderunt justum, induentur confusione, & tabernaculum impiorum

(u) 1. *Machabaor. c.3. v.52. & 53.*

(v) *Eccli. cap.2. v.1.*

(x) *Psalm.102. v.13. & 14. & 15. & 16. & 17.*

(y) *Luca, c.1. v.50.*

(z) *Psalm. 139. v.1.*

(aa) *Iob, cap.8. v.20. & 22.*

(bb) *Iob, c.24. v.24. & 25.*

(cc) *Isaia, c.17. v.13. & 14.*

(dd) *Psalm.20. v.*

(ee) *Psalm.30. v.22. & 23. & 24. & 25.*

rum non ſubſiſtet. Peccatores elevati ſunt ad modicum; & non ſubſiſtent, & humiliabuntur ſicut omnia, & auferentur, [& ſicut ſummitates ſpicarum conterentur. Injuſtus rapietur ſicut pulvis montium à facie venti, & ſicut turbo coram tempeſtate, ut Iſaias dixit, & juxta id, quod etiam ille ait, in tempore veſpere, & ecce turbatio: in matutino, & non ſubſiſtet. Speremus nos in Domino, & in miſericordia Altiſſimi non commovebimur, quia ipſe apponet remedia ſuæ miſericordiæ, ut ſubſiſtere poſſit noſtra fragilitas, & veniat nobis ſecuritas. Benedictus Dominus, quoniam mirificavit miſericordiam ſuam nobis in civitate munita, hoc eſt, in Sancta Eccleſia Romana. Exaudivit vocem orationis noſtræ, dum clamaremus ad eum. Diligite Dominum omnes Sancti ejus. Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum, omnes, qui ſperatis in Domino. Multùm egemus confortatione Divinæ miſericordiæ præ noſtra nimia fragilitate, quando maximè hæc quotidie atteritur ſua conditione. Sed confortemur in Domino, & in potentia virtutis ejus. Plùs valet reparatio clementiæ Divinæ conſtruere, & ſtabilire, quam deſtructio orta à fragilitatibus noſtris atterere, & demoliri. Multùm poteſt miſeria deſtructrix, ſed magìs gratia reparatrix. Non ita potens eſt totus mundus cum carnis illecebris, & dæmonis inſidiis ad noſtram fragilitatem quotidie atterendam, ac eſt Omnipotens Clementia Dei ad ipſam fragilitatem humanam reparandam. Eſt finitum quod nos deiicit: infinitum verò, & immenſum quod nos in bonum extollit. Impius facit opus inſtabile; ſeminanti autem juſtitiam merces fidelis. Clementia præparat vitam, & ſectatio malorum mortem. In hilaritate vultus Re-

(ff) *Ad Epheſ. c.6. verſ.10.*

(gg) *Proverb. c.11. verſ.18. & 19.*

(hh) *Proverb. c.16. verſ.15.*

(ii) *Pſalm.73. v.12.*

(jj) *Eccle. cap.1. v.4.*

(kk) *Pſalm.103. v.5.*

(ll) *Danielis, cap.3. verſ.74.*

Regis vita, & clementia ejus quasi imber serotinus. Itaque nostra fragilitas, etsi quotidie attrita, hilari vultu Regis Dei nostri, & per misericordiæ ejus remedia vivet, & subsistet, & reparabitur à clementia ipsius piissimi Regis, suis opportunis auxiliis. Deus Rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ; itaque nos reparabit ad hoc, ut salvemur, etiam in medio terræ fragilitatis nostræ miserè quotidie attritæ. Certum est, quòd terra in æternum stat: & quòd Deus fundavit terram super stabilitatem suam: ideo non inclinabitur in sæculum sæculi; sed ob acceptam stabilitatem benedicat terra Dominum, laudet, & superexaltet eum in sæcula: quia juxta Isaiam, ille noster Deus, qui mensus est pugillo aquas, & cœlos palmo ponderavit, idem ipse est, qui appendit tribus digitis molem terræ, & libravit in pondere montes, & colles in statera. Pater Æternus agricola est, & ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ: hoc est, justè expectat, quòd terra nostri cordis talibus beneficiis suæ misericordiæ & fulcita, & reparata, det fructum pretiosum perpetuæ actionis gratiarum: quia, cùm Dominus dederit benignitatem, est valdè æquum, quòd terra nostra det fructum suum, & justitia ante eum ambulet, & ponat in via gressus suos: itaque numquam à Dei laude cessemus. Hoc bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes. Non accidat nobis deficere in via hujus gratitudinis, quando Deus terram nostram, & misericordiæ suæ remediis facit [fragilem licet alioquin] subsistere, & fragilitatem nostram quotidie attritam non desinit clementia sua reparare: nè forte iratus Deus ob defectum perseverantiæ no-

(mm) *Isaiæ, cap. 43. vers. 12.*

(nn) *Ioannis, cap. 15. vers. 1.*

(oo) *Iacobi, c. 5. v. 7.*

(pp) *Psalm. 84. v. 13. & 14.*

(qq) *In Oratione post Communionem Missæ Dominicæ primæ post Pent.*

(rr) *Ad Galatas, cap. 6. v. 9.*

(ss) *Lib. 1. Commentar. in c. 5. Matthæi.*

nostræ in bono, ponat terram fructiferam in salsuginem, à malitia habitantium in ea: quia,
(tt) 2. Regum, cap. 1. vers. 21. juxta Sanctum Hieronymum, certè invenimus in Scripturis, urbes quasdam ira Victorum sale seminatas, ut nullum in ipsis germen oriretur: & nè faciat Creator Dominus, quòd velut
(uu) Proverb. c. 20. vers. 28. accidit montibus Gelboe, nec ros misericordiæ, nec pluvia clementiæ veniat super nos. Deo Supremo Rege hilari, & placato, consequemur vitam, & experiemur, quasi imbrem serotinum,
(vv) Psalm. 94. v. 3. immensam ejus reparatricem clementiam. Roboratur clementia thronus, ut ait Sacer textus: simus ergo throni Divini, ubi Deus per gratiam
(xx) Psalm. 46. v. 3. sedeat, ejus clementia roborati. Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnem terram non repellet plebem suam, & hæreditatem
(yy) Psal. 93. v. 14. suam non derelinquet, sed nos remediis suæ misericordiæ, atque reparatricis clemen-
(zz) Psal. 102. v. 3. tiæ ita corroborabit, ut possit nostra fragilitas subsistere, & possimus esse roborati throni suæ
(aaa) Psal. 109. v. 6. majestatis Divinæ. Ipse sanabit infirmitates nostras, quia ille est qui implet ruinas.



§. Se-

§. Secundus.

Pro Feria Sexta Quatuor Temporum Septembris.

ORATIO.

PRæsta, quæsumus, Omnipotens Deus, ut observationes sacras annua devotione recolentes, & corpore tibi placeamus, & mente. Per Dominum nostrum Jesum Christum, &c.

Explicatio ejus.



DEum decet hymnus in Sion, & ipsi reddetur votum in Jerusalem. Utinam exaudiat orationes nostras ille, ad quem omnis caro veniet: & sic benedicet coronæ anni benignitatis suæ, & campi ejus replebuntur ubertate: pinguescent speciosa deserti, & exultatione colles accingentur, siquidem induti sunt arietes ovium, & valles abundabunt frumento: clamabunt; etenim hymnum dicent. Ecce non obscurè hic describitur devotio, & intentio Sanctæ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ in sacris Observationibus Quatuor Temporum anni. In his, quotannis, & Deum laudat, & orat, quando etiam jejuniis, stationibus, aliisque piis operibus placat ipsius Majestatem Divinam. In hoc igitur tempore, præcipuè annuorum Quatuor Temporum, decet hymnus Deum in Sion, ani-

(a) *Psal.* 64. *v.* 2. & 3. & 12. & 13. & 14.

(b) *Psalm.* 45. *v.* 5.

(c) *Ad Galatas, c.* 4. *vers.* 26.

(d) *Serm.* 9. *de Jejunio* 7. *Mensis.*

ma, scilicet, & corpore cujuslibet personæ Catholicæ: & redditur votum Deo in Jerusalem, quæ est præsens Ecclesia militans, ut per ejus Observationes sacras fluminis impetus lætificet Civitatem Dei, ac alacritate perfundatur accidentalis gloriæ illa, felix Ecclesia triumphans, quæ sursum est Jerusalem, quæ libera est; quæ est mater nostra: quandoquidem Deus benedicit coronæ anni benignitatis suæ, & annuis beneficiis ditamur à Divina pietate. Audiatur Sanctus Leo Papa Magnus, qui ait: Quod dudùm & traditio decrevit, & consuetudo firmavit, nec eruditio ignorat, nec pietas prætermittit. Sed quia Sacerdotalis officii est, erga omnes Ecclesiæ filios curam habere communem, in id, quod & rudibus prosit, & doctis, quos simul diligimus, pariter incitamus: ut jejunium, quod nobis septimi mensis recursus indicit, fide alacri per castigationem animæ, & corporis celebremus. Ideo enim ipsa continentiæ observantia Quatuor est assignata Temporibus, ut in idipsum totius anni recursu cognosceremus, nos indesinenter purificationibus indigere: semperque esse nitendum, dum hujus vitæ varietate jactamur, ut peccatum, quod fragilitate carnis, & cupiditatum pollutione contrahitur, jejuniis, atque eleemosynis deleatur. Delectetur conscientia benignorum fructibus largitatis. Quarta igitur, & sexta Feria jejunemus: Sabbato verò apud Beatum Petrum Apostolum Vigilias celebremus: cujus nos meritis, & orationibus credimus adjuvandos, ut misericordi Deo jejunio nostro, & devotione placeamus. Hæc dicit Sanctus Leo de his Septembris Temporibus: qui etiam hæc habet sequentia verba loquens de Temporibus Decembris: Quod temporis ratio, & devotionis nostræ admonet consue-

(e) *Ioan. c. 4. v. 24.*

(f) *Ad Habreos, c. 4. vers. 12.*

(g) *In hymn. Laud. Festi Pentecostes, v. 1.*

(h) *In Oratione Officii, & Missa Dominica 24. post Pentec.*

suetudo, Pastorali vobis, Dilectissimi, solicitudine prædicamus, decimi mensis celebrandum esse jejunium, quo pro consummata perceptione omnium fructuum, dignissimè largitori eorum Deo continentiæ libamen offertur. Sed quia non solo jejunio animarum nostrarum salus acquiritur; jejunium nostrum misericordiis pauperum suppleamus. Impendamus virtuti quod subtrahimus voluptati. Fiat refectio pauperis abstinentia jejunantis. Studeamus viduarum defensioni, pupillorum utilitati, lugentium consolationi, diffidentium paci. Suscipiatur peregrinus, adjuvetur oppressus, vestiatur nudus, foveatur ægrotus: ut quicumque nostrum de justis laboribus Auctori bonorum Deo sacrificium hujus pietatis obtulerit, ab eodem regni cœlestis præmium percipere mereatur. Quarta igitur, & sexta Feria jejunemus. Sabbato autem apud Beatum Petrum Apostolum pariter vigilemus: cujus suffragantibus meritis, quæ poscimus, impetrare possimus, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre, & Sancto Spiritu vivit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen. Hucusque Papa hic Sanctissimus, & eloquentissimus, jure Magnus appellatus. Ex ejus hac doctrina liquidò constat, quas Observationes sacras annua devotione recolimus, & qua ratione Quatuor Tempora celebramus. In hac sexta Feria rogat Ecclesia Deum, dicens: Præsta, quæsumus, Omnipotens Deus, ut Observationes Sacras annua devotione recolentes, & corpore tibi placeamus, & mente. Aliud Ecclesia hic supponit, & aliud enixè petit. Supponit, nos devotione annuali Quatuor Temporum, observationes annuas recolere: petit à Domino, ut nobis concedat, quòd eidem Creatori, corpore placeamus, & mente.

(i) *Ierem. c. 5. v. 24. & 25. & 27. & 28. & 29. & 30. & 31.*

(j) *Ierem. c. 6. v. 12. & 13. & 19. & 20.*

(k) *Iudicum, c. 21. vers. 19.*

Obse-

Obsecrat, ut recolentes placeamus; quia absdubio Deo placebimus, si benè recoluerimus. Recolamus ergo rectè, ut Domino placere possimus integrè. Ita recolamus corpore, & anima, ut Deo omnium Auctori, carnisque, ac Spiritus Conditori, & corpore placeamus, & mente. Applicetur corpus jejunio cum extensione manuum ad pauperum subventionem, & succursum: addicatur, & admoveatur etiam anima ad orandum, & ad adorandum in spiritu, & veritate Deum nostrum fide firma, spe integra, & charitate perfecta. Inclinetur ad Religionis, & Divini cultus simul cum Christiana abstinentia, ac pœnitentia hoc potissimum Temporum tempore, corpus; & sermo Dei vivus, & efficax pertingat usque ad divisionem animæ, ac spiritus: & sic Domino nostro & corpore, & mente placebimus. Annuas Observationes recolamus, quando beata nobis jejunia anni reduxit orbita: & more Christiano piè celebremus Quatuor Anni Tempora devotione anniversaria. Præcipuè hoc exerceamus in istis Autumnalibus Temporibus pietatis Divinæ indicibus, siquidem vertunt in memoriam nostram collectionem fructuum utiliorum, & magis necessariorum ad sustentandam istam temporalem vitam. Ad hoc excitet Dominus suorum Fidelium voluntates, ut Divini operis fructum propensiùs exequentes, pietatis suæ remedia majora percipiant. Dicamus in corde nostro: Metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluviam temporaneam, & serotinam in tempore suo, plenitudinem annuæ messis custodientem nobis. Non simus ex illis, de quibus immediatè post immediatè relata verba apud Jeremiam dicitur: Iniquitates vestræ declinaverunt hæc: & peccata vestra pro-

(l) *Ad Colossens. c.3. v.5. & 8. & 9. & 12. & 13. & 14.*

(m) *Homil. 27. in Evangel.*

(n) *Serm. 256. de Tempore.*

prohibuerunt bonum à vobis. Quia inventi sunt in populo meo impii insidiantes, quasi aucupes, laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos viros. Sicut decipula plena avibus, sic domus eorum plenæ dolo: ideo magnificati sunt, & ditati. Incrassati sunt, & impinguati, & præterierunt sermones meos pessimè. Causam viduæ non judicaverunt: causam pupilli non direxerunt, & judicium pauperum non judicaverunt. Numquid super his non visitabo? dicit Dominus: aut super gentem hujusccemodi non ulciscetur anima mea? Stupor, & mirabilia facta sunt in terra: Prophetæ prophetabant mendacium: & Sacerdotes applaudebant manibus suis: & populus meus dilexit talia: quid igitur fiet in novissimo ejus? Post ista verba paulò post dicitur apud eumdem Ieremiam Prophetam: Transibunt domus eorum ad alteros, agri, & uxores pariter: quia extendam manum meam super habitantes terram, dicit Dominus. A minore quippe usque ad majorem omnes avaritiæ student: & à Propheta usque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum. Audi terra: Ecce ego adducam mala super populum istum, fructum cogitationum ejus: quia verba mea non audierunt, & legem meam projecerunt. Ut quid mihi thus de Sabba affertis, & calamum suave olentem de terra longingua? holocaustomata vestra non sunt accepta, & victimæ vestræ non placuerunt mihi. Hucusque Jeremias. Instauretur ergo in his temporibus jejuniorum, & jejuniis Quatuor Temporum Septembris Christianus Catholicus populus, meliùs, quàm antiquitus tribus Benjamin, per desponsationem cum virtutibus, tum Theologicis, tum moralibus, & ad hoc capiatur consilium, & dicatur: Ecce solemnitas Domini est anniversaria. Quia ta-

(o) *Luca*, c. 10. v. 27.

(p) *Ad Romanos*, c. 13. v. 10.

(q) *Proverb.* cap. 7. vers. 17.

talis consideratio faciet, quòd virtutum exercitium amantes, simus etiam Observationes sacras annua devotione recolentes. Sic Deo placebimus & corpore, & mente. Mortificemus membra nostra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam. Deponamus & nos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore nostro: expoliantes nos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum, eum, qui renovatur in agnitionem, secundùm imaginem ejus, qui creavit illum. Induamus nos ergo sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam: supportantes invicem, & donantes nobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam: sicut & Dominus donavit nobis, ita & nos. Super omnia autem hæc charitatem habeamus, quod est vinculum perfectionis. Quid hac doctrina Sancti Pauli magis aptum, & appositum ad virtutum omnium exercitium, & ad celebranda utiliter Quatuor Temporum jejunia? Consonat Sancto Paulo Magnus Doctor Sanctus Gregorius Papa, qui dicit: Omne mandatum de sola dilectione est, quia quidquid præcipitur, in sola charitate solidatur. Ut enim multi arboris rami ex una radice prodeunt, sic multæ virtutes ex una charitate generantur. Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis. Præcepta ergo Dominica & multa sunt, & unum: multa per diversitatem operis, unum in radice charitatis. Ergo Sanctorum Pauli, & Gregorii verbis instructi, observationes sacras annua devotione recolentes, & Deo placebimus corpore, & ipsi Domino etiam secundabimus mente. Ita can-

(r) *Sapientiæ, cap. 4. vers. 10.*

(s) *1. ad Corinth. c. 7. v. 33. & 34.*

(t) *Ps. 35. v. 7. & 8.*

(u) *Psalm. 72. v. 23.*

cantabimus Domino canticum novum, cantabit Deo omnis terra, quia, ut notavit Sanctus Doctor Augustinus, quod dixit Psalmista, canticum novum, hoc Dominus dixit, Mandatum novum. Quid enim habet canticum novum, nisi amorem novum? Cantare amantis est. Vox hujus Cantoris fervor est sancti amoris. Amemus, gratis amemus: Dominum enim amamus, quo nihil melius invenimus: ipsum amemus propter ipsum, & nos in ipso, tamen propter ipsum. Exequentes igitur, quæ audimus, Augustino Doctore, Deo placebimus corpore simul, & mente. Diligamus ergo Deum ex toto corde nostro, & ex tota anima nostra, & ex omnibus viribus nostris, & ex omni mente nostra: & proximos nostros, sicut nos ipsos: &, cùm plenitudo legis sit dilectio, & Deus diligentes se diligat, placentes Deo facti erimus dilecti. Non ergo simus divisi: cogitemus quæ Domini sunt, ut simus Sancti corpore, & spiritu: quia, si homines, & jumenta salvabit Dominus, quemadmodùm multiplicavit misericordiam suam Deus: hoc est, si Deus offert salvationem nostris animabus ratione utentibus, ac etiam nostris corporibus, quæ sunt quasi jumenta, & asini, æquum est, ut sperantes salvari in corpore, & anima, benignissima Dei misericordia, velimus observationes sacras annua devotione recolere, ut Deo animæ, ac corporis Salvatori corpore placeamus, & mente: non solùm, inquam, mente fungente munere rationali: sed etiam corpore, quod ut jumentum factum est apud Deũ, ut Corpus serviat quoad opera misericordię corporalia, ad externas Dei adorationes, pœnitentias, & maximè quoad jejunia ab Ecclesia hoc tempore Quatuor Temporum præscripta. Non sumus nostri: empti enim sumus pretio

(v) 1. *ad Corinth. c.6.v.19.*

(x) 2. *ad Corinth. c.5. vers.15.*

(y) 1. *ad Corinth. c.6. vers.20.*

(z) *Ad Romanos, c.12.v.1.*

(aa) *Eccli. cap. 30. vers.24.*

(bb) *Isaia, c.58.v.7*

(cc) *Psal.114.v.9.*

(dd) *Psal.141.v.6.*

tio magno: qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. Igitur glorificemus, & pòrtemus Deum in corpore nostro: glorificemus, nempe, servientes Domino in spiritu: & portemus Deum in corpore nostro, exhibentes corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium nostrum. Misereamur animabus nostris placentes Deo, & contineamus: congregemus cor nostrum in sanctitate ejus. Carnem nostram non despiciamus, quia qui non placet Deo, se ipsum, dum peccat, inferni suppliciis destinat, & ideò corpus, & carnem suam non aspicit, sed despicit, quando carnem in hoc sæculo adeo dilectam, in alio futuro, vult, despectam esse, & mancipatam ergastulo æterno. Eja, placeamus Domino in regione vivorum, ut portio nostra sit in terra viventium: nè collocemur in obscuris sicut mortui sæculi, & anxietur super nos spiritus noster, in nobis turbatum sit cor nostrum. Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. In nobis sint vota Dei, quæ reddamus laudationes illi. Quoniam eripuit animas nostras de morte, & pedes nostros de lapsu, ut placeamus coram Deo in lumine viventium: siquidem tempus beneplaciti Deo, ut beneplacitum sit ei in populo suo: quoniam gloria virtutis eorum ipse est, & in beneplacito suo exaltabitur cornu nostrum.

(ee) *Psalm. 142. v. 4.*

(ff) *Psalm. 52. v. 7.*

(gg) *Psal. 55. v. 12. & 13.*

(hh) *Psal. 68. v. 14.*

(ii) *Psalm. 149. v. 4.*

(jj) *Psalm. 88. v. 18.*

§. Ter-

§. Tertius.

Pro Sabbato Quatuor Temporum Septembris.

ORATIO.

O*Mnipotens sempiterne Deus, qui per continentiam salutarem corporibus mederis, & mentibus: majestatem tuam supplices exoramus, ut pia jejunantium deprecatione placatus, & præsentia nobis subsidia tribuas, & futura. Per Dominum nostrum Jesum-Christum Filium tuum, &c.*

Explicatio ejus.



Ui timet Deum faciet bona; & qui continens est justitiæ, apprehendet illam, & obviabit illi, quasi mater honorificata. Homines stulti non apprehendent illam, & homines sensati obviabunt illi. Non est speciosa laus in ore peccatoris: quoniam à Deo profecta est sapientia: sapientiæ enim Dei adstabit laus, & in ore fideli abundabit, & Dominator dabit eam illi. Omne execramentum erroris odit Dominus, & non erit amabile timentibus eum. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum; quod placuerit ei, dabitur illi. Oculi Domini ad

(a) *Eccli. c.15.v.1. & 2.& 7.& 9. & 10. & 13. & 18. & 20.*

(b) *Lib.1. de Serm. Domini in monte, sub initium.*

ad timentes eum, & ipse agnoscit omnem operam hominis.' Ex his Ecclesiastici verbis infertur, quantùm proficiat nobis ad bonum animæ, & corporis continentia salutaris. Ideo in hoc Sabbato jejunii Quatuor Temporum Septembris oramus dicentes: Omnipotens sempiterne Deus, qui per continentiam salutarem corporibus mederis, & mentibus: majestatem tuam supplices exoramus, ut pia jejunantium deprecatione placatus, & præsentia nobis subsidia tribuas, & futura. Simus ergo, juxta verba Ecclesiastici, continentes justitiæ, amantes salutarem virtutem, & continentiam præcipuè salutarem, ut salvet Deus corpus, & animam; quia Deus corporibus medetur, & mentibus per salutarem continentiam. Ex peccatis morbi generantur frequenter, dicit Sanctus Joannes Chrysostomus. Major est vis vitii, quàm veneni, ajunt Sanctus Basilius Magnus, & Sanctus Antonius Ulyssiponensis, vel Patavinus. Talia in infirmitatibus curandis, propter peccata patimur, ut diceret Sanctus Augustinus: Non sunt medicamenta ista, sed tormenta. O Deus benignus! qui suaviter per continentiam salutarem corporibus mederis, & mentibus, fortiter, suaviterque disponens omnia; forti abstinentia, & pœnitentia, & suavitate simul rectè facti, ac bonæ testimonio conscientiæ, utpote cauteriis, & lenitivis, nostris applicas opportunam medicinam animabus, & corporibus. Solus Deus novit congruentem suis temporibus generi humano exhibere medicinam, jure dixit amicus tuus Sanctus Doctor Augustinus. Contineamus igitur nos, Fratres, salutariter jejunantes, ut Deo placeamus: & sic corporibus, & animabus nostris providebimus, siquidem quod in corpore, & anima destruxerunt crapula, & gula, repa-

(c) *1. Regum, c. 21. v. 5. & 6.*

(d) *Homil. 79. in Matthæum, post initium.*

(e) *Eccli. c. 15. v. 4. & 6.*

(f) *Eccli. c. 21, v. 10. & 11. & 12. & 13.*

(g) *Ad Galatas, c. 5. vers. 23.*

reparabit salutaris continentia. Continuit se David, & accepit panem sanctum propositionis. In acriori bello, ut ait Sanctus Joannes Chrysostomus, tunc David vicit, qui se continens, à carnis oblectamentis, ac deliciis temperavit. Contineamus nos etiam, constantes, & constanter nosmetipsos vincentes, atque per abstinentiam triumphum de nobis portantes; & proponetur nobis sustentatio medicinæ cœlestis. Continentem justitiæ continebit justitia ipsa, & non confundetur. Jucunditatem, & exultationem thesaurizabit super illum, & nomine æterno hæreditabit illum. Stuppa collecta synagoga peccantium, & consummatio illorum flamma ignis. Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ. Qui custodit justitiam continebit sensum ejus. Consummatio timoris Dei sapientia, & sensus. Inter fructus Spiritus Sancti sunt fides, modestia, continentia, & castitas. Si in homine est fides viva, sequetur continentia salutaris, & castitas animæ, ac corporis. Inter fidem, & castitatem ponitur continentia, quasi à fide accipiat principium, & à castitate ornamentum. Fides, modestia, & castitas habent continentiam, quasi custoditam, quia clausam. Dum media ponitur à Sancto Paulo inter fidem, & castitatem continentia, ab utraque accipit splendorem, dum ambabus virtutibus videtur debere securitatem. Quàm benè secura erit continentia salutaris, dum conservaverit castitas ipsam, quam servaverit fides! Medebitur Deus corporibus Fidelium, & mentibus per continentiam salutarem, quæ à fide duxerit originem, & à castitate fulcimen, & splendorem. Si Deus dederit nobis continentiam salutarem, continentes facti, nè derelinquamus sapien-

(h) *Eccli. c. 6. v. 28. & 29.*

(i) *Sapient. c. 10. v. 1. & 2.*

(j) *Exodi, c. 25. v. 12. & 13.*

(k) *1. ad Corinth. c. 10. v. 11.*

(l) *Psalm. 44. v. 7.*

pientiam: in novissimis enim inveniemus requiem in ea, & convertetur nobis in oblectationem. Sapientia illum, qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodivit, & eduxit illum à delicto suo: & dedit illi virtutem continendi omnia. Per circulos, aut annulos aureos vectes de lignis setim tabulata in antiquo tabernaculo continebant. Omnia in figura contingebant Israelitis. Videtur hìc significari, quòd, ut simus tabernaculum Dei, juvat virga directionis, quæ nos continet incorruptibili setim, cum memoria æternitatis aureæ, & cœlestis adumbrata in ipsis annulis, sive circulis. Hac continentia salutari Deus Omnipotens Sempiternus nostris corporibus medetur, & mentibus, ut integrè sanemur, & salvi esse possimus. Ipsum Omnipotentem Deum desiderat Ecclesia pia iejunantium deprecatione placatum. Fortè faciem Domini non placavimus, sed si placaverimus, vel nunc, illum, ecce placatus faciet verbum nostrum. Speremus, quòd in his Temporibus Fideles revertentur ad Dominum. Sed potest accidere, quòd jejunemus, & non aspiciat Majestas Divina, si in die jejunii nostri invenitur voluntas nostra. Ideò necessarium est, ut Familia Dei, quæ se affligendo carnem ab alimentis abstinet, sectando justitiam à culpa jejunet. Corporali jejunio Deus vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur, & præmia. Ecce vitia comprimit: ideò mentem elevat, virtutem largitur, & præmia ille, qui præmium virtutis ipse est, ut ajebat Sanctus Augustinus. Et, ut etiam asserit Sanctus idem Doctor, Deus qui virtutem dedit, virtutis merces esse voluit: neque redderet coronam justus Judex, nisi anteà donasset veniam misericors Pater. Confidamus nos inventuros

(m) 1. *Regum*, c.13. *vers.* 12.

(n) 2. *Regum*. c.14. *vers.* 21.

(o) *Isaia*, c.58. v.3.

(p) *In Oratione Officii, & Missæ Feria secunda post Dominicam* 2. *Quadrag.*

(q) *In Præfatione Missarum Tempore Quadrages.*

(r) *De Civit. Dei*, *lib.* 22. c.30.

turos ad virtutem largiendam, & præmia, placatum, quem placat pia supplicatio, vel deprecatio verè, & benè jejunantium Fidelium. Universa propter semetipsum operatus est Dominus: ipse operabitur suam placationem, propter semetipsum, si nos concurrerimus jejunantes, & orantes ad eum placandum. Scit cognoscere transmigrationem Juda, quam emisit in terram Chaldæorum in bonum, & ponere oculos suos super eos ad placandum, & reducere eos, & ædificare eos, & non destruere: & plantare eos, & non evellere, & dare eis cor, ut sciant eum, quia ipse est Dominus: & erunt ipsi in populum, & ille erit eis in Deum: quia revertentur ad eum in toto corde suo. Ex his verbis, quæ sunt extracta à Jeremiæ prophetia, infertur, quòd Deus Omnipotens, qui per continentiam salutarem corporibus medetur, & mentibus, præstabit nobis Majestatem suam suppliciter deprecantibus, quidquid orantes petimus: ac pia jejunantium deprecatione placatus, & præsentia nobis subsidia tribuet, & futura. Qui cœlestia simul, & terrena moderatur, clementer exaudiet supplicationem servorum suorum, ut præsentibus subsidiis sufficienter adjuti, sempiterna fiducialiùs appetamus, & ut qui petentibus postulata concedit, eosdem non deserens ad premia futura disponat. Speremus à Deo virtutum, cujus est totum, quod est optimum, quòd tribuet nobis subsidia præsentia, & futura: quia largietur nobis subsidia præsentia, quibus alamur, & defendamur in hac vita mortali, & subsidia futura glorificationis in æterna beatitudine: & ita pro sua misericordia dabit nobis de rore cœli, & de pinguedine terræ. Hoc concedet noster Deus, & Dominus, quem debemus orare, & exorare, quia non est in alio aliquo salus.

SE-

(s) *Libro de Gratia, & libero arbitrio.*

(t) *Proverb. cap. 16. vers. 4.*

(u) *Ierem. c. 24. v. 5. & 6. & 7.*

(v) *In Oratione Officii, & Missæ Dom. 2. post Epiphan.*

(x) *In Oratione ad petendam pluviam.*

(y) *In Oratione Missæ pro gratiarum actione.*

(z) *In Oratione Officii, & Missæ Dom. 6. post Pentec.*

(aa) *Genes. cap. 27. vers. 28.*

(bb) *Actor. cap. 4. vers. 12.*

SECTIO IV.

Habet explanatas tres Orationes Officii, quæ primo loco dicuntur in Miſſis dierum Temporum Adventus, ſive Temporis Hiemalis.

§. Primus.

Pro Feria Quarta Quatuor Temporum Adventus.

ORATIO.

P*Ræſta, quæſumus, Omnipotens Deus, ut Redemptionis noſtræ ventura ſolemnitas, & præſentis nobis vitæ ſubſidia conferat, & æternæ beatitudinis præmia largiatur. Per Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum, &c.*

Explicatio ejus.

(a) *Pſalm.* 73. *v.* 4. & 8.



Loriati ſunt qui oderunt Deum in medio ſolemnitatis illius. Adeò execrabilia ſunt peccata eorum, qui ita frequenter Dominum in diebus Feſtivis offendunt, ut videatur, non Dei, ſed dæmoniorum feſta peragere;

(b) 1. *Joann.* c. 3. *v.* 8.

ac ſic, licèt non verbis, per ſua iniqua opera ferè dicunt: Quieſcere faciamus omnes dies feſtos Dei

Dei à terra. Ob hanc causam dæmones Deum odientes gloriantur in medio solemnitatis ipsius, gaudentes de Domini offensionibus, præcipuè in diebus festis, & in medio Dei solemnitatis commissis. In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli: & ut dicit Sanctus Bernardus, in magnifico opere reparationis nostræ Deus non solùm potentiam suam, sed & prudentiam ostendere voluit. Itaque Dominus noster, multiformis proditoris ars, ut artem falleret, voluit, ut medela ferretur inde, hostis unde læserat. Propter hoc adveniens Deus in hunc mundum ad genus redimendum humanum, diabolo contrarians, disposuit, quòd filiæ Dei, hoc est, devotæ animæ Deum amantes glorientur, & benè glorientur in medio solemnitatis Nativitatis ipsius quotannis nostræ memoriæ, ex Ecclesiæ determinatione, propositæ,& semper cum magnâ devotione,ac utilitate Fidelium repetitæ. De hac solemnitate Ecclesia Catholica loquitur in hac Feria quarta quatuor Temporum Adventus, quando præparans Fideles suos filios ad suscipiendum nostrum Redemptorem nobis in hoc Tempore Adventus propinquantem, & in repræsentatione nascentem, orat Patrem Æternum, dicens: Præsta, quæsumus, Omnipotens Deus, ut Redemptionis nostræ ventura solemnitas, & præsentis nobis vitæ subsidia conferat, & æternæ beatitudinis prę mia largiatur. Invocat Ecclesia, & rogat Deum Patrem Omnipotentem, dicens: Præsta, quæsumus, Omnipotens Deus. Sperat in ejus Majestate Divina, cum inclamat fruentem Omnipotentia: quia, ut Deus, potest dare adjutorium; ut Omnipotens, potens est tollere quodlibet concessionis obstaculum. Qui omnia potest, removebit piè quodlibet prohibens; qui

(c) *Homil. 2. super Missus est.*

(d) *In Hymno Matutini Dominicæ Passionis, vers. 3.*

(e) *Prov. c. 30. v. 7.*

(f) *3. Regum, cap. 2. vers. 20.*

(g) *In Oratione Officii, & Missæ Dominicæ 3. post Pentec.*

(h) *1. ad Corinth. c. 7. vers. 31.*

(i) *Ad Romanos, c. 6. vers. 22.*

(j) *Lucæ, c. 10. v. 41. & 42.*

(k) *Serm. 15. de Evangel. Matthæi, de Verbis Domini post initium.*

Divinitate potitur, sufficit ad misericorditer conferendum, & ad largiendum opportunum nostris necessitatibus auxilium. Idem est Omnipotens, qui Deus: idem Deus, qui Omnipotens; itaque omnipotenter dabit nobis auxilium sua Divina pietate, & misericordia; ac clementer, simulque misericorditer, nobis sua succurret Omnipotentia. Duo rogat Ecclesia Mater nostra cum Sapiente, Deum, dum dicit: Ut Redemptionis nostræ ventura solemnitas, & præsentis nobis vitæ subsidia conferat, & æternæ beatitudinis prœmia largiatur: itaque petens ista duo videtur Deum interpellare cum Salomone dicente: Duo rogavi te, nè deneges mihi. Et, quamvis tam magna sint, pro quibus orat, videtur dicere cum Bersabee: Petitionem unam parvulam ego deprecor à te, nè confundas faciem meam. Petit temporalia, quæ sint medium ad consequenda æterna, ut Deo rectore, Deo duce, sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna, & ut sint temporalia in usu, æterna in desiderio, ut etiam sint qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur, præterit enim figura hujus mundi; & quia propter quod unumquodque tale, & illud magis, principaliter quærit à Deo, & petit Ecclesia ea, quæ sunt spiritualia, & æterna, ad quæ vult, ut media ad finem, dirigere temporalia. Memoratur itaque Sancti Pauli pronuntiantis illam sententiam verissimam: Finem verò vitam æternam. Itaque quoniam non expedit turbari erga plurima, quando unum est necessarium, videlicèt, æterna salus; hoc unum intendit Ecclesia assequi, sine quo temporalia bona nullius sunt æstimationis, vel pretii. Tantùm petit unum Ecclesia, quæ principaliter solum desiderat Deum. Petitio est parvula, quamvis.

(l) *Matthæi, cap. 21. vers. 33.*

(m) *Ezechielis, c. 4. vers. 2.*

(n) 3. *Psal. 141. v. 8.*

(o) 1. *ad Timoth. c. 6. vers. 8.*

(p) *Ad Colossens. c. 2. vers. 9.*

(q) *Proverbior. c. 31. vers. 15. & 21.*

(r) *Baruch, c. 3. v. 38.*

(s) *Actorum, c. 10. vers. 38.*

(t) *Lucæ, c. 4. v. 40.*

(u) *Lucæ, c. 6. v. 19.*

vis, petitum maximum sit, & immensum, cùm petat Deum ipsum, qui est Deus noster, & omnia, ut optimè ad ipsum exclamabat Seraphicis ardoribus accensus ille magnus Patriarcha Sanctus Franciscus. Mendicans Dominum omnium ostenditur hodie Ecclesia. Omnes, quando oramus, mendici Dei sumus, ait Sanctus Augustinus, ante januam magni Patris familias stamus, immò & prosternimur, supplices ingemiscimus, aliquid volentes accipere, & ipsum aliquid ipse Deus est. En quomodò aliquid appellat Deum, qui est totum. Hoc totum mendicat, & mendicare docet ipsa Mater Ecclesia, & ejus petitio videtur parvula. Dum vineæ huic, animæ, scilicet, cujusque nostrum, sepem circumdedit Deus noster, quia spiritum corpore vallavit, & circumcinxit: dum ordinavit obsidionem adversus hanc Ierusalem, nempe, animam supremus Conditor noster, usquequò educat de custodia animas nostras ad confitendum nomini suo; necessaria nobis sunt pro conservanda mortali vita, subsidia aliqua temporalia. Ideo oramus hodie, ut Redemptionis nostræ ventura solemnitas [proxima, scilicèt, Nativitatis Christi repræsentandæ Festivitas sacra] præsentis nobis vitæ subsidia conferat; tum subsidium victus, & vestitus [quia habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus] ut det Deus Pater Æternus, & det etiam Humanitas Christi unita Divinitati [quia in Christo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter] det, inquam, Christus quoque intuitu repræsentationis sui Sacratissimi Natalis, cùm de nocte surrexerit, prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis, ut cùm omnes domestici ejus vestiti fuerint duplicibus, non timeat Domui suæ, id est, Populo Christiano, à frigoribus nivis:

(v) *Marci, c.7.v.37.*

(x) *Genes. c.2.v.16.*

(y) *Genes. c.3.v.2. & 21.*

(z) *Genes. c.6.v.21.*

(aa) *Genes. c.9.v.3.*

(bb) *Genes. c.21.v.15. & 17. & 18. & 19.*

(cc) *Exodi, cap.16. vers.13.*

(dd) *Exodi, cap.17. v.3. & 6.*

(ee) *1. Regum, c.21. vers.6.*

(ff) *4. Regum, c.19. vers.5. & 6.*

[& ita quos piè cibis necessariis aluerit, ac tegumento cinxerit, etiam clementer vestiri præcipuè gratia, & supervestiri gloria curet :] tum etiam petimus intuitu ipsius Natalis solemnitatis, subsidium corporalis salutis, siquidem Jesus, dum fuit visibiliter in mundo, quando in terris visus est, & cum hominibus conversatus est, miserans humano generi nostro, pertransiit benefaciendo, & sanando, quoniam Deus erat cum illo : & omnes, qui habebant infirmos, ducebant eos ad Jesum, & omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes : & benè omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui. Subsidia temporalia victus, & amictus dedit Deus in Paradiso Adæ, & Ævæ nostris prothoparentibus. Alimenta concessit providè tempore diluvii in Arca inclusis, & etiam ab ea egressis : Ismaeli sitienti in solitudine : populo egresso ex Ægypto per desertum ambulanti : David famelico : Æliæ à Jezabel fugitivo : Danieli in lacu leonum clauso : quatuor millibus, & iterum quinque millibus eorum, qui ipsum in desertis sustinebant, quando sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur, cùm antea in Cana Galileæ aquam vertisset in vinum. Sed quorsum tendit Ecclesia hodie, quando intuitu Nativitatis Christi in ejus solemnitate proximæ repræsentandæ, petit præsentis subsidia vitæ à Divina Majestate? Videtur quòd Ecclesia Catholica recordatione tam mirabilis Mysterii lætatur ejus interventione confisa : ut cujus suffragiis nititur, ejus natalitio glorietur. Deus factus homo didicit ex his, quæ passus est, & verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit: itaque in conspectu, ac recordatione suæ Nativitatis ter-

(gg) *Danielis, c.14. vers.36.*

(hh) *Marci, c.8. v.6. & 7. & 8. & 9.*

(ii) *Ioan. c.6. v.10. & 11. & 12. & in eodem cap. v.2.*

(jj) *Ioan. cap.2. v.8. & 9.*

(kk) *In Oratione Officii, & Missæ Sanctorum Mauritii, & Socior. Mart. die 22. Septembris.*

(ll) *Ad Hebræos, c.5. vers.8.*

(mm) *Isai. c.53. v.4.*

(nn) *Lucæ, cap.23. vers.41.*

(oo) *Isaiæ, cap.59. vers.12.*

terrenæ non solum movebitur ad nobis elargiendum æterna, sed ad etiam conferenda vitæ corporalis nostræ temporalia subsidia: & quando carentes alimentis, vestibus, & salute corporis, digna factis recipimus, & peccata nostra responderunt nobis, iram Judicis vincet Misericordia venientis ad nos in Natali Redemptoris. Sed, cùm præcipuè per Nativitatem Christi intendat Ecclesia nostram salvationem consequi, & æternæ vitæ nobis felicitatem comparare, curat orare, ut Redemptionis nostræ ventura solemnitas nobis æternæ beatitudinis præmia largiatur: ut nos Unigeniti Dei nova per carnem Nativitas liberet, quos sub peccati jugo vetusta servitus tenet, & ut natus Salvator Mundi, sicut Divinæ nobis generationis est Auctor, ita, & immortalitatis sit ipse largitor. Ille est benedictus, qui venit in Nomine Domini, Deus Dominus, & illuxit nobis, ut vita quæ erat lux hominum: quam tenebræ non comprehenderunt. Confiteamur illi, quoniam exaudivit nos, & factus est nobis in salutem: ac dùm descendit sicut pluvia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram, liberavit pauperem à potente, & pauperem, cui non erat adjutor: nam, & ille captus est qui captivum tenebat primum hominem, & portas mortis, & seras pariter Salvator noster disrupit: dextruxitque claustra inferni, & subvertit potentias diaboli. Diligamus ergò toto corde Christum Redemptorem nostrum: & quia benedicuntur in ipso omnes tribus terræ, omnes Gentes magnificent eum.

(pp) *In Oratione Officii, ac etiam tertiæ Missæ in die Nativitatis Domini nostri Iesu-Christi.*

(qq) *In Oratione post Communionem ejusdem Missæ tertiæ Festi Natalis.*

(rr) *Psal. 117. v. 26. & 27.*

(ss) *Ioan. cap. 1. v. 4. & 5.*

(tt) *Psal. 117. v. 28.*

(uu) *Psal. 71. vers. 6. & 12.*

(vv) *In Responsor. 4. Matutini Sabbati Sancti.*

(xx) *Psal. 71. v. 17.*

§. Secundus.

Pro Feria Sexta Quatuor Temporum Adventus.

ORATIO.

E*Xcita, quæsumus Domine, potentiam tuam, & veni: ut hi, qui in tua pietate confidunt, ab omni citiùs adversitate liberentur. Qui vivis, & regnas, &c.*

Explicatio ejus.



ILLE Dominus Deus, qui olim excitatus est tamquam dormiens, in furore, hodie postulatur excitari in mansuetudine: & qui in secundo Adventu suo ad mundum, judicans excitabitur in ira, nunc recordatione sui primi Adventus ad nostram Redemptionem, optatur excitandus clementia. Quando alibi excitatus est tamquam dormiens Dominus, percussit inimicos suos in posteriora: opprobrium sempiternum dedit illis: & cùm in futuro judicio loquetur ad reprobos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos, Deus ultionum Dominus, Deus ultionum liberè aget, exaltabitur qui judicat terram, reddet retributionem superbis. Sed nunc in Adventu ejus spirituali, quem memores ejus Nativitatis antiquæ secundum carnem in Bethlehem Judæ, desideramus, excitari petitur ipse Deus Dominus, ut misericors

(a) *Psalm. 77. v. 65.*
(b) *Ibidem, vers. 66.*
(c) *Psalm. 2. v. 5.*
(d) *Psalm. 93. v. 1. & 2.*
(e) *Psalm. 32. v. 6.*
(f) *Homil. 30. in Evangelia, post medium.*

cors, & pius. Ideo hodie dicimus ipsi Dei Filio, Deo de Deo, lumini de lumine, in Oratione hujus Feriæ: Excita, quæsumus Domine, potentiam tuam, & veni: ut hi, qui in tua pietate confidunt, ab omni citiùs adversitate liberentur. Qui rogatur, ut suam potentiam excitet, excitare se ipsum postulatur, quia potentia ejus est ipsa Divinitas illius. Multoties aliàs invocatur, ut Omnipotens: hîc, & nunc interpellatur, ut Potens. Omnipotentia utitur ad ea, quæ operatur ad extrà: Potentiam exercet, dum agit operationem ad intra. Operans ad extra Dei Filius creavit cœlum, & mundum: agens ad intra, cum Patre Æterno per modum unius principii, producit per aspirationem activam Spiritum Sanctum. Quid ergo, nisi Consolatorem ad solatium, & remedium nostrum, producet Filius Dei excitans suam Potentiam, ad nobis favendum præbendo Spiritum Sanctum in spirituali adventu, per proximam suam temporalem Nativitatem sacrosanctam? Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Verbum Domini Filius est Patris, ait Sanctus Gregorius Magnus. Spiritus Domini ornavit cœlos, & cœli enarrant gloriam Dei. Simus ergo nos cœli firmati in charitate de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, simul cum bona operatione, approximantes nos repræsentationi venienti Nativitatis Domini nostri Jesu-Christi, ut simus throni, & sedes illius, qui dicit: Cœlum sedes mea: quia anima justi sedes Sapientiæ, juxta Sanctum Gregorium Magnum, & cœlum est anima justi. Itaque, si anima cujusque nostrum sit justa, erit cœlum, & Sedes Verbi Divini Incarnati, & proximè, per repræsentationem ejus jam antè factæ Nativitatis, nasciturі. Tunc verbo,

(g) *Iob, cap. 26. v. 13.*

(h) *Psalm. 18. v. 2.*

(i) *Isai. cap. 66. v. 1.*

(j) *Homil. 29. in Evangel. post init.*

(k) *Isaiæ, c. 59. v. 2.*

(l) *Iosue, cap. 6. v. 11. & 12. & 13. & 14. & 20.*

(m) *Canticor. cap. 5. vers. 1.*

(n) *Ioan. c. 14. v. 23. & c. 15. v. 4. & 5.*

(o) *In Hymno Laudum Dominicarum, & Feriarum Adventus, v. 1. & 2. & 3. & 4.*

bo Domini cœli firmabuntur, quando Verbum Divinum propter nos caro factum moverit animas fideles, & justas expectantes ejus spiritalem adventum, ad suum obsequium, & firmum servitium: & cùm ille excitaverit suam potentiam ad veniendum, Spiritu oris ejus, tamquam cęli, omnibus stabiliti virtutibus, Fideles ipsi exultabunt. Spiritus idem Divinus eosdem tunc ornabit cęlos, & ideo cœli jam factæ, & taliter ornatæ animæ justæ, ennarrabant gloriam Dei. Excitet ergo Dei Filius suam potentiam, ex cujus excitatione speramus processurum Consolatorem ad nostrum solatium, & ab hoc Spiritu-Paraclito veniet nobis consolatio ad nostrum desiderium adimplendum; ut sic tamquam cęli firmati, & omni præditi ornamento, ac virtute vera suffulti, tam magnæ aptemur Natalis Domini Festivitati, & ennarremus gloriam Dei Filii ex Virgine opera Spiritus Sancti concepti, & mirabiliter nati. Ad hoc rogatur ergo Dominus Dei Filius, ut excitet suam potentiam, & veniat. Oramus & quòd potentiam suam excitet, & quòd veniens, nos adventu suo visitet. Priùs ponitur ejus potentiæ excitatio, & posteà adventantis ad corda, & animas nostras perventio. Non desideramus priùs, quòd veniat, & posteà, quòd excitet: sed petimus, quòd excitans ad nos appropinquet; nisi enim potentiam suam excitaret, neutiquam ad nos veniret. Iniquitates nostræ diviserunt inter nos, & Deum nostrum, & peccata nostra absconderunt faciem ejus à nobis, nè exaudiret. Prius est, Ducem maximum muros fortissimos urbis potenter tollere, quàm in eam ingredi, & intra eam triumphare. Ergo justum est, quòd muri Jerico illicò corruant, quando appropinquat repræsentatio partus Virginis, & consideratur Christus, ut

(p) *In Oratione Officii, & Missæ Dominica 4. Adventus.*

(q) *Malachiæ, c. 4. vers. 2.*

(r) *Matthæi, cap. 20. vers. 20.*

(s) *Psalm. 33. v. 6.*

(t) *Psalm. 36. v. 3. & 27.*

(u) *Psalm. 61. v. 9.*

(v) *Psalm. 124. v. 1. & 2.*

(x) *Psalm. 67. v. 16. & 17.*

(y) *Ioan. cap. 13. v. 1.*

ut manna verum, clausum intra celebrem, & veram Arcam Testamenti Mariam. Tollentur jam impedimenta, quæ nosmetipsi posuimus, & muri iniquitatum, quos [facientes nos indignos advētu Dei]extruximus,ab illo magnoDuce ex Bethlehem Iuda exeunte, populum Israel recturo, suam potentiam excitante, & gaudio sui adventus nos replente, simulque in nobis de peccatis nostris victis, & destructis triumphante. Juxta Sanctum Augustinum, coronat in nobis Deus misericordias suas. Ergo augens beneficiis beneficia, potentem misericordiam nobis clementer indulgendi coronet piissima gratia ad nos veniendi, animasque, ac corda nostra clementissimè visitandi. Veniat igitur dilectus noster in hortum suum: veniat,& mansionem faciat. En clara vox redarguit obscura quæque personans, procul fugentur somnia, ab alto Iesus promicat. Mens jam resurgat torpida, non ampliùs jacens humi, sidus refulget jam novum, ut tollat omne noxium. En Agnus ad nos mittitur laxare gratis debitum, omnes simul cum lacrymis precemur indulgentiam: ut cùm secundò fulserit, metuque mundum cinxerit, non pro reatu puniat, sed nos pius tunc protegat. Utinam ergo excitet Dominus potentiam suam, & veniat, & magna nobis virtute succurrat;ut per auxilium gratiæ suæ quod nostra peccata præpediunt, indulgentia ipsius propitiationis acceleret. Timeamus Deum, & parati simus, ut oriatur nobis timentibus nomen Dei Sol justitiæ Christus Dominus, & sanitas in pennis ejus. Orat igitur pro spirituali ad nos Dei adventu pia Mater Ecclesia accedens ad Jesum cum nobis filiis suis, adorans, & petens aliquid ab eo, dum illam audimus dicere: Excita, quæsumus Domine, potentiam tuam, & ve-

(z) *Matthæi, cap. 28. vers. 20.*

(aa) *Psal. 114. v. 2.*

(bb) *Zachar. c. 2. v. 4. & 5.*

(cc) *Ps. 79. v. 3. & 8.*

(dd) *Isaiæ, c. 63. v. 1.*

(ee) *Psalm. 72. v. 28.*

(ff) *Psal. 61. v. 11.*

(gg) *Psalm. 36. v. 7.*

(hh) *Iacobi, cap. 1. vers. 17.*

(ii) *Exodi, c. 8. v. 19.*

(jj) *Lucæ, c.1.v.51.* & veni; quia scit, quòd si accesserimus ad Dominum, illuminabimur, & facies nostræ non confundentur. Piè petit Ecclesia, dum appropinquat ad Iesum adorans; accedit adorans, quia venit, unionem cum Filio Dei per gratiam, &
(kk) *Psal.143. v. 7.* amicitiam desiderans: quandoquidem post charitatem supponentem alias Theologales, nulla est virtus, quæ magis Deo nos uniat, quàm Religio, virtus nobilissima inter Morales, Dei
(ll) *Ad Hæbræos, c.1.v.1. & 2.* adorationem docens. Religet nos Religio uni Omnipotenti Deo, ait Angelicus Doctor. Quando Ecclesia adorans accedit, firmiter confidit, & consequi sperat quod petit. Itaque exemplo tantæ Matris speremus in Domino, & faciamus bonitatem; declinemus à malo, & facia-
(mm) *Psalm. 117. v.23. & 24.* mus bonum; & inhabitemus in sæculum sæculi. Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra; Deus adjutor noster in æternum; nam qui confidunt in Domino, sicut mons Sion [id est, sicut Ecclesia Catho-
(nn) *Iudith, cap. 16. vers.24.* lica, quæ est Sion, mons Dei, mons pinguis, mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, etenim Dominus habitabit in finem, quia Christus, qui, cùm dilexisset suos, in finem dilexit
(oo) *Ad Philippenses, c.4.v.4. & 5.* eos, voluit Ecclesiæ dicere: Et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi] Qui confidunt, inquam, in Domino sicut mons Sion, non commovebitur in æternum qui habitat in Jerusalem. Montes in circuitu ejus; & Dominus in circuitu populi sui ex hoc nunc, & usq;
(pp) *Iacobi, c.1.v.21.* in sæculum. Itaque absque muro habitabitur Ecclesia, vera Jerusalem; & Dominus erit ei murus ignis in circuitu; & in gloria erit in medio ejus. Ecce quomodo excitans potentiã suã, & veniens
(qq) *Ioannis, c.3. vers.17.* ad visitandum, & liberandum, vel salvos faciendos nos Dominus Deus virtutum, & ostendens faciem suam, ut salvi simus; obtinebit accidenta-

lem

lem gloriam iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ: & nobis adhærere Deo bonum erit: ponere in Domino Deo spem nostram, si simul nolimus sperare in vanitate, sed subditi simus Domino, & oremus eum: à quo, ut à Patre luminum, descendit omne datum optimum, & omne donum perfectum. Mirabile Mysterium, proximè repræsentandum in Festo Nativitatis Christi, docet nos, quòd digitus Dei est hic, dum fecit Deus potentiam in brachio suo, & emisit manum suam de alto: &, quòd etiam multifariàm, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio. Verè à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris, cùm hæc dies ventura Nativitatis sit dies, quam fecit Dominus, & debeamus exultare, & lætari in ea; ac populus debet esse jucundus secundum faciem sanctorum; & gaudentes in Domino semper, curemus, quòd modestia nostra nota sit omnibus hominibus: Dominus enim prope est. Totum hoc fiet, si abjicientes omnem immunditiam, & abundantiam malitiæ [quando Verbum Divinum arbori nostræ naturæ in Virgine, & ex Virgine Sacratissima Maria est conjunctum, unitum, & insitum] susceperimus insitum verbum, quod potest salvare animas nostras, quia in primo adventu non misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum: & si in repræsentatione annuali Natalis illius, Divina sua aspirante gratia, nos benè præparaverimus, veniet Dominus visitare nos in pace, ut lætemur coram illo corde perfecto. Itaque felices fient, qui quasi terra bene aptata, & frugifera, in corde bono, & optimo audientes verbum retinuerint, & fructum attu-

(rr) *In Antiphona ad Magnificat pro primis Vesp. Dom. 2. Advent.*

(ss) *Lucæ, c. 8. v. 15.*

(tt) *Ad Ephesios, c. 6 v. 10.*

(uu) *Psalm. 21. v. 9.*

(vv) *Psalm. 35. v. 8. & 9. & 10. & in eodem Psal. vers. 7. & 11. & 13.*

(xx) *Eccli. c. 2. v. 18.*

(yy) *Ad Ephesios, cap. 4. v. 17. & 18. & 19.*

lerint in patientia. Prædicta hi excitatione potentiæ Filii Dei adjuti,& per ejus spiritualem adventum confortati in Domino, & in potentia virtutis ejus, utpote qui in ejus pietate confidunt, ab omni citiùs adversitate liberabuntur, quando à Dei Filio petit Ecclesia hodie, ut hi, qui in sua pietate confidunt, ab omni citiùs adversitate liberentur: quia si homo Christianus speraverit in Domino, Deus eripiet eum: salvum faciet eum, quoniam vult eum. Necessaria est confidentia in Dei pietate superna, ut idem ipse, qui vult nos, & ardenter amat, operetur mirabilia. Itaque, si filii hominum in tegmine alarum Dei sperabunt, inebriabuntur ab ubertate domus ejus; & torrente voluptatis suæ potabit eos: quoniam apud illum est fons vitæ, & in lumine Domini videbimus lumen, siquidem multiplicavit misericordiam suam Deus,& oratur, ut prætendat misericordiam scientibus se, & justitiam suam his, qui recto sunt corde; sed ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem; expulsi sunt, nec potuerunt stare. Væ ergo illis, qui perdiderunt sustinentiam, qui propterea ceciderunt operantes iniquitatem maximam. Hi sunt, de quibus scriptum est: Ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum, qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam. Gaudeant igitur qui, Deo adjuvante, non desperant, sed habentes fidem, & charitatem, in Filii Dei pietate confidunt: quia ab omni citius adversitate per adventum Jesu liberabuntur. Navicula, ubi erant fidentes anteà in pietate Christi ejus discipuli, in medio mari jactabatur fluctibus, erat enim contrarius,

(zz) *Matthæi, c.*14. *v.*24. & 25. & 27. & 32. & 33.

(aaa) *Psalm.*22.*v.*1. & 3. & 4.

(bbb) *Psalm* 62.*v.*4. & 8. & 9. & *in eodem Psal. v.*5. & 6. & 10. & 11.

rius ventus. Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare ipse Christus, qui dixit illis. Habete fiduciam, ego sum, nolite timere: cessavit ventus. Qui autem in navicula erant venerunt, & adoraverunt eum dicentes: Verè Filius Dei es. Sanè, dum Dominus rexerit nos, nihil nobis deerit: & cùm animas nostras converterit: & deduxerit nos super semitas justitię propter nomen suum felicitabimur: nam, & si ambulaverimus in medio umbræ mortis, nō timebimus mala, quoniam ipse nobiscum est. Et cùm talem habuerimus adjutorem, quem debent labia nostra laudare, quoniā melior est misericordia ejus super vitas, in velamento alarum suarum exultabimus, adhærebunt animæ nostræ post ipsum, nos suscipiet dextera ejus. Sic benedicemus eum in vita nostra, & in nomine suo levabimus manus nostras, & labiis exultationis laudabunt ora nostra. Sed miseri desperantes, qui in Filii Dei Jesu-Christi pietate non confidunt, introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladii partes vulpium erunt. Notanter dicitur in oratione hodierna: Ut hi, qui in tua pietate confidunt, ab omni citiùs adversitate liberentur: quia non solùm illos Filius Dei ab omni adversitate liberabit, sed citiùs eripiet, absque mora tutabitur, & festinanter defendet. Non tardat Deus promissiones suas: itaque, cùm dixerit: Quoniam in me speravit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum: clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum; curabit celeriter, & quàm primùm Fideles ab omni adversitate eruere ille Deus piissimus, qui videt pias animas in sua pietate conndere: non elongabit auxilium.

(ccc) 2. *Petri, cap.* 3. *vers.* 9.

(ddd) *Psal.* 90. *v.* 14. *&* 15.

(eee) *Psal.* 21. *v.* 20. *&* 21. *&* 22.

lium suum ab eis: ad defensionem earum con-
(fff) *Psal.68.v.15.* spiciet: velociter exaudiet justos Dominus:
eruet à framea animas eorum: de ore leonis
salvabit eos; eripiet eos de luto, ut non infi-
(ggg) *Ps.108.v.31.* gantur: salvas faciet à persequentibus animas
illorum: liberabit eos ab his, qui oderunt eos,
& de profundis aquarum. Ita piissimus Redem-
ptor erit confidentes in ejus pietate remunerans,
(hhh) *Psal.68.v.15.* cùm in spirituali adventu visitaverit suos, ipsos
ab omni adversitate animæ, & corporis immu-
nes faciens, & liberans. Eripiet eos sua clemen-
(iii) *Luca,c.1.v.68.* tia, & benignitate Dei Filius Jesus-Christus,
qui est benedictus Deus Israel, quia visitavit, &
fecit redemptionem plebis suæ.



S.Ter-

§. Tertius.

Pro Sabbato Quatuor Temporum Adventus.

ORATIO.

D*Eus, qui conspicis, quia ex nostra pravitate affligimur: concede propitius, ut ex tua visitatione consolemur. Qui vivis, & regnas, &c.*

Explicatio ejus.



Eus homo, qui vidit afflictionem populi sui in Ægypto, & descendit, ut liberaret eos de manibus Ægyptiorum, conspicit profectò, quia ex nostra pravitate affligimur: & pro ipsius Christi spirituali ad nos Adventu orat hodie Ecclesia eumdem verè propitium, ut ex ejus visitatione consolemur. Fiat, fiat id, ad quod piè Ecclesia hodie nos nostrumRedemptorem facit inclamare, & sine quo non poterimus subsistere. Ob hoc dicimus: Deus, qui conspicis, quia ex nostra pravitate affligimur: concede propitius, ut ex tua visitatione consolemur. Utique conspicit Christus, quia affligimur ex pravitate nostra, cùm comprehenderint nos iniquitates nostræ, & non potuerimus, ut videremus: afflicti sumus, & humiliati sumus nimis, rugiebamus à gemitu cordis nostri. Sed in tali afflictione ante Dominum fuit, simulque est,

(a) *Exodi, cap. 3. v. 7. & 8.*

(b) *Psalm. 39. v. 13.*

(c) *Psalm. 37. v. 9. & 10.*

(d) *Psalm. 56. v. 2. & 3. & 4. & 5. & 12.*

(e) *Genes. c. 1. v. 31.*

est, omne desiderium nostrum, & gemitus noster ab eo non est absconditus, si quisque no-
(f) *Genes. c.6. v.5.* strum dicat: Miserere mei, Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea: & in
(g) *Psalm.72.v.1. & 6. & 7.* umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas: clamabo ad Deum Altissimum, Deum, qui benefecit mihi. Tunc sanè mittet de cœlo, & liberabit nos, dabit in opprobrium
(h) *Psalm.76.v.10.* conculcantes nos. Mittet Deus misericordiam suam, & veritatem suam, & eripiet animas nostras de medio catulorum leonum, hoc est,
(i) *Matthæi, cap.9. v.12. & 13.* iniquitatum, & peccatorum, de quibus est dictum nobis: Quasi à facie colubri fuge peccata, & si accesseris ad illa apprehendent te. Dentes utique peccati dentes leonis, & molares ejus, ut catuli leonis. Hac obtenta in nobis, & pro
(j) *Lucæ, c.15.v.20. & 22. & 23. & 24.* nobis victoria, exaltabitur super cœlos Deus, & in omnem terram gloria sua. Initio mundi, & tempore creationis vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona: posteà conspiciens
(k) *Psal.118.v.103. & 104. & 106.* vidit, quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore. Nunc etiam conspiciens,
(l) *Psalm.30.v.20.* quia ex nostra affligimur pravitate, ille valdè bonus Deus Israel his, qui recto sunt corde: vi-
(m) *Psalm.24. v.8. & 9. & 10.* det, quòd peccatores operti sunt iniquitate, & impietate sua, dum prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum: transierunt in affectum cordis:
(n) *Psalm.146. v.7.* sed non ideò obliviscetur misereri Deus, nec continebit in ira sua misericordias suas: immò visitabit nos, quia non est opus valentibus Me-
(o) *Ad Colossens. c.3. vers.16.* dicus, sed malè habentibus, non enim venit vocare justos, sed peccatores: qui etiam, ut vidit prodigum miserè à sua pravitate afflictum, misericordia motus est, ut verus Pater ipsius,
(p) *Ad Hebræos, c.11, v.6.* & accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum: & dixit ad servos suos: Citò proferte

ferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manu ejus, & calceamenta in pedes ejus: & adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus est. O Domine misericordissime, quàm dulcia faucibus nostris eloquia tua, super mel ori nostro! ut te diligentes toto vitæ nostræ sequentis tempore, volentes emendare præteritam; à mandatis tuis intelligamus: proptereà odio habeamus omnem viam iniquitatis, juremus, & statuamus custodire judicia justitiæ tuæ. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te! perfecisti eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum. Verè, fratres, dulcis, & rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via, diriget mansuetos in judicio, docebit mites vias suas. Universæ viæ Domini misericordia, & veritas requirentibus testamentum ejus, & testimonia ejus. Itaque præcinentes Domino in confessione, psallentes Deo nostro in cythara, serviamus ei cum cantico in verbo, sicut explicat Sanctus Augustinus, in cythara in opere: scilicet, in gratia cantantes in cordibus nostris Deo, fidem habentes veram Catholicam Apostolicam Romanam, sine qua fide impossibile est placere Deo [& cum ea corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, & si verè invocaverimus eum, in quem credimus, qui dicit: Invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me: ipse affliget affligentes nos, hoc est, destruet nostras pravitates, conspiciens, quòd ex nostra pravitate affligimur: surget, & opitulabitur nobis, & in necessitate nos proteget:] &

(q) *Ad Romanos, c.10.v.10.*

(r) *Psalm.49. v.15.*

(s) *Exodi, cap.23. vers.22.*

(t) *Deuteron.cap.32. vers.38.*

(u) *Homil. 16. in Evang. post medium.*

(v) *Psalm.118.v.15. & 16.*

(x) *Psalm.37.v.19.*

(y) *1.Ioannis, c.1. vers.9.*

quia secundum Sanctum Gregorium Magnum, ille verè credit, qui exercet operando quod credit, psallamus Deo nostro in cythara bonæ operationis qui præcinerimus ei verbis fidei Catholicæ confessionis, velut David, qui psallebat manu sua, & dicebat: In mandatis tuis exercebor, & considerabo vias tuas, in justificationibus tuis meditabor, non obliviscar sermones tuos. Si iniquitatem nostram annuntiaverimus, & cogitaverimus pro peccato nostro: &, si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus, & justus, ut dimittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate, nos, scilicet, qui advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Itaque speret in eo cor nostrum, & adjuti erimus; subditi simus Dei Filio, & oremus eum, ut qui conspicit, quia ex nostra pravitate affligimur, concedat propitius, ut ex sua visitatione consolemur. Tunc vitam, & misericordiam tribuet nobis Dei Filius, & visitatio sua custodiet spiritus nostros: & sic poterit quisque nostrum habens fidem veram, & charitatem non fictam, audire à Redemptore nostro illam jucundam vocem: Ponam visitationem tuam pacem. Non audietur ultrà iniquitas in terra nostra, vastitas, & contritio in terminis nostris, & occupabit salus muros nostros, & portas nostras laudatio: erit nobis Dominus in lucem sempiternam, & Deus noster in gloriam nostram. Non occidet ultrà sol noster, & luna nostra non minuetur, quia erit nobis Dominus in lucem sempiternam, & complebuntur dies luctus nostri. Ipse Dominus in tempore ejus subitò faciet istud. Verè in hoc Adventus tempore proximo Festivitati magnæ Nativitatis jucundæ Jesu Christi, ju-

(z) 1. *Ioan.* c.2. v.1. & 2.

(aa) *Psalm.* 27. v.7.

(bb) *Psalm* 36. v.7.

(cc) *Iob*, c.10. v.12.

(dd) 2. *ad Corinth.* cap.6. v.6.

(ee) *Isaia*, cap.60. v.17. & 18. & 20. & 22.

(ff) *Michaæ*, cap.7. vers.4.

(gg) *Osee*, c.9. v.7.

juxta Michæam, visitatio nostra venit: secundùm Oseam, venerunt dies visitationis, & visitatio super Jacob: & juxta Ezechielem, appropinquaverunt visitationes urbis, dum civitatem animæ in ejus Nativitate vult visitare Rex cœlestis. Qui visitavit terram, & inebriavit eam, multiplicavit locupletare eam, ac sic lætata est deserta, & invia, & exultavit solitudo, & floruit quasi lilium, dum Deus ipse venit, & salvavit nos in Nativitate sua nobis veniens [juxta Sanctum Augustinum, qui dicit: Tibi nascendo Christus advenit, & secundùm Doctorem Angelicum Sanctum Thomam Aquinatem de Christo dicentem: Se nascens dedit socium: & juxta Romanum Martyrologium, in quo dicitur, quòd Christus est natus, mundum volens adventu suo piissimo consecrare.] Ille ipse Dominus ejus, qui tunc ea fecit, idem ea nunc quoque facit, ut loquitur Sanctus Ambrosius: itaque in adventu Christi spirituali, ac in ejus Nativitate quotannis nobis repræsentata nos visitans Redemptor noster, si dignos, & benè præparatos invenit, repetit beneficia, quæ fecit orbi in sua vera Nativitate: & quando dictum fuerit pusillanimis: Confortamini, & nolite timere: Deus ipse veniet, & salvabit vos, erit ibi semita, & via, & via sancta vocabitur. Non erit ibi leo, & mala bestia non ascendet per eam, nec invenietur ibi: nam Jesus, qui conspicit, quia ex nostra pravitate affligimur, concedet propitius, ut ex sua visitatione consolemur. Ideoque, beneficiis hujus visitationis acceptis, ambulabunt qui liberati fuerint: & redempti à Domino convertentur, & venient in Sion cum laude: & lætitia sempiterna super caput eorum: gaudium, & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor,

(hh) *Osee, c. 12. v. 2.*

(ii) *Ezechielis, c. 9. vers. 1.*

(jj) *Psalm. 64. v. 10.*

(kk) *Isaia, c. 35. v. 1. & 4.*

(ll) *In Hymno Laudū Solemnitatis SS. Corporis Christi, v. 4.*

(mm) *Octavo Kalendas Januarii, circa medium.*

(nn) *Lib. 4. de Sacramentis, cap. 4.*

lor,

lor, & gemitus. Quando qui ex nostra pravitate affligimur, ex Christi nati visitatione consolati fuerimus, poterimus clamare: O Domine pater noster, Redemptor noster: & jucundè, ac lætanter debebimus dicere magna voce: Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ. Sed, ò Domine Deus noster, quid est homo, quòd memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum? Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? Visitas eum diluculò, & subitò probas illum. Proba nos Domine, & tenta nos: ure renes nostros, & cor nostrum. Probasti nos apud aquam contradictionis, quia contradicentibus tibi pravitatibus nostris, quæ nos habebant in loco afflictionis, dum cooperuit nos umbra mortis, & sicut onus grave gravatæ sunt super nos iniquitates nostræ: tamen tu divertisti ab oneribus dorsum nostrum, in tribulatione invocavimus te, & liberasti nos: & exaudisti nos in abscondito tempestatis. Hac tua visitatione pia, Domine, invitati, & illius utilitatum magnarum amore affecti, valebimus tibi dicere: Intende ad visitandas omnes gentes, non jam, ut non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem; sed potiùs, ut qui conspicis, quia ex nostra pravitate affligimur, concedas propitius, Redemptor noster Jesu, ut ex tua visitatione consolemur. Visita nos diluculò, & proba nos: visita, ut probes, & probos nos faciat tua omnipotens, & misericors dextera, urens renes nostros, & corda nostra. Aspice in nos, & miserere nostri, secundum judicium diligentium nomen tuum. Gressus nostros dirige secundùm eloquium tuum, & non dominetur nostri omnis injustitia.

(oo) *Isaiæ, c.* 35. *v.* 4. *&* 8. *&* 9. *&* 10.
(pp) *Psalm.* 63. *v.* 16.
(qq) *Lucæ, c.* 1. *v.* 68.
(rr) *Psalm.* 8. *v.* 5.
(ss) *Iob, cap.* 7. *v.* 17. *&* 18.
(tt) *Psalm.* 25. *v.* 2.
(uu) *Psalm.* 80. *v.* 8.
(vv) *Psal.* 43. *v.* 20.
(xx) *Psalm.* 37. *v.* 5.
(yy) *Psalm.* 80. *v.* 7. *&* 8.

tia. Faciem tuam illumina super servos tuos, & docce nos justificationes tuas. Voces nostras audi secundum misericordiam tuam Domine, & secundum judicium tuum vivifica nos: quia propè es tu Domine, & omnes viæ tuæ veritas. Eructabunt labia nostra hymnum, cùm docueris nos justificationes tuas.

(zz) *Psalm.* 58. *v.* 6.

(aaa) *Ps.* 118. *v.* 132. & 133. & 135. & 149. & 151. & 171.



CA-

CAPUT SECUNDUM,

In quo ponuntur, & explicantur omnes aliæ Orationes, quæ in Proprio de Tempore assignantur dicendæ in omnibus Missis dierum Quatuor Temporum, Veris, Æstatis, Autumni, & Hiemis: quæ quidem Orationes explanantur stilo sententiali: & breviter earum explicatio exaratur, nè fastidium illam legentibus generetur.

SECTIO PRIMA,

Habet explanatas, præter primas, omnes Orationes Missarum trium dierum Quatuor Temporum Quadragesimæ, sive Temporis Verni.

§. Primus.

Pro Feria quarta Quatuor Temporum Quadragesimæ.

Oratio prima hujus Feriæ (quæ est eadem Officii) manet apposita, & explicata suprà, cap. 1. sect. 1. §. 1. in hac 2. part. pag. 247.

Oratio secunda Missæ hujus Feriæ.

D*Evotionem populi tui, quæsumus Domine, benignus intende: ut qui per abstinentiam macerantur in corpore, per fructum boni ope-*

ni operis reficiantur in mente. Per Dominum nostrum, &c.

Explicatio.



Odie petimus, Deum intendere benignum devotionem populi sui, quem ipse fecit devotum; quia neutiquam devotione populus potiri, aut gaudere posset, nisi devotio illi à Dei misericordia emanasset. Est populus maxima obligatione erga Deum constrictus, quia devotus est effectus; & est devotus, quia ob Dei beneficia manet ad habendam devotionem obligatus. Dei benefacta excitaverunt devotionem erga benefactorem Dominum, qui est in largiendo mirificus, & in gratiarum distributione profusus. Devovet se Domino suus populus per jejunium, ut peccatum arceat, & cohibeat, ac ita Domino devotus placeat. O devotio utilis, quæ talia per jejunia consequeris! Si Deus hanc devotionem populi sui, ut hodie exoratur, intendat benignus, prosperos successus lucrabitur Christianus populus; siquidē qui per abstinentiam macerantur in corpore, per fructum boni operis reficientur in mente. Benè erit fructu boni operis in mente refectis, quamvìs per abstinentiam in corpore maceratis: quandoquidem refectio mentis erit æterna pro corporis maceratione temporaria. Felix abstinentia talem refectionem paritura! Optimum præmium mentis impinguatio, pro exercito pœnali jejunio! Gaudium refectionis mentis per fructum boni operis, oblivisci faciet rigorem macerationis pœnalis. Corpus cum mente lucrum æternaliter consequetur brevis macerationis, & jejunii. Inveniet itaque devotus populus in beata requie dulciora oblectamenta, quàm fuerint asperi, & amari rigores macerationis temporalis, atque exerciti jejunii.

Ora-

cationis acceptis, & absolvet Dominus nostra delicta, & diriget corda nostra: ac sic nos eripiet à profunditate infernalis barathri, & perducet ad altitudinem Cœli.

Oratio post Communionem.

T*Ui Domine perceptione Sacramenti, & à nostris mundemur occultis, & ab hostium liberemur insidiis. Per Dominum, &c.*

Explicatio.



DEI est præcipuè, & cum omni proprietate Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, verèque est opus Divinum. Divinam rem accipit is, qui talem panem recipit. Sacramentum percipitur, sed mysterium non comprehenditur, quia Divina res fugit comprehensionem, ex eo, quòd portat immensitatem. Ore aperto ad recipiendum cęlestem panem, adhuc est clausa mens humana, talia non potens penetrare mysteria, quæ sua altitudine capacitatem nostram pervolant, & intellectum etiam Angelicum superant. Sed quid interest, quòd nequeamus Sacramentum cognitione penetrare, si nobis donatur ejus perceptione frui? Sufficit, ut sit solatium nostrum cœlestis panis, quòd cum charitate vera recipiamus, & fide forti, vivaque veneremur. Si hoc fecerimus percipientes hoc Sacramentum Dei nostri, perceptione Sacramenti ipsius, & à nostris mundabimur occultis, & ab hostium liberabimur insidiis. Hoc pacto non remanebunt in nobis benè antè Communionem confessis delicta occulta animas, cordaque inficientia, & fędantia, neque etiam labes, multoties mentes, & corpora destruentes. Non desinunt peccata ista esse nociva, quia

 sunt

funt occulta:immò,quoniam occulta,attrahunt plerùmque damna pejora; quia cognitione funt, & confeffione confequenter difficilia.Dei Sacramentum,quod nos facit effe immunditiarum noftrorum occultorũ peccatorum expertes, etiam ab hoftium infidiis liberat, faciens à nobis inimicos extorres. Multoties fundantur infidiæ noftrorum fpiritũalium hoftium in occultatione criminum. Curemus mundari ab fceleribus, ut liberemur ab hoftibus. Nihil valebunt contra nos eorum infidiæ, fi per Dei Sacramentum fuerint mentes noftræ benè purificatæ, & mundatæ. Infidiæ diaboli tentantis, carnis blandientis, & mundi perfequentis, in caffum, & fruftrà contra nos tenduntur, fi perceptione Divini Sacramenti fuerimus verè à noftris occultis mundati. Ideòque curemus folicitè Sacramentum Dei percipere maxima poffibili præparatione, ut per Deum fui perceptione Sacramenti;& à noftris mundemur occultis,& ab hoftium liberemur infidiis.

Oratio fuper populum.

M*Entes noftras, quæfumus Domine, lumine tuæ claritatis illuftra, ut videre poffimus quæ agenda funt, & quæ recta funt agere valeamus. Per Dominum noftrum, &c.*

Explicatio.



Tinam oratio, quæ fit hodie fuper populum, & Deo fit placita, & populo Dei proficua. Sed utique, fi nobis profuerit, etiam Deo erit jucunda, quia ipfi placet quidquid fuæ plebi prodeft: adeò nobis providet, & mifericorditer diligit. Mentes noftras quærimus illuftra-

ſtrari Divinæ claritatis lumine. Quid, niſi ſol, poterit integrè tenebras noctis expellere, atque clarum diem facere? Quis, præter Deum, valebit lumine claritatis ſuæ tenebras noſtræ malitiæ, & ignorantiæ abigere, ac diem gratiæ, gloriæque conſtituere? Abſque lumine quilibet homo impingit, atque facillimè cadit. Ideò ſæpè in ſcelera ruimus, quia lumine claritatis Dei malitia noſtra nos orbat, quos etiam ſæpiſſimè peſſima ignorantia excæcat. Ideò illuſtrari hodie lumine claritatis Dei appetimus, & hanc ab eo gratiam valdè enixè poſtulamus. Hac luce ducti, & illuminati poterimus bona videre, valebimus etiam operari bonitatem, quam datum ſit nobis aſpicere. Videbimus agenda ad benè operandum: quibimus recta agere, ut Deo conſequamur placere. Veniat igitur ſuper nos illuſtratio luminis Divinæ claritatis, ſine qua nec poſſumus agenda proficuè, & utiliter intelligere, neque recta audaciter perpetrare. Non deerit lux poſtulata ab eo, qui plus vult largiri, quàm nos intendimus petere. Itaque applicemus oculos cordis, & fidei noſtræ ad videndum, & manus ad rectè Divinæ gratiæ cooperandum: ut ſit cognitio agendorum conjuncta curæ exequendi illa, quæ intellexerimus recta: & ſubſequatur cognitionem agendorum recta operatio, qua Divino aptemur beneplacito, atque præmio.



§. Secundus.

Pro Feria Sexta Quatuor Temporum Quadragesimæ.

Oratio prima hujus Feriæ (quæ est eadem Officii) manet apposita, & explicata suprà in hac 2. parte, cap. 1. sect. 1. §. 2. pag. 255.

Oratio secreta Missæ hujus Feriæ.

S*Uscipe, quæsumus Domine, munera nostris oblata servitiis: & tua propitius dona sanctifica. Per Dominum nostrum, &c.*

Explicatio.



UM Sacratissimæ Missæ Sacrificium celebratur, illud offert cum populo Sacerdos, & cum Sacerdote quodammodo ipse populus: quamquàm solus, qui existit Presbyter, valeat esse proprius tanti Sacrificii Minister. Quamvìs, inquam, Sacerdos [qui vices gerit Christi principaliter offerentis] sit solùm Sacrificii Minister legitimus, cum populus associat immolantem, simul offerens, & Deo præsentans debitæ obsequium servitutis. Ideò est etiam servitium exhibitum à populo conjunctum cum servitio præstito à Sacerdote hujus Sacratissimi Sacrificii proprio, ac legitimo Ministro. Oramus igitur Dominum Sacerdos cum Dei plebe, & plebs Dei cum Sacerdote ministrante in Altari, ut suscipiat mu-

nera

nera nostris servitiis suæ Majestati celsissimæ oblata. Erit pars magna præmii nostri Divina acceptatio, sine qua, quamvis in se summi sit immolatum in Altari valoris, & pretii, non consequemur debitorum solutionem nostrorum, nec alium desideratum effectum. Postquàm hìc Deum rogavimus, ut acceptet, & suscipiat, poscimus etiam, quòd ipsi sua dona sanctificare complaceat. Propitius sanctificabit, si suscipere voluerit. Fatemur, quòd quæ habemus, & tribuimus coram Majestate Divina, Dei sunt potiùs, quàm nostra: ideò dicimus: Tua propitius dona sanctifica. Non petimus, ut Sanctum reddat Sacrificium, quod jam est ex institutione sanctum: nec quod sanctificet immolatum in eo, quia immolatur in Altari Christus Deus homo sanctitate essentiali, & infinita coruscans: exposcimus verò, ut quæ offert populus in Missa ante actionem principalem consecrationis, atque Deo plebis suæ nomine præsentantur à Sacerdote, reddat ipse Dominus sancta pro sua propitiabili misericordia: sancta, scilicèt, reddat, ea ad suum cultum recipiens: sancta faciat, ut sit illorum oblatio [utpote Deo sancta, vel ipsi sacrata] commendabilis, & veneratione digna: sancta denique efficiat, ut ea deinceps dona tractemus, ut decet sancta.



Ora-

Oratio post Communionem.

PEr *hujus, Domine, operationem Mysterii, & vitia nostra purgentur, & justa desideria compleantur. Per Dominum &c.*

Explicatio.



Verè magna efficacia, & potentia maxima, quæ in Sacra inveniuntur Missa! Est hoc Mysterium, quod in Altari agitur, tam validæ operationis, ut ex ejus activitate, & pretio inferri possit & difficillimarum rerum assecutio, & eorum, quæ magis utilia nobis sunt, comparatio. Quid apud homines difficilius, immò ex parte ipsorum impossibilius, quàm purgari à peccatis? siquidem tota virtus, quæ est in humana natura, non sufficit, ut vel minima solvatur, vel purgari possit noxa. Quid utilius considerari valet, quàm justorum desideriorum impletio, à qua maxima potest exoriri consolatio? Reservata, ut debemus credere, ac confiteri, Sacramento Pœnitentiæ illa remissiva peccatorum virtute, quæ, velut etiam Baptismo, ipsi est propria, ex institutione Divina: dicimus, quòd sacra operatio Sanctissimæ Missæ mysterii, cùm est capax nostra justa adimplendi desideria, etiam est potens ad nostra purganda vitia. Justa desideria complet Missa removendo prohibentia, & facilem reddendo votorum assecutionem: purgat vitia, quatenùs gratiam nobis obtinet, & auxilia, ut peccata nostra remittantur, vel bona confessione Sacramentali, vel perfecta, in defectu illius, & cum ipsius voto, contritione. Ideò piissimum Dominum hodie adîmus, ut ab ipso veniat nobis, quòd per operatio-

rationem Mysterii Sacratissimæ Missæ, & vitia nostra purgentur, & justa desideria compleantur. Si caruerimus vitiis per felicem purgationem, complebuntur nostra justa desideria ad nostrum optatum solamen. Vitia non purgata obex sunt ad complenda desideria, etiam justa. Valore igitur Missæ Sacræ operante, & remoto peccatorum nostrorum obice nobis valdè nocente, complebuntur nostra justa desideria, ut jucundè degere possimus, & virtutem Sacri operationis Mysterii agnoscentes, Deum, qui Missam instituit, glorificemus, ac tributum gratiarum actionis ob tam magnum nobis concessum Sacrificium, sublimi Majestati offeramus.

Oratio super populum.

E*Xaudi nos misericors Deus: & mentibus nostris gratiæ tuæ lumen ostende. Per Dominum &c.*

Explicatio.



QUia rem magnam desideramus, hodie à misericorde Deo exaudiri deposcimus. Clamore valido petitur id, quod vehementer optatur. Ipsa fortis petitio desiderium, infert, & indicat, nobis adesse; quia res non valdè optata neutiquam faceret, nos multùm inclamare, ut eam valeremus recipere. Clamantes igitur vocamus hodie in auxilium nostrum illum, qui est Deus, ideòque infinitæ potentiæ: eum, qui etiam est misericors, ac plenus clementiæ benignæ. Quia est Deus, largiter potest tribuere: quoniam misericors est, volet misereri, & nolet oblivisci nostræ remedium necessitati apponere. Oramus ergo fideliter, ut consequamur efficaciter.

ter. Credentes misericordiam cum Divinitate nostri Domini, dicimus: Exaudi nos misericors Deus, ab ipso flagitantes exaudiri, ut desideratam valeamus consolationem habere. Post ejus exauditionis misericordis exoratum beneficium, ad ulteriora procedentes, supplicamus ipsum, ut dignetur mentibus nostris ostendere lumen suæ gratiæ Divinæ. Absque lumine cæci sumus: & quandiù gratiæ Dei splendorem non vidimus, tenebras nostræ ignorantiæ, ac iniquitatis amavimus. Jam facinorum nostrorum cęcitatis pertæsi, à Deo illuminari volumus luce suæ gratiæ benignæ. Si gratiam nobis lucidam patefacere dignabitur Dominus, à tenebris semper delictorum abhorrebimus. Obscuritatem peccati odientes, Dei gratiæ lumini applicabimur, & per gratiam tanti luminis, ac lumen tantæ gratiæ, Domino adhærebimus ipsi. Ut igitur cæci esse desinamus, & ut vera luce illuminati, gratiam Dei, atque principaliter Deum ipsum [à quo provenit gratia, & gratiæ lumen] amemus; petimus à Deo misericorde hodie exaudiri, & quòd ipse lumen suæ gratiæ nobis dignetur ostendere.



§. Ter.

§. Tertius.

Pro Sabbato Quatuor Temporum Quaarageſimæ.

Oratio prima hujus Sabbati (quæ eſt eadem Officii) manet appoſita, & explicata ſuprà in hac 2. parte, cap. 1. ſect. 1. §. 3. pag. 260.

Oratio ſecunda hujus Sabbati.

PRotector noſter aſpice Deus: ut qui malorum noſtrorum pondere premimur, percepta miſericordia, libera tibi mente famulemur. Per Dominum noſtrum, &c.

Explicatio.



A Deo, de quo ſcimus, quòd nos protegit, benè poſſumus petere, & ſperare, ut nos liberet. Ipſum nomen Protectoris fundat expectationem noſtram de eo, quòd à tali Domino exaudiemur in petitis, & ab ipſo eripiemur, quando gravamur adverſis. Qui ſtatuit, & decrevit protegere, non dedignabitur aſpicere. Poſtquàm ergo hodie Deum invocavimus, eum Protectorem appellantes, & dicentes: Protector noſter, addimus: Aſpice Deus. Utinam protegat, ut aſpiciat ille, qui etiam ſolet aſpicere, ut protegat. Protectio noſtra erit ejus aſpectio, ſiquidem ipſius proſpectus facit, quòd protecti ſimus. A Deo nos aſpiciente deſideramus mi-

fericordiam percipere, ut percepta misericordia, qui malorum nostrorum pondere premimur, per misericordiam ab illo nobis communicatam libera illi mente serviamus. Misericordia tollet pondus malorum nostrorum, quibus nè Domino famulemur, præpedimur. Ablatis malis nos servitio Dei privantibus, quid restat, nisi, quòd libera mente Domini nostri famulatui dicemur, qui jam, percepta misericordia, immunes à pondere malorum nostrorum fuerimus? Æquum enim erit totis viribus Domino famulari, siquidem ipse, ut Protector nos aspicere, & à pondere malorum nostrorum voluit per suam misericordiam eruere.

Oratio tertia.

Adesto, quæsumus Domine, supplicationibus nostris: ut esse, te largiente, mereamur & inter prospera humiles, & inter adversa securi. Per Dominum, &c.

Explicatio.



Isi nostris precibus Deus dignetur adesse, nihil valebimus consequi, ac nihil perfectum agere, quod possit esse salutare, & ad vitam æternam proficere. Desideramus hodie, quòd Deus nostris adsit supplicationibus: adsit, inquam, ut nostras petitiones, seu rogata nostra dirigat: adsit etiam, ut nostris humillimis intendens precibus, felicem expeditionem largiatur oblatis ipsi à nobis petitionibus. Taliter Deus assistens, & intendens supplicationibus nostris, faciet, quòd ejus largitate mereamur esse, & inter prospera humiles, & inter adversa securi. Utrumque, quod hìc petimus, erit nobis utilissi-

lissimum, & cuilibet nostrûm est magnoperè necessarium. Ut in via Dei proficiamus, egemus humilitate in prosperis, ac securitate in adversis; nè nos attollat in prosperitate superbia, & nè nos dejiciat, vel deprimat desperatio inter nobis contraria, quæ patimur in hac vita. Faciliùs submergitur navis in dulcibus aquis, quàm in salsis, & amarissimis: quin potiùs quæ in dulcedine undarum fluminis perit, inter salsuginem, & amaritudinem vorticum marinorum subsistit: & experientia docente didicimus, plura navigia anteà à maris aquis sua amaritudine, ac crassitie sustentata, ex quo transierunt ad flumina, periisse, & in profundum submersa devenisse, ipsis nocumentum præstante mollium aquarum fallaci, atque pernitiosa dulcedine. Præ nimia itaque subtilitate pessumeunt ea, qua inter amari maris crassitudinem securitatem inveniunt. Non itaque timeantur amaritudines, quæ securas faciunt rates. Quidam perditi sunt, fateor, inter amaritudines adversorum desperantes; sed multò plures jacturam bonorum spiritualium fecerunt, & miserè descenderunt ad profundum inferorum abyssum inter mollia, dulcia, & prosperitates hujus vitæ superbientes. Utinam securi servati essent, vel inter adversorum plurimas amaritudines: dum faciliùs, quàm inter lenia, & appetibilia, securi reddimur inter adversa. Sed quia ubique est periculum, inter omnia ista postulamus remedium; ut largiente Dei misericordia, & miserente ejus largitate, mereamur esse & inter prospera humiles, & inter adversa securi: & ut sive per flumen dulce, seu per mare amarum, Deo apponente misericordem manum, ad cęli perveniamus felicissimum portum, & alacres ingrediamur Empyreum.

Oratio quarta.

PReces populi tui, quæsumus Domine, clementer exaudi: ut qui justè pro peccatis nostris affligimur, pro tui nominis gloria misericorditer liberemur. Per Dominum, &c.

Explicatio.



I Deus exaudire dignetur preces populi sui, nihil non vitabimus malum, nihil non obtinebimus bonum. Justè pro peccatis nostris affligimur, multis abundantes malis, simulque pluribus carentes bonis. Replemur malis, à quibus optamus erui: egemus bonis, quibus anxiè appetimus ditari. Quòd malis affligamur, provenit à nostra malitia; quòd liberemur ab illis, erit nominis Domini misericordissimi gloria. Concedat nobis Deus, clementer exaudiens populi sui preces: ut ex liberatione nostra ab his, quæ nos affligunt justè, resplendeat misericordis Dei exaltatio, & ejus nominis sanctissimi agnitio. Cognoscant cœlum, & terra ampliùs quotidie gloriam nominis Dei miseris clementer compatientis, & eos piissimè liberantis. Appetamus potiùs Dei honorem, quàm nostram utilitatem: & ideò desideremus liberationem à nostris malis, magìs, ut hæc largitas proficiat nominis Dei gloriæ amplificandæ, quàm ut nos valeamus commodo nostro potiri. Quod prodesse ad Dei gloriam possit, majoris pretii apud nos debet esse; siquidem debemus Dominum super omnia diligere. Sed gloriam nominis Dei in primo gradu, ut decet, statuentes, justum est etiam, ut nobis provideamus, & petamus, ut simus liberi, & absoluti ab illis, à quibus ob.

pec-

peccata nostra nos afflictos videmus; quamvis justè afflictionem pro peccatis nostris patiamur.

Oratio quinta.

Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio, & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Dominum, &c.

Explicatio.

Hodie postulamus Dei inspiratione præveniri, & ipsius adjutorio frui. Quærimus, ut securi incedamus, quòd noster Dominus favorabilem ventum tribuens, nostram navigationem præcedat, & ei, illam contra hostes fortificans, benigno auxilio succurrat: nè defectu inspirationis iter nequeamus arripere, aut carentes adjutorio inter inimicorum nos debellantium impetus non valeamus resistere malo, & ita miserè absorbeamur à pelago. Deo nostras actiones, aspirando, præveniente, & ipso etiam, adjuvando, comitante, cuncta nostra oratio, & operatio benè dirigetur, & feliciter etiam terminabitur: quia, Deo inspirante, ab illo sumet oratio exordium, &, Deo adjuvante, nostra operatio habens bonum incrementum finietur. Oratio igitur, & operatio à Deo, qui est principium, incępta, ut per eum cępta, metam felicem attinget, & benè finita ad eum, qui est noster finis, perveniet. Deo dante inspirationem, ut orare incipiamus, erit oratio ipsi placita, nobisque proficua: & eodem Deo præbente adjutorium, nostra evadet

det operatio bona benè exerc'ta,& perfecta. Proficientes oratione, & ornati bona operatione, reddemur digni æterna beatitudine. Nihil aliud ergo, quam Dei beneplacitum, incipientes orationem, intendamus, & ita oratio à Deo incipiet. Curemus operari bona, cooperantes, dum nos adjuvat gratiaDivina[siquidem potius operatur Deus in nobis, quàm nos ipsi ad bonum operamur] non velut inanime instrumentum nihil agentes, sed liberam voluntatem nostram ad exercenda opera salutaria inclinantes, & simul cum Deo, ac gratia ipsius, facientes: & ita quæ per Deum in nobis sunt incępta, feliciter invenientur ad Dei gloriam, & ad nostram salvationem finita. Non deerit ex parte Dei cura benigna inspirationis, & adjutorium opportunum per auxilia suæ pietatis; ut ab ipso incipiamus orare, & per illum possimus bonam operationem cum oratione Deo placente finire. Curemus nos, ut à Deo incipiat oratio nostra, simul, & operatio: ut qui actionem nostram aspirando prędvenerit, & misericorditer nos adjuvando prosequutus fuerit, sit orationis, & operationis benè inceptarum initium, ut finientes nos orationem, & operationem per Deum ipsum, in gratia finali nostrum concludentes iter, cum Deo in vita cœli consequamur regnare æternaliter, ac felicitari perenniter.



Ora-

Oratio sexta.

D*Eus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium: concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per Dominum, &c.*

Explicatio.



ULTÙM nocet flamma vitiorum, quæ cuncta destruit, dum exurit; omnia denigrat, dum tangit: & quæque consumit, dum sua voracitate exardescit. Quot, qui anteà gaudebant divites, post ignis exarsionem, & incendii vastationem remanserunt egentes? si adeò fuerunt benè fortunati, ut evadentes globos flammarum, nec perierunt inter illos, & ab illis absorpti, neque in pulverum cinericium redacti. Pavorem incutit, voracitate ignis omnia absumente, optima, & pretiosa supplectili expoliari, sed horrendius quid est personaliter aduri. Si res familiares incendio pereant, aliæ comparari, aut inveniri poterunt; sed, si homo ipse igne fuerit combustus, ubi inveniet aliam vitam pro amissa, ut possit post cremationem degere, & inter viventes numerari? O vitiorum flamma! quàm pretiosa opera vitæ æternæ meritoria consumendo pessundas! & quot etiam animas, multotiesque etiam corpora, pernitioso incendio devoras, discerpis, & concremas! Timeamus ab hoc igne vitiorum tangi, qui exustionem vereri debemus, nè in virtutibus acquisitis, vel infusis lædamur, & [fortè aliquando præter charitatem, perdentes etiam fidem, aut spem] in anima, & corpore miserè relinquamur destructi. Ut nos ista flamma non exurat, curemus maximè, nè nos tangant. Exuret, quod tetigerit, vel saltem denigra-

nigrabit quod invaserit. Fugiamus ergo hujus ignis attactum, & propinquitatem, qui illius exhorremus exustionem. Tres pueros ob misericordiam Dei flamma ignis Babylonici non tetigit, ideò eos non concremavit. Ab eo ergo, qui tribus pueris mitigavit flammam ignium, petimus hodie, ut nos famulos suos non exurat flamma vitiorum. Hanc miserationem Dei consequentes, & in bonis virtutum pro tempore nostræ temporalis vitæ erimus securi, & in salute perfecta animæ, ac corporis pro futuro sæculo permanebimus apud cœlicolas æternaliter gaudentes, Deum liberatorem nostrum collaudantes.

Oratio secreta.

P*Ræsentibus Sacrificiis, quæsumus Domine, jejunia nostra sanctifica: ut quod observantia nostra profitetur extrinsecùs, interiùs operetur. Per Dominum, &c.*

Explicatio.


Acrificium Altaris ad licitam ejus oblationẽ, sanctificationẽ exposcens, etiam est quodammodò sanctificationem distribuens. Adsunt in Ecclesia Sacrificia Missæ repetita, ut nostra sanctificentur à Deo nostro jejunia. Dabit jejuniis nostris Deus sanctificationem, qui dedit Sacrificiis ad sanctificandum virtutem. Erunt sanctificata jejunia, si à Deo fuerit illis sanctitas collata, & non fuerint ex parte nostra posita aliqua sanctificationis impedimenta. Erunt tunc, utpote sancta, digna Dei conspectu, & acceptatione, si Dei adjutorio freti, sanctè curaverimus jejunare. Nostra erunt jejunia sanctificata à Do-

Domino, talis efficaciæ, & virtutis, ut nihil appareat in nobis hominibus, quod in jejuniis istis Dei displiceat obtutibus: quia tunc operabitur nostra observantia interiùs, quod profitetur extrinsecùs. Si macerationem assumentes corporum, à culpis non jejunaverimus mentium, inter hypocritas jure computabimur, & à Deo repellemur. Profiteatur sanè pœnitentiam Christianam observantia nostra in ciborum corporalium abstinentia; sed associet jejunatio à peccato istam gulæ abdicationem, qua privamur visibili, corporalique cibo. Non destruamus in mente, quod ædificamus in corpore: nè simus reputati à Deo cum epulonibus, quando appareamus jejunantes hominibus. Facimus per abstinentiam corporis, quando jejunamus, rem, quæ videtur digna præmio: nè igitur agamus per non abstinentiam animæ, peccatis servientes, aliquid, quod æterno mereatur puniri supplicio. Sacrificiis itaque præsentibus petentes à Deo, ut jejunia nostra sanctificet, ultra Sacrificium Missæ, quod cum Sacerdote offert populus; ipsi Sacerdotes, & plebs Dei curemus nos ipsos Deo per jejuniū mentis, & corporis sacrificare, & hostiā ita acceptabilem in nobis,& de nobis exteriùs,& interiùs offerre, corpora dicantes jejunio, & animas nostras ab omni custodientes peccato. Ita jungetur sacrificiū benè jejunantium Sacrificio Altaris,quod Deum reddit propitium:ut sint sanctificata jejunia, atque etiam sanctificentur ea offerentes vera observantia Christiana, quæ operetur intrinsecùs id, quod profitetur exteriùs, ut sic nostræ sanctificationi, simulque æternæ nostræ provideamus saluti.



Oratio post Communionem.

SAnctificationibus tuis, Omnipotens Deus, & vitia nostra curentur, & remedia nobis æterna proveniant. Per Dominum, &c.

Explicatio.



X Sanctificationibus Dei [vel actionibus, quibus ipse sanctificat nos, & quæ ab Altari proveniunt saltem dispositivè] debemus sperare maximas utilitates accipere. Quid, non jurè persuadebimur, nos accepturos boni? aut quid utilitatis non sperabimus percipere,quando Christus immolatur in Altari? siquidem ille est, per quem omne debitum etiam infinitum, si esset, posset integerrimè solvi, & totum proficuum ad nostras animas, ac etiam corpora nostra, valet abundantissimè accipi. Sanctificationis actiones jam hodie in consecratione, oblatione, & consumptione, quæ sunt in Sacra Missa, præcesserunt, quando post Communionem ad Deum orantes accedimus, ut ab eo magna beneficia, quæ petimus, obtineamus. Postulamus igitur, ut ipsis Dei sanctificationibus, vel sanctificandi actionibus, sanctificationem intra nos operantibus [quatenùs communicantibus dignè peccata remittuntur levia,& quatenùs saltem dictæ actiones disponunt devotè Missam audientium animas Christianas ad Sacramentum Pœnitentiæ, & ad habendum votum ipsius in perfecta contritione] & vitia nostra curentur,& remedia nobis æterna proveniant. Benè igitur noscimus talia petentes, quòd Dei sanctificationes, quæ exercentur in Altari,& possunt nos à vitiis curare,& facere,nobis remedia æterna provenire.

Præ-

Præmia æterna non provenient nobis, nisi priùs nostris vitiis curatis. Vitia nostra adeò sunt nobis nociva, ut à nobis arceant, & abigant etiam æterna remedia. O vis magna vitiorum nostrorum ad nobismetipsis nocendum! Persequamur itaque vitia nostra, utpote quæ sunt pessima, nostra à nobis ferè omnia auferentes bona, cuncta nobis etiam afferentes mala. Est majus malum, quod summum impedit bonum. Ergo maximam nobiscum profitentur vitia nostra inimicitiam, quæ dum nobis afferunt omnia temporalia nocentia, tollunt à nobis cuncta proficua, à nobis separantes etiam æterna remedia. Eligunt ergo carere æterno remedio, qui mancipati sunt vitio. Utinam à Dei sanctificationibus in sancta Missa juvemur, qui talia quotidie à pessimis nostris vitiis patimur. Cooperemur jam aliquando [& quarè non modo?] Dei gratiæ, ut Dei curemur sanctificationibus, & jam nos desinant vitia, vel [quod erit melius] ea, antequam ipsa nos deserant, relinquamus: & diligenter studeamus adjuvare nos, Dei cooperantes gratiæ, ex parte nostra, ut mediis sanctificationibus Dei, nobis proveniant remedia æterna. Sic erimus in hac vita à vitiis sanati, curati, & mundi, ut remedia æterna recipientes valeamus sine fine lætari.



Oratio super populum.

F*Ideles tuos, Deus, benedictio desiderata confirmet: quæ eos, & à tua voluntate numquam faciat discrepare, & tuis semper indulgeat beneficiis gratulari. Per Dominum &c.*

Explicatio.

BEnè desiderant Fideles Dei ipsius benedictionem, quæ habet virtutem multiplicem. Quamvis in Dei benedictione tantùm esset virtus una; quia Dei propria, & quia nobis erat proficua, erat ista semper benedictio requirenda. Quantò magìs digna erit, quæ inquiratur, quæ nobis innumeras conferre poterit opes, dum plures habet ad benefaciendum virtutes? Potest quidem benedictio Divina Fideles confirmare, hinc eos ad exequendam Dei voluntatem stabiliens, illinc Domini nostri beneficiis refertos, gratulari perpetuò, faciens; quandoquidem gratiam confert ad benè operandum, & etiam juvat ad tributum gratiarum actionis cum jucunditate solvendum. Quid melius, quàm à Dei non discrepare placito, & gratulari, acceptis à Domino beneficiis absque æstimatione, & numero? Oramus ergo à Deo benedici, ut talia possimus consequi. Infelices sunt verè tali carentes benedictione: quia timere possunt, & à Dei voluntate discedere, & quòd Divina non accipientes beneficia, tristitia afficientur æterna. Noscatur igitur in nobis, quòd virtutes maximas benedictionis Dei non ignoramus, in eo, quòd talem benedictionem à Deo accipere quæramus ardenter, & ab ipso petamus etiam ipsam incessanter. Debiles sumus, nisi hac jugiter

Dei

Dei benedictione firmemur, & solidemur. Humiliemus itaque capita nostra Deo ad recipiendā istam benedictionem, quæ tam magnam potest nobis tribuere, impertirique virtutem, & adeò proficuam ad benè agendum, & perpetuò in actione gratiarum gaudendum, valet elargiri facultatem. Simus fortes, ut numquàm velimus à Divina voluntate discedere: semper existamus Deum amantes, & hujus amoris proximis nostris optima exempla ostendentes. Fortiter etiam disponamus nos, ut mereamur Dei beneficia recipere, & in eis semper gratulari: quatenùs, quos Dei desiderata confirmaverit benedictio, etiam faciat in conformitate ejus voluntatis immobiles, & de acceptis beneficiis gratulantes per æternitatem alacres.



SECTIO SECUNDA,

Habet explanatas, præter primas, omnes Orationes Missarum trium dierum Quatuor Temporum Pentecostes, sive Temporis Æstivi.

§. Primus.

Pro Feriæ quarta Quatuor Temporum Pentecostes.

Oratio prima hujus Feriæ (quæ est eadem Officii) manet apposita, & explicata in hac secunda parte, cap. 1. sect. 2. §. 1. pag. 266.

Oratio secunda hujus Feriæ.

P*Ræsta, quæsumus, Omnipotens, & misericors Deus; ut Spiritus Sanctus adveniens, Templum nos gloriæ suæ dignanter inhabitando perficiat. Per Dominum, &c. in unitate ejusdem, &c.*

Explicatio.



Uot invenerit Spiritus Sanctus adveniens receptacula munda, & purificata corda, tot, & ea ipsa constituet magnæ suæ gloriæ templa. Ejiciat à vase fellis amaritudinem, qui in eodem vase vult collocari, atque infundi dulcedinem. Mittat foràs mortiferum venenum, accepturus, si virus evomuerit, suavissimum, & saluberri-

rimum balsamum. Releget à se fetorem, qui appetierit proficui odoris perutilem suavitatem. Si Spiritu Sancto in ejus adventu desideramus repleri, & in templa suæ gloriæ mirabili mutatione transformari, & consecrari; fetidum, virulentum, & amarissimum peccatum à nobis curemus explodere, dividere, æternaliterque exul à nobis verè efficere; & Spiritus Sancti gratiæ dulcissimæ, saluberrimæ, & suavissimæ adaptari. Sic præparati, gratia Spiritus Sancti implebimur, ut esse templa ejus gloriæ deinceps per sæcula æterna mereamur. Quo pacto Spiritus Sanctus templum nos suæ gloriæ dignanter inhabitando perficiet, nisi anteà sua nos gratia ornatos invenerit? Oramus ergo hodie Deum Omnipotentem, ac simul misericordem, templa fieri optantes Spiritus Sancti advenientis. Concedat proinde nobis, qui sua Omnipotentia omnia obstacula vincit, & sua misericordia omnibus benè facere assuescit, ut ad Spiritus Sancti gloriam, templum ejus effecti, capessendam, parati simus per gratiam, cùm jam pridem à nobis projecerimus omnem indignitatis immunditiam. Certum est, quòd ipse Spiritus Sanctus, qui paratos efficit gloriæ suæ templa, est etiam justificans peccatores, ab eis culpas repellens, & eis gratiam pro mensura ipsorum dispositionis, & pœnitentiæ, quibus ipsum invocant, atque inclamant, distribuens. Non resistamus ergo Spiritui Sancto volenti nos per expulsionem peccati, & gratiæ infusionem justificare, & mundare, ut templum mereamur effici ipsius gloriæ per adventum suum benignum, & per inhabitationem, quam in nobis ille facere dignatur. Dignanter utinam in nobis inhabitando, ipse indulgeat, ut templum suæ gloriæ talis Deus, & Dominus quemlibet nostrûm perficiat.

Ora-

Oratio secreta.

A*Ccipe, quæsumus, Domine, munus oblatum: & dignanter operare, ut quod Mysteriis agimus, piis effectibus celebremus. Per Dominum, &c.*

Explicatio.



PRo muneris oblati acceptatione hodie interpellamus Dominum, volentes, ab ejus manu piissima magnum nobis provenire beneficium. Hoc faciet nobis, si ipse dignanter operetur, ut quod Mysteriis agimus, & quod mysticas, nobis valdè proficuas, habet significationes in Missis, quas Deo consecramus, piis effectibus celebremus. Lumine gloriæ donati, ut speramus, in futuro videbimus, quæ nunc velata tractamus. Nostro bono, in præsenti ipsa revelata non aspicimus, siquidem hoc nobis accidit, ut habeamus meritum fidei. Nostra intereſt, quòd occulta sint nobis, & coram nobis velata ista Sacramenta Divina. Præsens vita est instituta ad benè operandum, & credendum, & bona, quæ à fide habent originem, & à bona operatione, cum gratia Dei, & charitate, comparandum: alia vita servata est nobis ad perfruendum Creatore illo nostro, maximo bono, nempe summo, & in æternum: quod bonum nos lætos faciet revelatum: & manifestabitur nobis eò jucundiùs, quò illud non videntes, ei, & in eum crediderimus fideliùs. Erit visio clara, & manifesta præmium fidei, quam, Deo dante, in hac exercuerimus vita. Spe igitur illuminationis futuræ curemus firmiter credere illud, quod nobis concessum est velatum mysteriis agere. Piis effectibus celebrabimus quod

quod mysteriis agimus, si fuerint effectus hujus actionis fides quotidie vivacior, spes firmior, atque charitas ardentior. Erit etiam effectus pius, si virtuti Religionis addicti, Deum, maximè in mysteriis Altaris, adorare studuerimus, & cuncta necessaria ad præbendum, & tribuendum Deo debitum cultum, cum omni sedulitate fecerimus. His piis effectibus celebrantes quod mysteriis agimus, in Dei servitio quotidie proficiemus, ac æternæ vitæ gaudiis aptabimur.

Oratio post Communionem.

SUmentes, Domine, cœlestia Sacramenta, quæsumus clementiam tuam: ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis consequamur: Per Dominum &c.

Explicatio.



NON indignatur auscultans, nec dedignatur nos audire Dominus noster clementissimus, quando alia beneficia accipientes, alia ipso tempore exposcimus, inferentes audaciam piam plus petendi ex ipsa felicitate Divinarum mercedum concessionem faciliter comparandi. Scientes igitur conditionem benignæ Dei misericordiæ, sumentes cœlestia Sacramenta, in ipso tempore multiplicamus orata, & fieri nobis, desideramus, noviter à Domino nostro petita. Suminus, & flagitamus: exoramus, dum accipimus; quasi desideratorum perceptio sit novæ largitionis appetitio, atque confidentiæ ad plura petenda adauctio. Addentes proinde antiquis precibus recentes supplicationes, beneficiis jam acceptis gratulantes, poscimus à Deo, benignam ipsius exorantes

Clementiam, ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis consequamur. Pro actione temporaria requirimus gaudia æterna. Ipsum, quod in hac valle lacrymarum exercemus inter mæstitias, quærimus consequi inter æternas jucunditates cœlestis beatitudinis. Pignus gloriæ in Sacramento Eucharistiæ ex dono Dei liberalissimi sumimus: ideòque ejus dulcedine affecti, pro eo, cujus ipsum Sacramentum est pignus, anxiè gemimus, & avidè suspiramus. Dulcorati melleo pignore, pro æternæ vitæ anhelamus possessione. Si hanc consecuti fuerimus, gaudiis sempiternis replebimur. Nihil erit ultrà, in quod possit nostrum desiderium tendere, si summum Bonum, scilicet, Deum in gloria nobis concessum fuerit attingere. Non erit mirum, quòd talia capaces facti accipiendi Sacramenta, ipsa sumentes, & simul violentiam patientes ex dilatione æternorum gaudiorum, ad precandum suppliciter inclinemur, & ad petendam gloriæ æternitatem, post receptam Eucharistiam procedamus, clementiam rogantes Divinam, ut nobis vitam conferat æternam. Sumimus sacrata cœlestis panis alimenta, quibus animosiores redditi, postulamus, quatenùs quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis consequamur: ut largitor æternitatis gloriosæ hoc nostrum impleat justum undequaque desiderium.



§.Se-

§. Secundus.

Pro Feria sexta Quatuor Temporum Pentecostes.

Oratio prima hujus Feriæ (quæ est eadem Officii) manet apposita, & explicata suprà in hac 2. parte, cap. 1. sect. 2. §. 2. pag. 272.

Oratio secreta Missæ hujus Feriæ.


SAcrificia, Domine, tuis oblata conspectibus ignis ille Divinus absumat, qui discipulorum Christi Filii tui per Spiritum Sanctum corda succendit. Per eumdem, &c. in unitate ejusdem, &c.

Explicatio.



Ostquàm Sacrificia Divino sunt obtutui præsentata, curantes, illa acceptari à Deo nostro, Æternum Patrem rogamus, ut ea absumat ignis ille Divinus, quo corda Apostolorum, aliorumque Fidelium inflammavit Spiritus Sanctus. Ignis ille, qui per Spiritum Sanctum corda discipulorum Christi succendit, est amor Divinus, quo sunt ipsi repleti, accensi, atque illustrati. Est Spiritus Sanctus Æternus amor, qui nunquàm desinet esse, nec unquam valebit carere sua accendendi, & illuminandi virtute. Quærimus, istum ignem Divinum sacrificia Deo oblata, quamvìs transeunter, absu-

mere, ut in nobis æternaliter maneat effectus transeuntis Sacrificii. Transibit præsens Missæ Sacrificium, siquidem pro tempore Militantis Ecclesiæ, viatorumque est institutum; sed sacrificia offerentes æternaliter post resurrectionem, si Deus hoc concesserit, in Ecclesia Triumphante durabunt, & permanebunt. Itaque felicitas nostra in eo erit sita, quòd ignis, qui per Spiritum Sanctum, mediante Sacrificio, in nobis fuerit accensus, perpetuus sit rogus, & numquàm sit per totam æternitatem extinctus, vel extinguendus. Ob hoc petimus, sacrificia Deo oblata igne Sancti Spiritus inflammari, quia plurimùm nostra interest, illa ab igne simili absumi, atque succendi. Proficiet quidem ad ignis Sancti Spiritus accidentalem honorem, quòd ignis ipse in nostram vertatur utilitatem. Ideò, quando istam amoris Divini exaltationem optamus, quod nobis absdubiò multùm proderit deposcimus: & quando nostrum bonum in accensione, & illuminatione ignis sancti amoris requirimus, etiam gloriam accidentalem Dei, ac Domini nostri petimus. Utinam ad utrumque Sacrificia nostra illo Divino igne inflammentur, atque ab eo absumantur: ut verè discipulos imitantes Christi, qui flamma igniti amoris sunt succensi, & ardere possimus intùs ad nostram utilitatem, & foris illuminare ad proximorum ædificationem nobis, ipsisque convenientem.



Ora-

Oratio post Communionem.

SUmpsimus, Domine, Sacri dona Mysterii humiliter deprecantes: ut quæ in tui commemorationem nos facere præcepisti, in nostræ proficiant infirmitatis auxilium. Qui vivis, & regnas &c.

Explicatio.



IDem nunc videtur esse, nos inveniri Divino pane satiatos, quando Sacri sumpsimus dona Mysterii, quàm, redditos esse procliviores ad multiplicandas preces. Ille cibus Divinus, qui nostrarum famem animarum extinxit, finivit neutiquam supplicandi affectum, quin potiùs videtur accendisse majus votum deposcendi. Ideò qui sumpsimus Sacri dona Mysterii, in Aula Filii Dei humiliter deprecamur, ut ea, quæ ipse præcepit, nos facere in sui commemorationem, in nostræ proficiant infirmitatis auxilium, seu fulcimen, aut levamen; ac proinde infirmi sanari quærimus, fragiles roborari exoptamus. Jussit quidem Dei Filius homo factus, quando Eucharistiæ Sacramentum instituit, ac primum Missæ Sacrificium celebravit, ut quotiescumque Sacerdotes tale Sacrificium offerimus, vel Sacramentum conficimus, hæc in ipsius Christi memoriam, seu commemorationem faciamus. Sed hoc ideò videtur commendatum, & dictum, ut memoriam nostri Redemptoris habentes, & in fide fortiores simus, & ejus in amore crescentes reddamur donorum cœlestium, & terrenorum obtinendorũ capaciores, & digniores. Utique sic in nostræ infirmitatis auxilium talia proficient Sacrificia, & Sacramentũ: unde à mensa cœlesti Altaris alacres resurgere potiùs, quàm surgere possumus; siquidem sacri panis oblatio robur tri-

tribuit, & ejus receptio vires nostras, & fiduciam capiendorum beneficiorum adauget.

§. Tertius.

Pro Sabbato Quatuor Temporum Pentecostes.

Oratio prima hujus Sabbati (quæ est eadem Officii) manet apposita, & explicata suprà in hac 2. parte, cap. 1. sect. 2. §. 3. pag. 278.

Oratio secunda Missæ hujus Sabbati.

ILlo nos igne, quæsumus Domine, Spiritus Sanctus inflammet, quem Dominus noster Jesus Christus misit in terram, & voluit vehementer accendi. Qui tecum, &c. in unitate ejusdem, &c.

Explicatio.



AD bonum agri ignis in eum jacitur, quando, crematis, ac in cinerem redactis malarum herbarum radicibus, ager remanet mundus, ac terra illius evadit ad bonos fructus ferendos uberior, & ad quælibet jactanda in eam grana multiplicanda, feracior. Bonum est montibus mineralia auri, argentivè recondentibus in suis visceribus, concremari, atque comburi; siquidem ignis faciet terram illam liquefieri, ac rivos per eam pretiositatis ex auro, aut argento inibi existentibus fluere: quod qui-

quidem montes facit nominatos, & illustres, quando etiam illorum incolas, vel per eos transeuntes reddit abundè divites, ac præ aliis hominibus locupletes. Majora bona terræ nostræ intulit Christus Deus homo Conditor noster, ac Redemptor, qui ignem venit mittere in terram, flammam Divini amoris mundo frigido secum è supernis attrahens; & istum ignem in orbem mittens, cum voluit accendi, ut terra nostra fęcundata ditesceret, & illustrata, fructus virtutis produceret, simúlque suos habitatores apprimè locupletaret. *Isto* igne nos incensos vult noster Redemptor, & Dominus: his proficuis flammis ardere corda, facit adveniens Spiritus Sanctus. Ideò à Patre petimus hodie, hoc sancto igne inflammari. Ardendi desiderio flagremus: flammis amoris hujus exæstuare satagamus. Frigus peccati iste relegat calor ignitus: & tenebræ ignorantiæ pelluntur ab hac præstantissima luce. Faxit Deus, ut à nostra putredine isto sanati evadamus igne, quia benignum hoc cauterium debemus desiderare, quod igne suo putorem resecans, & hominem ab iniquitatum præteritarum fętoribus liberans, in posterùm nos sanans, reddit aliquomodò securos, à futura corruptione nostrorum vitiorum præservans. Aptemus itaque corda nostra ad tam Divina, quantò utilia, cognita tantùm à sapientibus, incendia. Cedat humor vitiorum locum, posteà à Sancti Spiritus Divina flamma occupandum: ut in ignem amoris Dei, ac proximi transformati, effectique magna utilitate igniti, & maneamus charitate in æternùm ferventes, & luce gratiæ quotidie evadamus illustriores.



Ora

Oratio tertia.

D*Eus, qui ad animarum medelam jejunii devotione castigari corpora præcepisti: concede nobis propitius, & mente, & corpore tibi semper esse devotos. Per Dominum &c.*

Explicatio.



Erx abstinentia, quæ dolorum infirmitatis expertes, & in salute reddit homines quoad spiritualia, & plerùmque etiam erga corporalia, incolumes. Est restauratrix temperantia, quando ingluvies, & crapula etiam corporibus afferunt sæpesæpiùs nocumenta. Sentiat ergo corpus jejunium, & ipsi etiam corpori à nobis consulatur per illud: parcat à cibis corpus, nè salus animæ, ac sua periclitentur. Sed, si pro periturorum membrorum conservatione diæta salutis accipitur, quid non debebit fieri, ut anima sola, & æterna salvetur? Provideamus illi de remedio, quia est sola, & si aliquis illam perdit, non habet aliam, quæ salvari possit: aspiciamus etiam animam, utpote æternam, & æternaliter cum corpore ad gloriam, vel supplicium duraturam. Devotio jejuniorum [hoc est applicare, vel dedicare se ad jejunandum, cùm præceptum urget, aut quando recta ratio nobis jejunii observantiam suadet] est proficua tum animæ, tum etiam corpori: animæ proinde medemur, quando corpus per jejunium, etiam ipsi perutile, castigamus. In bonum igitur nostri, à Cœlesti medico Ecclesiæ inspirante, ipsamque gubernante, lex est præscripta jejunii. Ad nostrarum animarum medelam Deus corpora castigari præcepit, ut abstinentia sit animæ medicamen, & contra vitia, & peccata forte, & oppor-

opportunum munimen. Aggrediamur jejunia fortiter, ut animabus nostris provideamus salubriter, & fortitudinem habentes in lege jejunii servanda, erigamur contra vitia, vincentes ea, nè ipsa contra nos unquàm victoriam obtineant, & nos in barathrum infernale detrudant. Sic concedet nobis piissimus Dominus devotionem mentis, & insuper etiam devotionem corporis, ut simus semper devoti Deo, & mente, & corpore: & per istam devotionem duplicem, illi valeamus placere. Ab animæ devotione potest corporis devotio procedere, & provenire: nam, si anima verè se Deo devoverit, ipsa corpus, ut Domino sit devotum, subjiciet. Obediat corpus animæ in devotione salubri, quandoquidem corpus animam multoties ad vitia pertraxit pessimè. Vindicet anima [corpus ad Dei devotionem coarctans] injurias, quas corpus ipsum menti toties intulit, irrogavitque petulans. Sic mens sibi simul prospiciet, & corpori: quia nihil utilius, quàm, nos semper Deo mente, & corpore esse devotos.

Oratio quarta.

P*Ræsta, quæsumus, Omnipotens Deus, ut salutaribus jejuniis eruditi, ab omnibus etiam vitiis abstinentes, propitiationem tuam faciliùs impetremus. Per Dominum &c.*

Explicatio.



Agnus honor resultat nobis à valore eruditionis, quando est eruditio salutaris. Diligi debet salus, quæ ab eruditione salutari provenit, & eam associat; & appretiabilis est eruditio, quæ ab ipsa salute emanat. Ergo nobis proficit erudiri salutaribus jejuniis, quæ,

dum cruciant, & torquent, etiam erudiunt, ut sanent: itaque amore salutis ducti, maximè quoad spiritualia, non recusemus edoceri ab abstinentia. Sed Deus, qui quærit, jejunii nos observatores esse, etiam vult, nos ipsos à culpa jejunos, & abstinentes existere. Instructi igitur eruditione salubri jejuniorum, abstineamus ab enormitate scelerum. Quid prosunt ad beatitudinem æternam opera abstinentiæ, ex se corpori, & menti proficua, inter facinora noxia? Utilitatem profectò salubrium jejuniorum destruct delictorum elluvies magnum nocumentum afferens: nec poterit obtineri meritum operum salutarium, nisi adjuvet abstinentia spiritualis, redundantiam criminum à nobis ipsis expellens. Desiderat ergo Ecclesia, nos, & jejuniis esse eruditos salubribus, & abstinentiam à peccatis totis procurare viribus, ut propitiationem Dei faciliùs impetremus. Si taliter jejunantes ad clementissimum Dominum accedamus, placebunt ipsi quidem nostra corporalia jejunia, utpote ad salutem corporis, & animæ simul directa, & Domino ipsi oblata; sed adhuc jucundior erit illi cura nostra abstinendi, & jejunandi à peccatis, ac destruendi omnia scelera, ut plena de illis à nobis obtineatur victoria. Et sic propitiatus Dominus bona concedet æterna, & quæ nobis expedierint, temporalia: ut deinceps hoc sæculum inhabitemus in gratia crescentes, ac posteà cœli curiam feliciter ingrediamur ovantes.



Ora-

Oratio quinta.

P*Ræſta, quæſumus, Omnipotens Deus, ſic nos ab epulis carnalibus abſtinere, ut à vitiis irruentibus pariter jejunemus. Per Dominum, &c.*

Explicatio.



RRUUNT ſuper nos vitia, ut comprimant, ac impellant, & ſic pariter compreſſos, & impulſos, horribiliter nosipſos in voraginem gehennalem detrudant. Quis non paveret à trahente magno cum impetu ipſum ad formidabilem caſum, vel irremediabile præcipitium? Quis jucundè, & cum alacritate aſſociaret ducentem illum ad mortem? Immò quilibet ſciens, intentionem peſſimam alium habere ſuæ propriæ perditionis, non ſolùm caveret ab illo, verùm etiam, ut ſecurus redderetur, nihil non moliretur, & ageret, etiam valdè difficulter; non attendens ad maximas expenſas, vel quantitatum pretioſarum ſumptus, machinaretur graſſatoris necem, immò inferret quantociùs ipſi ſeduliter mortem, ut vel ſic ſervaret incolumem ſuam vitam, & ſalutem. Quarè ergo vitiis aſſociamur, & illis jucundè acquieſcimus, pacem peſſimè profitentes cum ipſis? quaſi non ab eis timere poſſemus, & deberemus mortem æternam, & multoties temporalem: ad quas nobis infligendas quotidie ſuper nos irruunt, & ponderoſa mole ſuæ malitiæ nos in tot occaſionibus, tot vicibus, immò jugiter impellunt. Moriantur igitur [probatis armis pœnitentiæ deſtructa] vitia noſtram mortem, & damnationem æternam tantoperè quærentia, & ad inferendum nobis tale malum ardentiſſimè ſolicita. Jejunemus ab illorum conſortio, ab eiſdem ſemper caventes, immò ipſa oc-

occidamus, ut ab eis liberemur, ab epulis carnalibus abſtinentes, nobis jam in iſto tempore ad hoc indicto proficuo, & ſalutari jejunio. Si ſic nos abſtinuerimus ab alimentis viſibilibus, ut à vitiis irruentibus pariter jejunemus, noſcemus, quòd arma præſtat jejunium corporale, ut faciliùs vitia valeamus vincere, & illa à nobis expellere. Jejunio corporali addictus, deſtruet avaritiam, utpote paucis, & parvis contentus, ac ideò minùs quærendarum terræ facultatum, divitiarumvè ſtudioſus. Jejunio circumſeptus frænabit luxuriam per ſubſtractionem fomitis, nè in ſuo corpore inveniantur titillationes libidinis: idem ipſe abhorrebit à ſuperbia, non quærens in menſæ parvitate redolentia magnitudinem cibaria: & vincet ambitionem vili, & modico alimento nutritus, quod quidem potiùs ſumitur, ut mortem arceat, quàm ut delicias miniſtret: ac ſic conſervabitur innocuus, dignitatum,& illuſtrium officiorum pertæſus. Nec ſufficit taliter jejunanti de vitiis triumphare, procedit ultrà ad conquiſitiones ſpirituales poſt ſuperatum prælium, & partam victoriam, volens varias virtutes exercere: quia amans per jejunium prudentiam, carebit indiſcretione: fortitudinem induens, erit à puſillanimitate liber: temperantiæ inſerviens, à gula erit immunis: & juſtitiam eligens, faciet omnes injuſtitias extorres: ſic etiam virtuti Religionis obediens, corpore ab eſca carnali vacuo, & ſpiritu libero, ut qui non eſt impeditus nimio corporali alimento, Deum affectuoſiſſimè adorabit corpore, & anima, placens ipſi in verbis, obſequenſque illi & in factis. Per jejunium item ille felix homo erit in fide ſanior, in ſpe firmior, & in charitate ferventior. Congratulemur ergo ſic jejunanti, ſatagentes ſimilari ei, qui ſic invenit modum jejunandi pariter à vitiis irruentibus, quando abſtinet à cibis carnalibus. Deus Omnipotens voluntatem habet nobis hoc ipſum præſtandi, qui per Eccleſiam dedit nobis iſtam doctrinam, ſimulque ſpiritum, & animum ſic petendi.

Ora-

Oratio sexta.

D*Eus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium: concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per Dominum &c.*

Explicatio.



GNE petimus hodie repleri, & in ipso ardere, qui hodie etiam ab igne optamus, & poscimus liberari. Qui namque in hac Octava toties postulamus, ignem Sancti Spiritus in nobis accendi, hodie petimus Divinum refrigerium, timentes à vitiorum igne exuri. Ideò non obliviscentes Dei mirabilium in nimis accensa Babylonica fornace ostentorum, petentes igne Sancti Spiritus inflammari, rogamus Dominum nostrum, nè vitiorum patiamur incendium. Misericordia ejus faciet, quòd flamma vitiorum nobis nocere non possit, quos plenos igne Sancti Spiritus repererit. Si benè Dei amori adaptemur, & ignis iste charitatis ardentissimè custoditus fuerit in nobis, segnior erit ignis foris à vitiis nobis, ut nos urant, applicatus, etiam magna approximatione admotus, quàm ignis Spiritus Sancti, qui intùs in nobis fuerit accensus. Inveniet nos Sancti Spiritus igne præoccupatos flammæ vitiorum voracitas, & intrare animas nostras, vel corpora non poterit, ideòque nos non exuret. Dominans in nobis incendium Divinum ostium claudet, ne exustio valeat intrare vitiorum. Cedat finita flagitiosi ignis perversitas immenso, & infinito incendio, quo Spiritus Sanctus potitur, & quo per adventum suum facit corda humana ardere in charitate perfecta, ut simul frigida, algida, immò gelida sint ipsa

ipsa corda erga vitia. Res mirabilis profectò est, quò ardentius, eò reddi cor humanum frigidius. Se ipsum misericorditer det nobis habitatorem, qui spem tribuit nobis de eo, quòd, nè noceat, arcebit vitiorum ignem. Quæ potentior mitigatio ignis vitiorum poterat à nobis desiderari, atque à Deo efflagitari, quàm sedatio allata ab ipso infinito igne Sancti Spiritus, qui in nobis vult manere, & nobiscum in æternum commorari. Ergo idem est, nos petere Sancti Spiritus ignis incendium, quàm rogare pro gratia mitigationis pessimi ignis, noxiæque flammæ vitiorum. Multiplicetur oratio, ut faciliùs nobis veniat rerum supplicatarum obtentio.

Oratio secreta.

U*T accepta tibi sint, Domine, nostra jejunia: præsta nobis, quæsumus, hujus munere Sacramenti purificatum tibi pectus offerre. Per Dominum, &c.*

Explicatio.

NIsi pectus Christiani hominis fuerit purificatum, non poterit esse Deo acceptum ejus jejunium. Satagamus ad inveniendum cordis munditiam congruentem, qui jejuniorum nostrorum à Deo quærimus acceptationem. Sed quis poterit mundare, & purificare nostra pectora, aut corda, nisi ille, qui nos creavit, & suo cruore sancto redemit? Creavit, ut essemus; redemit, ut loti ipsius sanguine, apparere valeremus purificati, atque mundi. Hanc facit emundationem in Eucharistia Dei Filius, repræsentans, ac repetens incruentè per Sanctam Missam Sacrificium Crucis cruentum, quò genus est

est redemptum humanum. Hanc ipsam emundationem per sanguinem Christi operatur Pater Æternus: hanc itidem operationem facit Spiritus Sanctus, dum hæ tres distinctæ Divinæ Personæ sunt unus noster Salvator, nobis gratiã concedens, & peccata nostra remittens, quamvìs Filius, qui solus est incarnatus, sit solus Redemptor noster, qui proprio sanguine redemit homines, quos tota Trinitas per Christum salvari voluit, & clementer, ac benignè istud constituit. Filius redemit, & lavit nos sãguine proprio in natura humana assumpta pro nostro remedio: sed Pater, qui misit Filium, & Spiritus Sanctus [quo operante, conceptus est, in quantùm homo, Redemptor noster Jesus Christus] ejusdem Christi Sanguine [quamvìs propriè non habeant titulum Redemptoris] etiam salvant nos validè, suaviter, ac fortiter, & strenuè, purificantes pectora nostra in Divino Sacramento Eucharistiæ. Hoc munus nostra corda purificandi [salva institutione, & effectibus Baptismi, atque Pœnitentiæ] operatur in nobis [licèt non quoad conferendam per se primam gratiam] Eucharistia Sacra, donans nobis munditiam sua virtute Divina, ad hoc in præsenti tempore nostra emundans pectora, ut illa possimus Deo offerre, àc sic nostra Deo sint accepta jejunia. Si corda munda obtulerimus, Dei acceptationem in nostris jejuniis, & abstinentiis lucrabimur. Quis ergo est, qui ad Altare renuat appropinquare, & accedere? cùm ita possit [ipsi appropiando, tum Sacra faciens, tum per devotam auditionem Sacræ Missæ cum Sacerdote eam offerens, tum denique Sacram Communionem percipiens] pectoris purificationem consequi, ut cor benè lotum, & mundatum possit offerre Deo, à quo dependet nostrorum jejuniorum acceptatio, simulque bonorum cœlestium felix, atque æterna retributio. Profectò absque accepto Divino placito, vel Dei nostri beneplacito non obtento, & dum acceptatio talis Domini non ierit prævia, non erunt nobis proficua integrè nostra jejunia: quia ad æternam vitam per jejunia capessendam necesse est, ut veniat nobis à Divi-

Divina misericordia, hinc pectorum lotio, ut jejunia acceptentur, illinc acceptatio Deifica, ut præmia nobis tribuantur; & mirabilem consequentur finem hoc pacto nostra opera salutaria vitæ æternæ meritoria, quæ acceptaverit Deus noster sua pietate Divina.

Oratio post Communionem.

P*Ræbeant nobis, Domine, divinum tua Sancta fervorem: quo eorum pariter & actu delectemur, & fructu. Per Dominum, &c.*

Explicatio.

E'us ipsius solis, cujus est illuminare, est etiam ignefacere, seu incendere, ac consequenter per fervorem incussum, frigus, & tepiditates abigere. Sancta Dei [hoc est Sacramentum, & Sacrificium Altaris] illuminant Fideles Christi, velut sol, &, ut iste facit, ignem simul accendunt, fervorem ingerentes, quo depelluntur ex animabus nostris frigora, & tepiditates. Quis est tepidus, ac etiam multoties frigidus? Quis degit miserè, charitatis orbatus ardore, nisi ab Altari secedens, & à receptione Eucharistiæ, atque à Missæ Sacrificio abhorrens? E contrà, quis ferventior, quàm his Sacris Mysteriis vel offerendis, vel recipiendis propinquior? Jurè igitur Sancta Ecclesia hodie post communionem Missæ hujus Sabbati, nos edocet divinum fervorem petere, ac sperare à Deo per sua Sancta, hoc est, per Missæ Sacrificium, atque Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, ut curemus proinde nos disponere, si volumus non in cassum satagere, sed Divinum fervorem percipere. Si Deus tribuat, quòd in nobis fervor divinus, & ignis charitatis

tis accendatur à Sacris Altaris Mysteriis, eorum pariter & actu delectabimur, & fructu. Actu quidem delectationem habebimus hæc operantes Sancta, cum illa inenarrabili lætitia, quæ provenit à bona conscientia: fructu verò mysteriorum eorumdem delectabimur, beneficia ab Altari accipientes, tum pro vita futura perenni, tum etiam pro præsenti temporali. Ardeamus igitur, & ferveamus, ut actu, & fructu Dei Mysteriorum delectemur. Sic lætanter Sancta operabimur, sic ab eis fructum utilitatum maximarum jucundissimè accipiemus. Veniat igitur nobis tam proficuus fervor à Mysteriis hisce Divinis, ut ea frequentantes, & actu simul delectemur, & fructu; & ob hoc gaudentes Dei laudabimus magnalia, ac beneficiis novis quotidie potiemur concessis a Divina misericordia.



SECTIO TERTIA;

Habet explanatas, præter primas, omnes Orationes Missarum trium dierum Quatuor Temporum Septembris, sive Temporis Autumnalis.

§. Primus.

Pro Feria quarta Quatuor Temporum Septembris.

Oratio prima (quæ est eadem Officii) manet apposita, & explicata suprà in hac secunda parte, cap. 1. sect. 3. §. 1. pag. 284.

Oratio secunda Missæ hujus Feriæ.

P*Ræsta, quæsumus Domine, Familiæ tuæ supplicanti: ut dum à cibis corporalibus se abstinet, à vitiis quoque mente jejunet. Per Dominum, &c.*

Explicatio.



RO re magni ponderis consequenda non una tantùm fit petitio, sed multoties repetitur, & iteratur oratio. Magnum quidem negotium est, obtinere, quòd abstineat à peccatis ille, qui jejunat à corporalibus cibis: siquidem Ecclesia Mater nostra toties pro hoc Deum inclamat, & tam frequenter ejus Divinam Ma-

Majeſtatem interpellat. Et jurè ſanè de hoc pro filiis ſuis curat, quia abſque conceſſione hujus gratiæ, parvi, vel etiam minimi forent noſtra jejunia momenti. Quid proderit delicato puero, vel debili infirmo non veſci quibuſdam alimentis ſibi à Medicis pro tuenda, vel recuperanda ſalute interdictis, ſi puer, vel infirmus, iſtis præceptis ſervatis valdè accuratè, tamen non deſinerent terram comedere, & carbones deglutire? Certè comeſtio harum nocivarum rerum deſtrueret tunc abſtinētiæ fructum ex aliquorũ alimentorũ interdictione ſperatum. Ita peſſumdabit bonum ſperatum à corporali jejunio, & abſtinentia, ille, qui à cibis, & alimentis abſtinens corpore, à vitiis non vult jejunare mente. Benè hoc noſcit Dei Familia ab ipſo Deo inſtructa. Ideò petens ſupernum auxilium ad tantum malum vitandum, & ad lucrandum jejunii bonum effectum, rogat Deum ſuppliciter, ut ei concedat miſericorditer, quatenùs dum à cibis corporalibus ſe abſtinet, à vitiis quoque mente jejunet. Non dederit moras; immò cooperetur ſtatim gratiæ excitanti, & auxilianti homo, qui ita ſupplicat, ut ſic quod deſiderat, obtineat. Feſtinet ad precandum, qui ſe deſiderat exauditum. Non deerit Dei indeficiens ſuccurſus; ſiquidem ab ipſo Domino nobis venit iſte opportunus illum poſtulandi modus.



Oratio secreta.

H*Æc hostia, Domine, quæsumus, emundet nostra delicta: & ad Sacrificium celebrandum, subditorum tibi corpora, mentesque sanctificet. Per Dominum, &c.*

Explicatio.



OSTIA est verè salutaris, quæ, dum à tetris hostibus liberat, etiam, nè imposterùm inimici impetant, eos validissimè elongat. Hoc facit in Altari salutaris Hostia emundans nostra delicta, quæ sunt quidem nobis hostes pessimi, ac truculenti animarum nostrarum inimici. Rogamus hodie igitur Dominum, ut hæc Hostia emundet nostra delicta, à quibus mundati, erimus securi, Deo beneplacentes, ac poterimus vivere lætantes. Quamdiù fuerimus delictis innodati, nec esse poterimus [utpote in terra hostium] securi, nec Deo reddemur placiti. Jucunda igitur ab his infensionibus liberatione potiti, Domino liberatori nostro inserviemus, gratique ejus obsequio dicabimur. Hoc etiam ab Hostia Altaris provenire nobis poterit, si nostras Deus precationes exaudierit: siquidem, ut faveat, opus est, quòd nobis intendat. Petimus ergo hodie etiam, ut hæc Hostia modo alibi explicato, vel saltem per augmentum gratiæ, emundans nostra delicta [quia potenter agere pro nobis valet] subditorum Deo corpora, mentesque sanctificet. Verè enim dignus est desiderio, ille Dei famulatus, qui Deo nos subdens, corpora nostra Domino offert, simulque & subjicit mentes: itaque, cùm hanc felicem corporum, mentiumque subjectionem obtinuerimus, & corpora, & mentes nostras Hostia sanctificabit ad sacrificium celebran-

brandum. Simus ergo Deo subditi, ut felices reddamur, tum nostrorum emundatione criminum, tum etiam sanctificatione corporum nostrorum, ac mentium ad sanctum Missæ celebrandum Sacrificium. Corpore nobis sanctificatis, nulli inservire contra Dei voluntatem nos decebit: ideò non expediet obsequi mundo, carni, nec dæmoni: & mente etiam sanctificati, ita erimus Domino Deo nostro addicti, qui capaces reddamur gratiæ, & gloriæ majoris quotidie, nè umquàm ab eo velimus discedere. Sancti ergo efficiendi & corpore, & mente per emundantem à delictis Hostiam, Dei veneremur institutum; siquidem ipse in Altaris Sacramento, quod instituit, maxima nobis præparavit beneficia, dum facile nostrum remedium reddens, nobis clementer providit, & tot bona per salutarem Hostiam nobis concedere voluit.

Oratio post communionem.

Sumentes, Domine, dona cœlestia, suppliciter deprecamur: ut quæ sedula servitute, donante te, gerimus, dignis sensibus tuo munere capiamus. Per Dominum, &c.

Explicatio.



Dona cœlestia jure appellamus Corpus Sacratissimum, ac pretiosissimum Sanguinem Christi Domini, qui in Sancta Missa nos se ipso cibat, & pascit, fovet, & armat, nobilitat, & ditat, lætificat, atque sanat; ut tam mirabili saginati alimento quotidie evadamus puriores, vegetiores, & meliores, ideòque potiùs, quàm terrigenæ, cœlestes. Cœlestes, inquam, quia cœlicolas.

las nos intendunt facere, dum è cœlo quotidie corpus, & sanguis Domini veniunt pro nostra salute. De cœlo quidem, ubi est Christus, venit ejus Sacrum Corpus, simulque sanguis Divinus: venit totus Deus homo; quin à cœlo ejus præsentia circumscriptiva deficiat, diffinitiva, & Sacramentali nos exhilarat, & honorat, dum visitat, ut fidem nostram exploret, ac in ea nos quotidie per tam magnum Sacramentum confirmet. Hæc igitur sumentes cœlestia dona [verè dona, quia nec ut à nobis merita, vel labore nostro comparata, aut propriis industriis adquisita, habemus, neque ut nobis debita recipimus, sed ex mera Dei misericordia, illa nobis collata gaudemus] suppliciter Deum nostrum deprecamur: ut quæ sedula servitute, eo donante, gerimus, dignis sensibus suo munere capiamus. Notemus verba ista,& signemus tam mirificæ locutionis mysteria,ut ipsa intellecta nos erudiant, & erudiendo, nobis maximoperè proficiant. Dicimus, quòd, Deo donante, Sacrificium Altaris,& mysteria Sacra gerimus: & quòd ea sedula servitute libamus.Quomodò enim possemus illa gerere, & sedula servitute talia agere, nisi ipse Deus nos dono suæ gratiæ,& misericordiæ benignissimæ adjuvans, sedulam nobis ad tam magnas res faciendas servitutem impertisset, & inspirasset, piaque, & opportuna, ad hæc omnia, sua auxilia contulisset? Sed qui jam, Deo donante, Sacra gerimus sedula servitute, optamus Sacra ipsa, Domini ipsius munere, recipere, ac dignis sensibus capere. Dignum, & justum est, talia capere dignis sensibus: ut sic munere Dei præeunte, de tam magnis mysteriis, quæ Deo, & ipsis sint digna, semper sentiamus, credamus, & prædicemus. Æquum est etiam, ut dignis sensibus fidei, spei, & charitatis quotidie capiamus cœlestia dona, & Altaris Deifica pertractemus mysteria, quia dignum erit, fidem nostram quotidie firmari, spem augeri, & charitatem stabiliri: ut donis cœlestibus, ac Divinis Mysteriis semper reddamur aptiores, illisque digniores, dum eorum usu

a Deo

à Deo misericorde donati, ac tali præcellentia inter nationes orbis insigniti, fidem exercuerimus, spem ampliaverimus, charitatemque simul auxerimus; & ut quotidie capiamus dona cœlestia majori præparatione, simulque majori munditia tum corporis, tum etiam, & præcipuè, nostræ animæ.

§. Secundus.

Pro Feria sexta Quatuor Temporum Septembris.

Oratio prima (quæ est eadem Officii) manet apposita, & explicata suprà in hac 2. parte, cap. 1. sect. 3. §. 2. pag. 291.

Oratio secreta Missæ hujus Feriæ.

ACcepta tibi sint, Domine, quæsumus, nostri dona jejunii: quæ & expiando nos tua gratia dignos efficiant, & ad sempiterna promissa perducant. Per Dominum, &c.

Explicatio.



FOrsan dona vocamus jejunia nostra, quia [licèt ea Deo offeramus, ut debita tanto Regi tributa, utpote ex obligatione Ecclesiastici præcepti celebrata] cùm libentiùs, perseverantiùs, aut diuturniùs faciant homines ea, ad quæ voluntate propendunt; & jucundiùs, quàm solvunt ad quæ tenentur solvenda, distribuant do-

dona voluntaria : vult Ecclesia, quòd Deo nostro prompta, & hilari voluntate, nostri præsentemus dona jejunii : quæ dona, quò alacriùs oblata, acceptiora ideò erunt coram ejus Majestate Divina. Optamus, quòd jejunia ipsa, nos expiando, dignos faciant nos Dei gratia. Sanè, nisi anteà expiati, coram Domino non apparebimus gratiosi : immò neque gratiam poterimus ante expiationem recipere, ut valeamus coram nostro Creatore apparere. O magna jejunii virtus! O jejunia sacra ritè celebrata, eò efficaciora, quò pluries repetita! Multùm jejunia nobis proficiunt, quæ nos gratia Dei dignos efficiunt, & ad sempiterna promissa perducunt, dum nos expiant, & mundant, quando ad justificationem præparant [non solùm quia prohibentia puritatem removent, abiiciendo crapulas, & ebrietates, sed aptando nos ad assentiendum, & cooperandum Divinæ gratiæ auxiliis:] quæ quidem dum faciunt, dispositivè concurrunt, ut digni simus de congruo Divina gratia, & ut ad sempiterna perducamur promissa. Indigni eramus gratia Dei : non poteramus appropinquare æternis gaudiis promissis Paradisi, quando eramus gulæ indulgentes, & à Christiana parsimonia aberrantes : sed ex quò jejunamus, si prout decet, jejunemus, sperare possumus gratiam simul, & gloriam æternam : quia ad conspectum jejuniorum nostrorum faciet Deus noster clementer, & piè, ut possimus per Sacramenta, & veram contritionem expiari, quò alacriter fruamur Divina gratia: quò etiam gloria felicitemur æterna. Præeat ergo jejunium, nos gratia Dei dignos efficiens : & ita securi in jejunii sequela incedentes, inter Cœli accolas admittemur, ac sine fine beabimur. Sed si divites gratia, & beatos gloria jejunium nos facit, quomodo à tot hominibus est dimissum? quarè à tam paucis frequentatum? Eja : noscant jam homines jejunii virtutem, siquidem ad gratiam præparat, & etiam nos ad Empyrei gaudia portat. Nostra jejunia igitur, si Deo fuerint accepta, perducent nos ad sempiterna promissa: vel, quia pertrahent nos

nos ad illa Dei promissa, quæ futura sunt sempiterna, vel quoniam nos portabunt ad illa gaudia sempiterna, quæ à Deo sunt nobis promissa pro sua infinita benignitate, clementia, & misericordia. Felicia jejunii dona, quibus oblatis, ad Dei properamus promissa, & promissa quidem in æternum duratura! Impendatur tributum Regi magno gloriæ, dum jejunantes donaverimus nos illi, qui non deerit nobis in præmio, siquidem se ipsum nobis concedet, bonum æternum, & immensum, in quo sunt omnia, quæ promisit, bona: & sic abundè nostra præmiabuntur jejunia.

Oratio post Communionem.

Quæsumus, Omnipotens Deus, ut de perceptis muneribus gratias exhibentes, beneficia potiora sumamus. Per Dominum &c.

Explicatio.

Nisi de perceptis muneribus Deo exhiberentur gratiæ, superfluum videretur nova beneficia à Domino ipso requirere. Gratias non reddentes pro aliquo bono accepto, ingratitudine ista indigni efficiuntur, qui novo favore perfundantur, vel alia mercede ditentur. Occludere est quodammodò beneficiorum fontem, seu scaturiginem, mediam statuere, & interponere ingratitudinem; siquidem hæc præpedit, quod à majori beneficentia, aut liberalitate erumpit. Grato ideò animo de perceptis muneribus gratias hodie exhibentes, ab Omnipotente Deo nostro quærimus, ut beneficia potiora sumamus. Immò etiam hodie à Domino requirimus, ut concedat nobis, nos gratias exhibere, pro acceptis mu-

muneribus. Petimus gratitudinem, ut singulare beneficium, & ut specialem favorem: nam qui gratias non agentes essemus beneficiis indigni, si concessum nobis fuerit gratias agere, ex hoc ipso constituemur, grati facti velut supplices, esse gratiarum novarum accipiendarum capaces; & sic valebimus potiora petere, & sperare beneficia, ac ampliora percipere benefacta. Aliter, dum nobis non præberet Deus gratiam, ut essemus de perceptis muneribus gratias exhibentes, ac pro donis concessis a Domino gratum animum habentes, neque exorare ad beneficia accipienda potiora, neque sumere umquam valeremus ipsa. Non possemus, inquam petere, quia animus præ ingratitudinis indignitate deficeret: non acciperemus potiora beneficia, quia ingrati animi punitio foret donorum petitorum denegatio. Hodie ideò non solùm gratias exhibere volumus, sed, velle nos eamdem exhibitionem, declaramus: ut manifesta sit nostri gratitudo animi, & per eam, & ejus expressionem [ad hoc ut prebeatur aliis exemplum gratificandi] nos præparemus ad felicitatē beneficia potiora sumendi. Exigere, & desiderare beneficia accipere potiora, quàm accepta munera, ex eo provenit, quòd per gratiarum actionem auctum sit meritum, ut meliora nobis beneficia tribuantur. Non utique dicimus hìc beneficia potiora, quia possit aliquid esse substantialiter melius, perceptis muneribus in Altari; siquidem hæc munera accepta fuerunt Corpus, & Sanguis Christi: quibus nihil potius, nihil pretiosius, nihilque nobis utilius: sed desideramus potiora quoad modū, & respectivè ad nostrum desiderium; quia jucundius erit nobis [ideoque meliora accipiemus] quando in Cœlis possederimus Summum bonum absque timore umquàm illud amittendi: quando in gratia confirmati, & æternaliter in ea constituti, jam in Paradiso fuerimus glorificati Cælesti, jam nequiverimus peccare: & quando denique Christum Deum nostrum in gloria viderimus manifestum, quem in Sacra Eucharistia accipimus, & veneramur velatum.

§.Ter-

§. Tertius.

Pro Sabbato Quatuor Temporum Septembris.

Oratio prima hujus Sabbati (quæ est eadem Officii) manet apposita, & explicata suprà in hac 2. parte, cap. 1. sect. 3. §. 3. pag. 299.

Oratio secunda Missæ hujus Sabbati.

D*A nobis, quæsumus Omnipotens Deus: ut jejunando, tua gratia satiemur: & abstinendo, cunctis efficiamur hostibus fortiores. Per Dominum &c.*

Explicatio.



Deo, utpote Omnipotente, hodie petimus satietatem, ac etiam postulamus fortitudinem. Satietas nobis jucunditatem pariet: fortitudo nobis adducet honorem. Cùm fuerimus effecti ex satietate alacres, & ex fortitudine honorabiles, totum erit in laudem Omnipotentis Dei nos satiantis, nobisque fortitudinem tribuentis. Satiari petimus sua gratia, mediante jejunio, ut sic consequamur nos abstinentia, quod numquàm aliquis potuit obtinere gula. Hæc valebit ingurgitare epulones varietate ciborum; non verò implere rationalium animarum desiderium, utpote earum, quæ creatæ ad æterna bona, nequeunt plenam satietatem habere

 in

in quacūque temporaria : sed jejunium faciens instrumentaliter, seu dispositivè, gratia repleri homines abstinentes, ita facit, ipsa gratia satiari eorum animas, ut nihil aliud ad plenam lætitiam, & gustum possint desiderare in hac vita, dum ad easdē animas non venerit satietas, quæ erit in gloria, ac beatitudine æterna. Rogamus etiam Omnipotentem, & misericordem Dominum, quatenùs det nobis famulis suis, ut abstinendo, cunctis efficiamur hostibus fortiores. Quò intemperantiæ pronior, & obsequentior, eò est homo debilior. Caret animæ fortitudine, quia pleno cibis elegit gaudere ventre. Armat è contrà, roborat, & fortificat abstinentia, maximè contra inimicos spirituales, & quandoque etiam adversus impugnatores visibiles, à quibus non semel fuerunt profligati, & miserè devicti qui recesserunt à virtute abstinentiæ, suo indulgentes, præter debitum, abdomini. Ergo jejunemus, à cibis, & potius à peccatis abstinentes, & sic cunctis hostibus erimus effecti, ac evademus valentiores, & fortiores. Nihil contra nos, præcipuè, omnes animæ inimici valebunt, si gratia satiatos per jejunium nos invenerint, ac abstinentia munitos, & fortificatos viderint. Tunc vel recedent hostes, paventes cum talibus certamen inire, confligere, & prælium constituere, aut facere, utpote vincendi: vel, si nos audacter aggrediantur, à nobis armis abstinentiæ vincentur, discerpentur, & profligabuntur.



Ora-

Oratio tertia.

T*Uere, quæsumus Domine, Familiam tuam: ut salutis æternæ remedia, quæ, te inspirante, requirimus, te largiente, consequamur. Per Dominum. &c.*

Explicatio.



BSQUE Dei tutamine, & munimine non possumus esse Divina digni largitione. Facit quidem Domini nostri largitas, quòd bonis abundemus: sed, nè fiamus beneficiis indigni, Deus tutricem manum apponit suæ infinitę clementię, qua & removet nos à noxiis, & facit appropiare proficuis. Ideò exposcimus à Deo, ut suam tueri dignetur Familiam: ut sic tuta, & protecta possit recipere sperata. A Deo inspirati, remedia quærimus salutis æternæ. Vita quidem, & salus æterna, erunt, quæ remedium apponent necessitatibus omnibus, quibus oppressi in hac gemimus mortalitate angustiati. Sunt multa salutis æternæ remedia: siquidem salvatio proderit ad remedium corporis, & animæ. Salus æterna in gratia nos confirmabit, ut peccare non possimus, postquàm esse viatores desierimus: auferet etiam ab anima anxietates, singultus, & alias tribulationes. Relegabit à corpore lassitudinem per æternam requiem, famem per cibum celestem, sitim per jucundæ æternitatis potionem, & per Divinam filiationem etiam repellet à nobis captivitatem. Ecce quot, & quanta [pręter alia plurima] sunt salutis æternæ remedia. Hæc, Deo inspirante, requirimus: & hæc, si Deus nos Familiam suam tueatur, ipso largiente, consequemur. Utinam ergo Dominus misericorditer suam tueatur Familiam, ut talia remedia capientes, simus æternaliter hilares.

Ora-

Oratio quarta.

P Ræsta, quæsumus, Domine, sic nos ab epulis abstinere carnalibus, ut à vitiis irruentibus pariter jejunemus. Per Dominum &c.

Explicatio.



Ejunare ab in nos irruentibus non potest nobis accidere sine magna utilitate. Sed quid est ab irruentibus in nos jejunare? Est quidem hostibus potentissimis carere, & ab ipsorum irruptionibus vacare. Qui ab irruptione hostis est liber, gaudium habet; sed ille, in quem irruunt inimici, quomodo lætitiam habebit? Irruent super nos vitia, nisi ea abigat à nobis, præcipuè per jejunium, Divina misericordia. Ideò oramus Dominum nostrum, ut qui ab epulis abstinemus carnalibus, à vitiis irruentibus pariter jejunemus. Poterat Deus aliter vitia in nos irruentia à nobis avertere; sed vult providentissimè ad augendum nostrum meritum æternæ beatitudinis, ut coercitio vitiorum in nos irruentium fiat per carnalium abstinentiam ciborum. Utinam lucretur Dominus quod in nobis facere intendit. Faxit ipse Deus, quòd non recedamus ab illo, quod à nobis clementissimè requirit, quando vult, ut qui abstinemus nos per jejunium à carnalibus cibis, jejunemus à vitiis in nos irruentibus, nosque diripere, ac destruere conantibus. Itaque, adversariis victis, carentes pessimorum hostium invasione, mæstitia non afficiemur, nec damna animarum patientes sub infelici jugo tam infestorum inimicorum plorabimus: immò à Deo confortati, ut faciamus quod ipse præcepit, ejus jussui obaudientes, lætitia inennarrabili perfusi, Regiam consequemur Empyrei.

Ora-

Oratio quinta.

UT nobis, Domine, tribuis solemne tibi deferre jejunium: sic nobis, quæsumus, indulgentiæ præsta subsidium. Per Dominum.

Explicatio.



ERTA est hujus Orationis suppositio; siquidem supponit, esse Dei donum nobis concessum, quòd ipsi Domino nostro solemne deferamus jejunium. Nisi hoc dono suæ liberalitatis affecti, nequiremus eidem jejunium solemne libare. Ideò deferimus, quia accepimus: ideo accepimus, quia Deus hoc nobis dedit donũ propitius. Offerimus jejuniũ, Deo donante, solemniter Domino ipsi: cui si solemne jejunium profecerit ad accidentalem honorem, nobis, quòd tali Deo jejunium littemus, proderit ad nostrarum mentium lucrum per auctionem impetrationis, satisfactionis, & meriti, ac etiam per consolationem rectè facti. Restat, ut, sicut Deus nobis tribuit, solemne ipsi deferre jejunium, sic nobis idem Dominus indulgentiæ præstet subsidium. Quia vidimus, eum nobis velle donare, ut ipsi solemne jejunium deferamus; fidimus, quòd etiam concedet nobis, indulgentiæ subsidio ditari, ac nostra peccata dimitti. Hanc concedet indulgentiam, & remissionem, qui donavit nobis jejunare, & ei ipsi solemne, tribuit, jejunium deferre; ut digni evadamus, qui potiamur cœlesti beatitudine, qua sine peccatorum remissione neutiquàm poterimus perfrui. Laudemus ergo Deum, qui vult largiri, & largitus est nobis media opportuna, ut finem bonum capiamus, & per ævum æternum Sanctorum consortes simus.

Ora-

Oratio sexta.

D*Eus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium: concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per Dominum &c.*

Explicatio.



Famulorum est a suo Domino non petere quod ei displicet, sed potius quod ipsi placet. Domino Deo nostro placet quidem, nos vitiorum neutiquam flamma exuri, sicut ei summè displicet, aliquos suæ Familiæ, populi, scilicèt, Christiani, inter vitiorum globos, atque flammas miserè ardere. O flamma peccati! quæ simul urit, & fumo excæcat in ea involutos, nè exitum videant, & elabantur, seu ab igne fugiant, aut ullum remedium quærant; nisi Deus avertat fumum ab igneis globis, ut sit miseris, quamvis semiexustis, spes aliqua evadendi proximum periculum exustionis totalis, ac etiam facultas remedium postulandi, vel adquirendi contra impetum ignis. Ipse Deus, qui tribus pueris mitigavit flammas ignium, à nobis piè exoratus concedat per gratiæ suæ donum benignissimum, ut nos famulos suos non exurat flamma vitiorum: non exurat, nè excæcet: non exurat, nè spem nostræ salvationis ipsa flamma in nobis destruat: non exurat, nè inter fumos vitiorum ipsorum miserè pereamus absque remedio in hoc sæculo, cremationi æternæ addicti cum societate dæmonum in futuro. Nè accendatur flamma, extinguatur quamprimùm scintilla, vel aqua, videlicèt, vel terra: quia, Deo propitius concedente, non exuret nos flam-

flamma vitiorum, si ipsius ignis initia extinxerimus [nè fiat flamma] vel terram sepulchri attentè considerantes, vel ad extinguendum initium ignis vitiorum [nè flamma eorum exurgat ad nos exurendum] vim lachrymarum [tum dolore peccati, tum amore beatitudinis æternæ, tum etiam, & præcipuè, ex compassione pœnarum Passionis, & Mortis Redemptoris nostri clementissimi Jesu Christi] profundentes, perennibus fontibus nostris oculis factis. Quia, si quodlibet istorum, ut senserimus ignem, faciamus ad ignem ipsum extinguendum, remedium applicabimus, & facile, & opportunum.

Oratio secreta.

Concede, quæsumus, Omnipotens Deus, ut oculis tuæ Majestatis munus oblatum, & gratiam nobis devotionis obtineat, & effectum beatæ perennitatis acquirat. Per Dominum.

Explicatio.

PLURA poterunt bona nobis provenire à munere oblato oculis Divinæ Majestatis, si ipse Deus Omnipotentia sua nobis faveat, concedens, ut per munus oblatum ad nos accedant exorata beneficia, & propinquent desiderata adjutoria. Pro his oramus Dominum, qui tantilli, & exigui ausimus munus Divinæ Majestati offerre. Oculis quidem Domini obtulimus munus, suæ agnoscentes magnificam excellentiam Deitatis, benignitatemque admirantes ejus, qui tam parvos offerentes non respuit, immò misericorditer ad suum Altare admittit. Faciet Deus ipse id, quod offerentes munus pe-

timus, si humilitatis, vel potiùs vilitatis nostræ conscii, coram illo demissè prosternamur. Tunc à munere oblato proveniet nobis, & gratiæ piæ devotionis obtentio, & effectus perennitatis beatæ acquisitio. Gratia piæ devotionis ditari volumus, ut piè viventes, piè extra Altare, sed potiùs in illo, Domino nostro cum devotione serviamus: ac sic ei devotè obsequentes, bonorum effectuum quotidie efficiemur capaciores. Quis effectus melior, quàm Deo in gratiæ statu placere? siquidem esse in gratiæ statu, est appropinquare cœlo. Ipsius cœli bonum proveniet nobis à munere oblato oculis Majestatis Divinæ, Deo largiente; quia tale munus oblatum potest nobis effectum beatæ perennitatis acquirere. Hoc effectu æternitatis gloriosæ in perenni beatitudine, nihil potest nobis esse commodius, quia nihil valet inveniri felicius.

Oratio post Communionem.

P*Erficiant in nobis, Domine, quæsumus, tua Sacramenta, quod continent: ut quæ nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus.*

Explicatio.



ERFECTA Missæ Mysteria possunt perficere, & sancta nos valent Sacramenta sanctificare. Perfecta, & sancta sunt Sacramenta, quæ in Dei Altari, ut talia, percipimus: ideò ab eis sanctitatem, atque perfectionem expectamus. Continent hæc Sacramenta, ut gloriæ pignora, spem nostræ cœlestis beatitudinis, in ipsorum valore stabilitam, & eorum magnitudine suffultam. Rogamus igitur hodie Dominum Nostrum, ut sua Sacra-

cramenta in nobis perficiant quod continent, hoc est, nos in hac vita [saltem dispositivè, vel præparando nos Missam audientes ad gratiam Sacramenti Pœnitentiæ, aut Contritionis cum voto ejusdem Pœnitentiæ] sanctificent,atque perfectos reddant: ut quam continent spem nostram, in æternam gloriæ possessionem [perficientibus ipsis Sacramentis] inveniamus feliciter aliquando commutatam.Sic fiet,ut ea,quæ nunc specie gerimus,rerum veritate capiamus:hoc est:quæ [velatumDominum inter Sacramenta adorantes] specie, & similitudine gloriæ potientes [specie tantùm, quia nondum sumus glorificati] gerimus, dum in altari servimus, rerum veritate capiamus: scilicet, percipientes in claritate beatitudinis gloriosæ, & æternæ veram Dei visionem nobis in his Sacramentis promissam, maximè desideratam, & totiès à nobis cordis, & animæ anxiis gemitibus expetitam. Sic rerum veritate capientes in futuro, quæ nunc specie gerimus, in æterna gratiarum actione occupabimur, laudis perpetuæ sacrificium celebrantes in Empyreo largitori Deo, qui dum nos reficit Sacramentis suis in mundo, spem nostram adauget fruendi fructibus eorum in Cœlo.



SECTIO QUARTA,

Habet explanatas, præter primas, omnes Orationes Missarum trium dierum Quatuor Temporum Adventus, sive Temporis Hiemalis.

§. Primus.

Pro Feria quarta Quatuor Temporum Adventus.

Oratio prima hujus Feriæ (quæ est eadem Officii) manet apposita, & explicata suprà in hac 2. parte, cap. 1. sect. 4. §. 1. pag. 304.

Oratio secunda Missæ hujus Feriæ.

F*Estina, quæsumus Domine, nè tardaveris, & auxilium nobis supernæ virtutis impende; ut Adventus tui consolationibus subleventur qui in tua pietate confidunt. Qui vivis, & regnas &c.*

Explicatio.

PEtimus à Christo Domino, ut festinet, nec tardaverit: & sic erit beneficium ejus tantò appretiabilius, quantò factum fuerit brevius. Veniet nobis eo jucundiùs, quò velociùs: erimusque obligati ad gratias ei reddendas, tum ob benignitatem visitandi, tum ob celeritatem visitationem faciendi: & respondere debebit ma-

major gratitudo noſtra majori largitati beneficentiæ Divinæ. Oramus Jeſum etiam, ut auxilium nobis ſupernæ virtutis impendat, qui in obſidione inimicorum periclitamur, niſi nobis venerit ſuccurſus, per quem reddamur alacriter fortes, qui abſque auxilio foremus triſtitia magna imbecilles: & qui ſine auxilio ſuccumbere timidi poteramus, cum auxilio feliciter vincemus. Itaque dabit nobis victoriam qui ad nobis auxiliandum impenderit virtutem ſupernam: erit in nobis victor, qui noſter clementer voluerit eſſe auxiliator. Sicque fiet, ut qui in pietate Filii Dei confidunt, Adventus ſui conſolationibus ſublerentur. Illi ſublevabuntur qui confidunt: à non habentibus fiduciam relegabitur, & diſcedet ſublevatio, ſeu alleviatio inter anxietatem terrenam: & qui caruerunt ſpe Divinæ conſolationis, ſublevatione iſta etiam privabuntur divinæ pietatis. Sperantes [etiamſi præ miſeriis hujus vitæ fuerint proſtrati, & exiſtant jacentes] Adventus Chriſti conſolationibus ſublevabũtur, & ad ſuperna dirigentur. Pro una fiducia Divinę pietatis, erunt ipſis à Jeſu Chriſto proveniẽtes plures Adventus ejus conſolationes: nõ una erit conſolatio, ſed cõſolationes plures erunt piis hominibus taliter in Divina Chriſti pietate confidentibus: quæ cõſollationes ſublevabunt eos ſolatio, & aptabunt præmio, illos removẽtes ab exitio: ut multipliciter felicitate donẽtur, qui tam ſingulariter de Redemptoris noſtri benigniſſima miſericordia ſentientes, in ejus pietate confidunt: & ut reſpondeat conſolatio repetita [tum terrena in licitis, tum cœleſtis adhuc inter mortales degentibus in fauſtiſſime jucundis] illi benè fundatæ in Jeſu Chriſti pietate confidentiæ: ut denique inennarrabiliter conſolatione repleantur, qui fideliter in tali, ac tanta confidunt miſericordia.

Ora-

Oratio secreta.

ACcepta tibi sint, quæsumus Domine, nostra jejunia: quæ & expiando nos tua gratia dignos efficiant, & ad sempiterna promissa perducant. Per Dominum &c.

Explicatio.



ESIDERANTES Divinum beneplacitum, oramus Deum, ut sint accepta nostra jejunia coram ejus Majestate Divina: & qui curamus, ut à Domino acceptentur, curare ad hoc capiendum debemus, ut per Divinam gratiam à nobis jejunia ipsa perficiantur: nisi enim quæsierimus diligenter, ea perfici, non obtinebimus, illa à Divina Majestate acceptari. Eo majus erit Dei beneplacitum, quò fuerit opus ipsi oblatum perfectius. Indigentes igitur præmio, soliciti sumus pro Dei acceptaturi jejunia nostra [ut ab eo petitur, si taliter facere dignatus fuerit] beneplacito; quia nos numquam ditabit opus, quod Domino displicuerit. Verum est, quòd Deus aliquoties, ut benignè nostros actus acceptet, ipsorum defectus supplet; hoc tamen consideremus, non ut nostra foveatur desidia, sed ut Divina à nobis decantetur, & benedicatur laudibus æternis benignissima clementia: satagamus, nè necessarium sit, quòd multa ob ignaviam nostram suppleat ille, à quo petimus, ut in jejuniis nostris complaceat. Quærimus etiam hodie, quòd jejunia nostra nos expient, ut Divinæ gratiæ dignos efficiant, & gratiæ ipsæ nos aptent, atque disponant: quia profectò non erimus unquàm adeò Divina gratia, nec de congruo digni, nisi anteà fuerimus per jejunia nostra, aut aliqua bona opera, saltem disponentia

tia nos ad gratiam recipiendam, expiati. Loti à jejunio, & per abstinentiā [in explicato sensu efficaciter operantem] emundati pœnitentiæ lavacro, carebimus sordibus, ac sic Deo grati erimus. Jejunia itidem nostra Deo oblata, si ei fuerint accepta, perducent nos ad sempiterna promissa. O magna vis jejuniorum! quæ valet nos elevare usque ad cœlum, dum januas ejus, quæ terrigenis Adæ posteris obseravit gula, ipsas eisdem hominibus reserat, vel aperit præparans ad gratiam jejunium, patefacit abstinentia: sed hoc erit nobis, si ritè jejunemus, &, si debitis circumstantiis abstineamus. Tunc non oberit nobis terreni corporis moles, quia quodammodò jejunio spiritualizata, & à mundiali gravamine libera, aptabitur, ut sit cum anima in altum elata, ac evecta usque ad obtinendam in cœlis superna Dei promissa: & meliùs ad talia ascendemus, ex quò perfectiùs jejunio addicti fuerimus.

Oratio post Communionem.

Salutaris tui, Domine, munere satiati, supplices deprecamur, ut cujus lætamur gustu renovemur effectu. Per Dominum &c.

Explicatio.



SOlus Deus satiare potest hominem capacem adeò recipiendi, ut etiam Dominum immensum possit accipere. Absque Deo anima non saturatur, sed munere Salutaris Dei valdè abundanter reficitur. Ipsum Salutare Divinum, nempe, Deus ipse, implet illud vacuum, quod voluit in nobis efficere, qui decrevit nos condere, & qui solus statuit posse vacuum nostræ capacitatis imple-

plere. Sancivit ergo à creatione nostra, ut neque opes, neque honores, neque delitiæ, aut alia, si quæ sunt, terrestria bona, unquàm valeant nostrum adimplere perfectè desiderium, rationalemvè appetitum, solùm replendum satis per immensam, æternam, & infinitam Divinitatem nostri misericordis Creatoris. Quia illum continet Eucharistia, satiat nos, dum reficit: & quando nos sua pinguedine cibat, tunc capacitatem nostram adimplet, tunc verè saturatos, verè constituit jucundos. Impinguat animam cibus Sacramentalis, si illum dignè accepturus se benè paraverit, priusquàm ad mensam Divini Altaris accesserit. Sapit, dum cibat cœleste Sacramentale convivium: communicat recipienti lætum gustum, reddens recipientem jucundum, quia ipsius adimplet votũ. Petimus hodie igitur, ut cujus lætamur gustu, renovemur effectu, qui jam sumus satiati per Divini, superni, ac cœlestis receptionem Sacramenti. Rogamus itaque, ut panis dulcis, qui nobis dedit jucunditatem, tribuat & renovationem: ut virtute talis cibi nos proficientes renovemur, siquidem gustus ejus lætitia, ac consolatione perfundimur. Ut nos renovet, rogamus, illud, quod abundè satiat, id, quod tam dulciter sapit, & tam prodigiosè lætificat! Poterit renovare panis Eucharisticus satians, satiare dulcorans, ac etiam suo sapore lætificans. Speremus renovationis effectum, suavis dulcedinis gustum, & etiam jucundissimum gaudium, Dei Salutaris munere satiati, Sacratissima, inquam, Eucharistia refecti: quia Salutare Dei, nempe, Redemptor noster, est in Divino Altaris Sacramento, ut satians renovet homines, ut cibans distribuat dulcedines, & ut reficiens præbeat maximas jucunditates.

§. Secundus.

Pro Feria sexta Quatuor Temporum Adventus.

Oratio prima hujus Feriæ (quæ est eadem Officii) manet apposita, & explicata suprà in hac 2. parte, cap. 1. sect. 4. §. 2. pag. 310.

Oratio secreta Missæ hujus Feriæ.

MUneribus nostris, quæsumus Domine, precibusque susceptis, & cœlestibus nos munda mysteriis, & clementer exaudi. Per Dominum &c.

Explicatio.

SUpponentes, nostra munera cum nostris etiam precibus, absque nostro merito, à Deo nostro acceptata, vel suscepta à sua fuisse misericordia: vel petentes, ut ea suscipere Majestas dignetur Divina; oramus hodie, desiderantes in supremo tribunali attendi, atque benè à clementia nostri Domini expediri. Antequàm petamus, offerimus, præitque tributum debitum ex justitia, petitionem, quam præsentamus pro gratia. Solventes tributum munerum, Dei agnoscimus dominium supremum, ut cognitio Divinæ celsitudinis nos disponat ad rectè fundendas preces, & ad superni Regis optatos recipiendos favores: itaque solventes debita, paramur ad comparandum orata, siquidem benè præparabuntur

preces faciendæ ab eo, qui adorat debitè Deum Regia super omnes Reges splendidum dignitate. Regem supremum Regum cum muneribus ideo adimus, quando ejus beneficia deposcimus. Sed magna petimus, quamvis sint parva munera, nostrarum precum occursu stipata, quæ in Missa ante consecrationem obtulimus, oblaturi post confectum Sacramentum, res valoris infiniti, quia sunt Caro, & Sanguis Hominis simul, & Dei, nempe, Redemptoris nostri, simulque Conditoris, Domini Jesu Christi. Exiguæ quidem sunt preces, quas fundimus, quando in hac oratione dicimus: Muneribus nostris, quæsumus Domine, precibusque susceptis. Sed posteà, præeuntibus precibus parvis, ad magna deposcenda dilatamur, dum deprecamur cœlestibus mysteriis emundari, & clementer à Deo exaudiri. Utrumque istud quidem expedit, & gloriæ Divinæ, & utilitati nostræ. Erit Deo accidentalis gloria, si cœlestibus mysteriis nostra mundata fuerit conscientia, & clementer exaudierit nos ipsa Majestas Divina. Multùm nobis proficiet, & expediet nostræ utilitati, & mundari, & exaudiri, maximè, si cœlestibus mysteriis mundamur, & clementer exaudimur: quia juvabit nos, quòd nos emundantia non sint terrea, sed è cœlo manantia, & quòd non exaudiamur secundum demerita nostræ fragilis naturæ, sed juxta benignitatem Divinæ misericordiæ: quia cœlestia mysteria dum mundant, etiam nos nobilitant, & clementes Divinæ exauditiones à nobis per Deum exauditis omnes arcebunt, tollentque necessitates, dum nos efficient feliciter, & alacriter pro Dei concessionibus divites. Magna igitur res erit mundari cum nobilitatione, & nos etiam propter emundationem nobiles in gratiæ celsitudine effici: magnumque etiam erit clementer exaudiri, & ab omnibus laboribus, atque angustiis liberari.

Ora-

Oratio post Communionem.

TUi nos, Domine, Sacramenti libatio sancta restauret: & à vetustate purgatos, in mysterii salutaris faciat transire consortium. Per Dominum &c.

Explicatio.



AGNOSCUNTUR profectò destructi qui desiderantur restaurati: quia non esset necessarium, quòd succederet petita restauratio, nisi anteà præcessisset destructio. Perditi, desideramus hodie inveniri: labefactati, solicitè requirimus refici. Quid magis proderit ad inveniendos perditos, & restaurandos destructos, quàm sancta libatio Sacramenti Divini, in quo est virtus ad restauranda destructa, & ad invenienda perdita? Prævivit istam hodiernam petitionem accepta Communio, quæ nos communit [quando etiam communiter unit, vel ad communem unionem attrahit, dum proximi propter Deum amorem in nobis reficit] communit, inquam, consolidat, & fortificat, restaurans nos, & in Dei via spiritualiter renovans, quando pro nostra debilitate fueramus possumdati,& clade deplorabili disjecti. Itaque exaudiri speramus, quando preces istas in oratione hac contentas post communionem effundimus. Virtutem Sacramenti confitentes fidefidiùs, ut suum sortiatur effectum, confidentet postulamus. Fide Sacramenti aptamur, ut nobis concedatur piè, quod fideliter deposcimus. A vetustate purgatos, petimus, quòd nos transire faciat libatio sancta Sacramenti in consortium salutaris Mysterii jam in Sacra Missa peracti. Si à vetustate purgati fuerimus, feliciter renovabimur. In transitu felices erimus, culpæ vetustatem purgati reij-

cientes, & consortium Dei mysterii per restaurantem renovationem captantes. Alacres itaque translati de morte ad vitam, transitum, & statum viatorum exuentes, mansionemque æternam Comprehendentium, Comprehensorumvè assecuti, Divinam libationem in summo pretio habentes, laudabimus æternaliter Dei potentiam nos restaurantem mirificè, & per Sacramenta restaurantia, nos protegentem tam validè.

§. Tertius.

Pro Sabbato Quatuor Temporum Adventus.

Oratio prima hujus Sabbati (quæ est eadem Officii) manet apposita, & explicata suprà in hac secunda parte, cap. 1. sect. 4. §. 3. pag. 319.

Oratio secunda Missæ hujus Feriæ.

C*Oncede, quæsumus, Omnipotens Deus, ut qui sub peccati jugo ex vetusta servitute deprimimur; expectata Unigeniti tui nova Nativitate liberemur. Per Dominum, &c.*

Explicatio.



GRAVISSIMUM est peccati jugum, siquidem eos, quos subigit, opprimit, & gemere facit. Quamvis gementes, & onera iniquitatum portantes inviti, nequent peccatores per se ipsos, & viribus tantùm suis onus delictorum excutere. Vetusta est hæc servitus criminum,

quam

quam patitur genus humanum ; siquidem in limine mundi apud Paradisum terrenalem sumpsit exordium ob inobedientiam Adæ primi nostri Patris, qui fructum vetitum gustans, maximas nobis intulit miserias. Venit nobis à Parente primo vetusta subjectio sub jugo peccaminosi ponderis, & infelicis sub potestate diaboli captivitatis. Gemimus etiam gravati onere procero pœnarum in vindictam originalis delicti. Moles est hæc formidabilis, sub qua, quamvis inviti, deprimimur: ideo allevationem quærere à Deo nostro egemus, quem ad hoc hodie suppliciter exoramus. Ideo petimus, ut [quotannis in repræsentatione expectata] Unigeniti Dei Nativitas nova liberet nos à pondere, & pęnalitate captivitatis, vel servitutis antiquæ. Hac liberatione respirabimus, qui facinorum oppressione affligimur. Utinam nobis concedatur liberari à peccati terribili jugo, ut, eo excusso, liberè possimus incedere, atque alacriter iter æternæ vitæ arripientes, cęlesti Paradiso appropinquare, & ovantes, Empyrei Curiam felicissimam ingredi.



Ora-

Oratio tertia.

INdignos nos, quæsumus Domine, famulos tuos, quos actionis propriæ culpa contristat: Unigeniti Filii tui Adventu lætifica. Qui tecum vivit, & regnat, &c.

Explicatio.



NDIGNITATIS confessio est via, per quam ad nos venit Divina exauditio, & petitorum à Domino consecutio. Famulos indignos, & inutiles nos fateri, plurimùm valebit nosmetipsos adjuvare. Lucebit magìs liberalitas Divina, ubi ad recipienda beneficia indignitas intercedit humana. Non retrahit Dominum à concedendis favoribus indignos se appellantibus, defectus meritorum hominum gratias comparare cupientium, si ipsi cupientes accesserint ad Deum humiliter supplicantes. Præsumptio propriorum meritorum perdit, ac destruit; sed ipsa indignitas humiliter diffidentium de suis operibus, ut hi exaudiantur, non officit. Humilitas noscentium, fatentiumque indignitatem, est meritum, quando aliud non adsit, apud Dominum misericordem. Ideo hodie Deo nostro indignitatem nostram præsentamus, ut nobis veniat, & fiat ab ejus Majestate quod petimus. Coram ipso tamen debemus apparere de culpa propriæ actionis contristati, non in indignitate volentes ampliùs persistere, sed potius cupientes esse boni servi tam sublimis, & magnifici Domini. Sic sperare poterimus, quod Pater Æternus nos Adventu Filii sui lætificet, qui dignos jam ob nostram confessionem humilem fecerit. Per Filium talis Patris veniet nobis major lætitia, quàm fuerit contristatio nostra inter pœnalitates, quibus scatet hæc vita.

Ora-

Oratio quarta.

P*Ræsta, quæsumus, Omnipotens Deus, ut Filii tui ventura solemnitas, & præsentis nobis vitæ remedia conferat, & præmia æterna concedat. Per eumdem &c.*

Explicatio.



Ui tot ab hinc sæculis nos redempturus de cœlo venit in mundum, sæpiùs suum spiritualiter, & repræsentativè repetit Adventum, etiam ob generis humani beneficium. Instat jam in hoc Sabbato repræsentatio nova illius realis, ac veræ Nativitatis Christi ex Virgine, tantò ab hinc tempore effectæ. Veniens tunc Redemptor Noster replevit orbem alacri donorum largitione: veniens nunc spiritualiter, quia Rex est Magnificus, ostenditur etiam in liberalitate profusus. Qui non cessavit per tot sæcula, beneficia semper distribuens, non est, nec erit umquàm fatigatione lassatus, ut desinat esse beneficus, Habet Filii Dei Persona duas secum naturas, Divinam, scilicèt, & humanam, ambas ad nobis gratias elargiendum proclives, & ad munera impertiendum liberales. Ideò ventura solemnitas maximas, & innumeras potest distribuere gratias. Hac fide, & spe muniti, hodie petimus multa, & magna, alia pro hoc sæculo, alia etiam poscentes pro futuro. Ad vitam præsentem remedia à Deo nobis conferri deposcimus: pro vita verò futura præmia concedi æterna, flagitamus. Utrumque potest agere ventura solemnitas, in qua proximè Christi Domini Nostri est celebranda Nativitas. Faciet utique Pater Æternus, [ut ab eo quærimus, & speramus] quòd Nativitas Christi nobis con-

conferat remedia gratiæ cum vitæ corporalis subsidiis; ac etiam præmia æterna concedat cum inennarrabilibus gaudiis.

Oratio quinta.

P*Reces populi tui, quæsumus Domine, clementer exaudi: ut qui justè pro peccatis nostris affligimur, pietatis tuæ visitatione consolemur. Qui vivis, &c.*

Explicatio.



UAMVIS in ergastulo, juxta merita patratorum criminum afflicti homines scelerati; tamen, si Rex ad eos visitandos veniret, maximam haberent consolationem. Ipsa Regis visitatio expectaretur, ut pœnarum, & afflictionum destructio; siquidem Regem decebat eos reos à carcere eruere, vel in ipsa custodia pœnã afflictorum mitigare. Hodie à Christo Rege nostro proximè ad nos visitandos spiritualiter in suæ Nativitatis repræsentatione venturo [quando justè pro peccatis nostris afflicti, & pœnarũ pondere prægravati detinemur] petimus, nostras preces clementer exaudiri: & hoc quidem, ut exaudiens eas, nobiscum exercere suas dignetur misericordias. Rogamus, ut clementer exaudiat, qui optamus, quòd nobis sua visitatione succurrat. Expectantes lætitiam ipsius visitationis, incipimus mæstitiam excutere, atque spirituali alacritate vestiri. Quid aget, vel potiùs quid non aget in bonum nostrum tanti Regis visitatio benigna, quando expectatio suæ visitationis nos perfundit lætitia adeò magna? Utique benè sperare possumus visitatione suæ pietatis consolari, quando venerit dies jam proximus sacratæ Nativitatis illius.

Ora-

Oratio ſexta.

D*Eus, qui tribus pueris mitigaſti flammas ignium: concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per Dominum &c.*

Explicatio.



IN proxima expectatione procedente à propinqua repræſentatione Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, recolimus hodie illud beneficium, quod tres pueri à Deo receperunt apud ignem Babylonicum. Tribus pueris per illum, qui Filius Dei videbatur, Deus mitigavit flammas ignium: ita mitigavit, ut eos incolumes etiam in ignis medio cuſtodiret: ita flammas cohibuit, ut in nihilo tribus pueris nocerent. A flamma remanſerunt intacti, viſitatione illius, qui Filio Dei ſimilis erat, protecti. Quid faciet veritas, quando umbra felicitat? Quid non operabitur figuratum, quando figura confert patrocinium? Ibi viſitavit tres pueros ille, qui Filio Dei ſimilis videbatur. In Nativitate Chriſti idem Filius Dei verus, qui pro nobis factus homo fuit natus, viſitans mundum, ipſi demonſtratur propitius. Per Nativitatem ſuam ſemper nobis favet, ſed ſpecialiter, quando annuatim poſt celebratum Adventus tempus, renovatur memoria Natalis ipſius benigniſſimi Redemptoris. Memoramur igitur nos, miraculum fuiſſe à Deo factum contra vim ignis Babylonicæ fornacis, nos, inquam, qui niſi à Domino noſtro protegamur, tangi, & exuri timemus à vitiis. Sunt quidem vitia fortis ignis deterioris conditionis: quia in præſenti vita faciunt, per flammam malitiæ ardere eos, qui illis inſerviunt, & in

gehenna eosdem exuri, quia exusti consumantur, ut in æternum crucientur. Eò flamma vitiorum pertingit, ut faciat, miseros damnatos mortem appetere, velut remedium, quod profectò est, & erit illis in æternum denegatum. Oramus ergo Dominum, Nativitati Christi propinquantes, ac de efficacia tenerrimi, ac dulcissimi beneficii ejus visitationis confidentes, quatenùs Pater Æternus concedat nobis propitius, ut nos famulos suos non exurat flamma vitiorum: hoc est, ut vitia à nobis arceat, ne noceant: cohibeat impetum eorum, nè destruant: frænet ea, nè offendant: vincat denique vim illorum, nè quidquam valeant ad nostrum nocumentum. Nominamur famuli Dei, quàndo cremari refugimus, ut Dominus domus ab ea ignem removeat, & sic suos famulos defendat. Tutabitur nos misericors Pater, si, ut veri ejus famuli, illi ubique, ac semper tribuerimus obsequium: & abiget à nobis vitiorum incendium per omnipotens misericordiæ suæ patrocinium.

Oratio secreta.

SAcrificiis præsentibus, quæsumus Domine, placatus intende: ut & devotioni nostræ proficiant, & saluti. Per Dominum &c.

Explicatio.



IRatus Dominus Deus attendit ad effundendã terribiliter iram; sed placatus intendit ad exercendam dulciter misericordiam. Desiderantes igitur uti benignis ipsius pietatis effectibus, rogamus eum, ut intendat Sacrificiis præsentibus placatus. De ejus placatione confidimus in eisdem Sacrificiis præsentibus: quia præsentibus.

bus Sacrificiis movetur ille ad vincendam misericordia iram, & ad subveniendum exorantibus clementiam. Sacrificium præsens est unum formaliter, sed multiplex eminenter, quia infinitè omnia excedens in perfectione antiqua Sacrificia, meliùs prodest, quàm illa profuerunt, & efficaciùs Deum placat, quàm eum multa alia Sacrificia placarunt. Sacra Missa, Unicum, & Altissimum Sacrificium Catholicæ Ecclesiæ, est instituta ad Deum habendum propitium, ad ei gratias agendum, & ad ejus summam excellentiam protestandum. Rogamus ergo, ut placatus intendat Sacrificio, quo ei [postulantes ipsius propitiationem] præsentamur, quo eidem gratiarum actionem tribuimus, & quo demum illius celsitudinem narramus. Ideo fortè dicimus: Sacrificiis præsentibus, quæsumus, Domine, placatus intende. Nisi etiam velimus dicere, nos desiderare, ipsum intendere Sacrificio, quod de se ipso quilibet attentus, ac bonus Christianus offert: qui quidem se conterens præ dilectione, & dolore, dum Missam celebrat, vel audit, se præparat, ut Divinum beneplacitum habeat. Si igitur Deus Sacrificiis præsentibus intenderit, & proficua erunt nostræ devotioni, ac nostræ proderunt etiam saluti. Proficient sanè saluti, si proficiant devotioni: quia devotio, qua Deo nos offerimus, juvat, ut salutem consequamur. Simus ergo devoti, ut simus salvi. Devoveamus nos Deo integrè, ut sic sanemur perfectè.



Oratio post communionem.

Q*Uæsumus, Domine Deus noster: ut Sacrosancta Mysteria, quæ pro reparationis nostræ munimine contulisti; & præsens nobis remedium esse facias, & futurum. Per Dominum nostrum, &c.*

Explicatio.



INstituit munimen ad nos reparandum Deus, qui prævidit, dum nos condidit, pronos futuros esse ad labendum. Sunt munimen reparationis nostræ Sacrosancta Mysteria Missæ. Ea contulit Deus noster, ut esse possemus stabiliti in bono, erutique simùl à malo: quia dedit hæc mysteria nobis Dominus, ut nos repararent, atque à lapsibus eriperent. Dum sacra hæc mysteria cibant, etiam solidant: cùm lavant nos, simul spiritualiter renovant, pariterque in via ad cœlum fortificant. O magna clementia Dei! Dum homo ad sui Creatoris offensionem est propensus, & inclinatus, ipse Divinus Conditor est ad ejusdem hominis reparationem providus, & attentissimus. Providit munimen, nè pateremur ullam dilapidationem: & attentè paravit sustentaculum, nè rueret nostrum labile ædificium. Pessima inclinatio nostra, quæ Deum contra nos poterat provocare ad excidium, ipsum Dominum excitavit, ut pararet fulcimen, & nobis Sacrosancta Mysteria tribueret ad solamen. Faxit ipse Deus, ut quod pro bono nostro ab eodem piissimè fuit provisum, ac præparatum, & præsens nobis remedium esse, faciat, & futurum: præsens quidem, nè in hoc tem-

tempore cadamus: & futurum, ut toto vitæ nostræ spatio stemus firmiter Dei addicti servitio, & ipsius mancipati obsequio, & posteà in felicissima æternitate potiamur summi boni possessione. Sint Mysteria Missæ Sacrosancta [pro reparationis nostræ munimine instituta, nobisque ad idem collata] & præsens remedium, & futurum; in præsenti facilitando gratiam: in futuro, præbendo, & augendo gloriam: siquidem augeri accidentaliter potest gloria, quæ substantialiter crescere numquàm valebit; & Sacra Altaris Mysteria gloria accidentali cœlicolas afficiunt, qui gloria substantiali gaudent, dum Dei visione potiuntur. Sint denique Altaris Mysteria Sacrosancta, & præsens nobis remedium, & futurum; tempore, scilicet, præsenti dent remedium ad benè semper operandum, & in æternæ vitæ felicitate futura sint remedium glorificans, faustam beatitudinem quoad accidentalia donans.



CA-

CAPUT TERTIUM,

Habet positas, & explanatas Orationes, quæ post proprias cujuslibet diei Temporum dicuntur in Missis eorum.

SECTIO UNICA;

Dictas Orationes distributas ostendit pro Temporibus Quadragesimæ, Pentecostes, Septembris, & Decembris, sive Veris, Æstatis, Autumni, ac Hiemis.

§. Primus.

Pro diebus Temporum Quadragesimæ, in quibus post Orationes proprias [& post Commemorationem Sancti Simplicis, si adest] dicuntur sequentes, vel duæ, vel una, juxta Rubricas Missalis.

Oratio ad poscenda suffragia Sanctorum.

A *Cunctis nos, quæsumus Domine, mentis, & corporis defende periculis: & intercedente Beata, & gloriosa semper Virgine Dei Genitrice Maria, cum Beatis Apostolis tuis Petro, & Paulo, atque B. N. & omnibus Sanctis, salutem*

tem nobis tribue benignus, & pacem: ut destructis adversitatibus, & erroribus universis, Ecclesia tua secura tibi serviat libertate. Per eumdem &c.

Explicatio.



Ui multis periculis animæ, & corporis circumdati sumus, defendi à cunctis optantes, pro auxilio, & succursu Deum exoramus humiles. Dicimus, quòd pericula sunt multa, ut piissimum Dominum Nostrum nostra moveat miseria ad nobis largiendum manum defensatricem, dum videt, quòd, multis nos invadentibus periculis, facillimè destruemur, si non à validissima ejus potentia protegamur. Timemus pericula mentis, veremur etiam & corporis. Nisi mens periclitetur nostra, non tam facilè corporalia incurremus pericula: quia ista multoties proveniunt à periclitatione animarum. Sint mentes nostræ sanæ, & liberæ, nè umquàm periclitemur in corpore. Jungitur huic petitioni etiam illa salutis, & pacis: & ut tam salutem, quam pacem obtineamus, Beatam, & gloriosam semper Virginem Dei Genitricē Mariā interponimus, etiamque Beatos Apostolos Dei Petrum, & Paulum, cum Sancto Patrono Loci, vel Ordinis, ac simul omnibus Sanctis. Proficuæ erunt sanè tam validæ intercessiones ad habendā opem, ad obtinendam salutem, & ad consequendam pacem. Tot Intercessoribus præeuntibus pro nobis, protecti, tot, & tam efficacibus precibus, ac supplicationibus suffulti, oramus, de bono exitu nostræ orationis securi, ac de felici effectu nostrarum flagitationum confisi. Beata Virgo Maria pro nobis efficaciter rogabit, quia est Maria, quia semper est Virgo, & quia Dei Genitrix, quia Beata, & quia gloriosa: itaque singula ejus præconia erunt pro nobis tutamina. Singulæ ipsius.

ipsius dotes pretiosas illius constituunt preces, reddunt-que efficacissimas talis Dominæ orationes. Principes Ecclesię SS. Petrus, & Paulus suo nos juvabunt rogatu, nos scilicèt, qui alacres eorum magnitudinem colimus, doctrinam sequimur, atque patrocinio fruimur. Patronus Loci, vel Ordinis, pro suis fundamentaliter creditur interpellaturus clientulis. Omnes Sancti rogabunt pro nobis, quia qui sciverunt pati, etiam didicerunt compati: & exoptant nobis bona, siquidem nos diligunt charitate perfecta. Talibus igitur, ac tam efficacibus obsecrantium pro nobis, mediantibus, tum meritis, tum patrociniis, destruentur adversitates, cunctique simul destruendi sperabuntur errores, quibus omnibus repulsis, ac labefactatis, Dei Ecclesia ipsi Domino serviet libertate secura.

Oratio secreta correspondens Orationi: *A cunctis.*

E*Xaudi nos Deus salutaris noster: ut per hujus Sacramenti virtutem à cunctis nos mentis, & corporis hostibus tuearis, gratiam tribuens in præsenti, & gloriam in futuro. Per Dominum &c.*

Explicatio.


AGNA est equidem virtus Sacramenti Altaris: ideò, si Deus Salutaris, & Salvator noster nos exaudierit, virtute hujus Sacramenti, ipse Deus nos defendet ab hostibus mentis, & corporis. Hostes mentis, & corporis sunt peccata, à quibus nos liberabit Missæ Sacrificium auxilia impetrans, ut veram pœnitentiam facientes,

tes, plenas consequamur contra iniquitates victorias. Hostes etiam mentis,& corporis sunt quædam,quamvis tēporalia pericula,ob quæ potest nostra deperdi una cum corpore anima: tale periculum est mors improvisa, & repentina. Hostes animæ, vel mentis, spiritus nostros impetunt, ut eis maximopere lędant: hostes corporis misero, & fragili corpori & bella ingerunt, & laqueos, vitę humanę insidiantes, prætendunt. Minantur corpori astutiæ grassatorum, & homicidarum, aliæque res innumeræ, quas longum esset nimis, vel potius impossibile, speciatim, & singillatim referre. Sed adeò benignus est Dominus noster, ut non solùm audeamus ipsum precari, quatenùs nos à cunctis mentis, & corporis hostibus tueatur; sed etiam rogare, ut nobis conferat gratiam in hoc sæculo, atque gloriam in futuro: gratiam, inquam, hìc, qua majorem quotidie mereamur gloriam: & in futuro gloriam, quæ erit corona eis, qui quando in morte hanc reliquerint humanam temporalem vitam, habuerint ex dono Dei felicem finalem gratiam.



Oratio post Communionem correspondens Orationi: *A cunctis*.

M*Undet, & muniat nos, quæsumus Domine, Divini Sacramenti munus oblatum: & intercedente Beata Virgine Dei Genitrice Maria, cum Beatis Apostolis tuis Petro, & Paulo, atque Beato N. & omnibus Sanctis, à cunctis nos reddat, & perversitatibus expiatos, & adversitatibus expeditos. Per eumdem &c.*

Explicatio.



Undus Oblatum Sacramenti Divini, utique mundans nos, etiam muniet; quia potiemur ejus munimine, si ipsius non careamus emnndatione. Non munire solet sordidos, sed à maculis purgatos: itaque quos priùs extergit, ipsos subsequenter vallo suæ defensionis protegit. Ergo defensioni oberit quisquis emundationi restiterit. Cum Deo loquimur in hac oratione, & benè valet ipse & lavare nos, & munire. Oramus insuper, ut idem Sacramenti oblatum munus, à cunctis nos reddat, & perversitatibus expiatos, & adversitatibus expeditos: ideòque ejus erit nos ab omni adversitate eruere, cujus fuerit anteà nobis propitiari, dum nos ab omnibus perversitatibus statuerit liberare, à peccatisque cunctis separare, vel dividere. Quare sumus implicati adversitatibus mundi? Certè, quia sumus perversitatibus pleni. Justis fiunt adversitates exercitii materia; sed nobis peccatoribus infliguntur adversitates, ut merita à nobis supplicia: quamvìs verum sit, etiam in eo, quòd Deus ob per-

ver-

versitates, adversitates immittit, valdè misericordem se ostendere, dum ad evadēda ob perversitates nobis debita ęterna inferni tormenta, vult quòd nos inter adversitates ad pęnitentiam revocemur in hac vita. Cessent ergo nostra scelera, ut non patiamur, quæ usq; nunc nostra meruerunt crimina, & dum pessimè facta cessaverint, etiam punitiones recedent. Abjiciamus iniquitatem, nè nos tot adversa circumdent. Veniant, si Deo ita placuerit, adversitates, quæ nostrum sint exercitium, & meritum nobis augeant æternorum gaudiorum. Sed curemus, nè talia agamus, quòd ob ea patiamur, ut scelerati; & ita satagamus operari, quatenùs quidquid nobis fuerit adversum, comprobet, nos esse ex syllabo felici justorum. Ideò hìc orantes, quamvìs non solùm à perversitatibus, sed etiam ab adversitatibus liberari petimus; potiùs tamen desideramus esse à delictis immunes, quàm adversitatum expertes. Ut ea, quæ hodie exposcimus, consequamur, valorem, vim, & patrocinium assumimus precum, & intercessionum, tum Beatæ Virginis Genitricis Dei Mariæ, ac Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli: tum etiam loci, vel Ordinis Patroni, omniumque insimul Sanctorum: ut perversitates, & adversitates releget Divini Sacramenti munus oblatum, à nobis, qui felicitari desideramus, & perversitatum recessu fungentes, & in liberatione ab adversitatibus cunctis, lætantes: ut etiam à facinoribus sejuncti, & à vexationibus rerum nobis contrariarum exempti, agamus alacres vitam in brevitate hujus sæculi, & plena perfundamur gloria in æternitate futuri.

Oratio pro vivis, & defunctis.


O Mnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris, simul & mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide, & opere futuros esse praenoscis: te supplices exoramus: ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel praesens saeculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit; intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuae clementia, omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum &c.

Explicatio.



Eus sempiternus noster, utpote Universi Dominus, qui omnia creavit, & regit [creavit quidem omnipotenter, regit providè, & misericorditer] plenissimum habet Dominium, quia Dominus est vitae, & mortis, & quia vivorum dominatur, simul & mortuorum; sed specialiter suam misericordiam exercet erga eos, quos suos fide, & opere, futuros esse, praenoscit. Quamvis omnia sint sua; praenoscit tamen, illos tantùm futuros esse suos ad aeternam gloriam electos, qui fidem habent cum bonis operibus conjunctam, & ita habentes se, in gratia finierint mortalem vitam. Fides absque charitate nihil proderit, ut simus Dei, ad aeternam beatitudinem praedestinati. Hunc ergo Deum Sempiternum, & Omnipotentem adîmus, ut nobis concedat quod humiliter deposcimus. Petimus ego hodie, ut nos intercessione Omnium Sanctorum suorum suffultos, adju-

jutos, & protectos, Deus noster exaudiat, veniam peccatorum tribuens, & vivis, & etiam mortuis, cum utrisque suæ pietatis utens clementia, illisque omnibus fructus orationum capacibus favens infinita misericordia. Priùs rogamus pro eis, pro quibus effundere preces decrevimus [vel ex justitiæ obligatione contracta ducti, vel ex charitatis amplitudine, aut etiam ex fideli promissione permoti] quia præsidiū eis orationū applicare statuimus, & intercessionibus juvare eos voluimus, quando ad Altare rogaturi pro vivis, ac etiam pro mortuis accessimus. Postea oramus pro his omnibus, qui adhuc in carne degunt, vel jam mortis persolverunt tributum: ut omnes prædicti peccatorum suorum consequantur indulgentiam, omnes à labe peccatorum mundentur, & Domino Deo suo mundi appareant, & se offerant. Vivos intendimus juvamen harum precum admovere, ut pœnitentiam agentes, gravium, & levium jugum peccatorum excutiant: mortuis in Purgatorio constitutis preces nostras, optamus, prodesse, ut venialibus, cum quibus decesserunt, peccatis exuantur, & à pœnis absolvantur, quas pro suis delictis gravibus, vel levibus, luunt.



Ora-

Oratio secreta correspondens huic Orationi: *Omnipotens*.

D*Eus, cui soli cognitus est numerus Electorum in superna felicitate locandus: tribue quæsumus; ut, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, universorum, quos in Oratione commendatos suscepimus, & omnium Fidelium nomina, beatæ prædestinationis liber adscripta retineat. Per Dominum &c.*

Explicatio.



Uis, nisi Deus, potest scire, qui sint illi felices in æternum, Patriam cœlestem habitaturi, & Dei perenni glorificatione ditandi? Nemo profectò capit, quot isti futuri sint numero, neque qui Divino per æternitatem in Polo afficiendi præmio. Ab isto supremo Deo talia noscente rogamus, quòd tribuat, omnium Sanctorum concurrente intercessione, ut liber prædestinationis beatæ retineat adscripta nomina eorum, qui in Oratione superiori suscepti sunt commendati, simulque & omnium Fidelium Ecclesiæ. Optamus, ut talium nomina dictus liber retineat, nè ab eo umquàm deleantur, nè perdant ipsi jus ad gloriam, quod habent per felicissimam in tali libro scriptionem. Hic oramus specialiter pro vivis: quia illi, qui defuncti sunt in statu gratiæ, in ipsa æternaliter sunt confirmati, & jam non possunt eorum nomina de libro beatæ prædestinationis deleri. Petimus pro vivis, ut in prædicto libro nomina eorum retineantur: quia, si hoc obtinuerint, absdubio decedent in gratia, & consequenter potientur beatitudine æterna. Ora-

Oratio post Communionem, respondens ipsi Orationi: *Omnipotens*.

P*Urificent nos, quæsumus, Omnipotens, & misericors Deus, Sacramenta, quæ sumpsimus: &, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, præsta: ut hoc tuum Sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam: sit ablutio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit contra omnia mundi pericula firmamentum, sit vivorum, atque mortuorum Fidelium remissio omnium delictorum. Per Dominum &c.*

Explicatio.



URIFICATIONEM optamus consequi à sumptis Sacramentis, quamvis non primariò ad nostram emundationem institutis: quia cùm Sacramentum Altaris ad nos principaliter cibandos in spiritu, Deus noster condiderit, dedit etiam ei virtutem purgandi à peccatis, saltem levibus, eos ipsos, quos aluerit, dummodò in gratiæ statu ad id accedant, qui per ipsum Sacramentum purificationem desiderant. Insuper de omnium Sanctorum intercessione confidentes, rogamus Dominum, ut hoc Altaris Sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam: quia erit nostra condemnatio ipsius indigna sumptio; sed intercessio salutaris ad veniam: quia per medium illius in gratia accepti, salubriter veniam poterimus consequi. Oramus etiam, quatenùs à Deo nostro Omnipotente, & misericorde nobis veniat, quòd idem Eucharistiæ Sacramentum sit ablutio scelerum, nè

ne ampliùs maneamus sordidi: sit fortitudo fragilium; ut simus ad iter vitæ æternæ roborati; & ad præliandum contra pessimos animæ inimicos robusti, atque etiam, ad tolerandos labores in via Dei benè suffulti, & fortiter maneamus confirmati: sit contra omnia mundi pericula firmamentum, nè inter ea ruamus, sed potiùs fortiter stemus, ac securiter vivamus: sit vivorum, atq; mortuorum Fidelium remissio omniū delictorum: à quibus, si vivi expediantur, obtinebunt ditissimam gratiam, & si mortui ab eis, vel eorum pœnis, absoluti fuerint, pervolabunt statim ad felicitatem æternam.

§. Secundus.

Pro Temporibus Pentecostes, in quibus post Orationes proprias (si non adest Sanctus Simplex) dicitur una ex sequentibus.

Oratio contra persecutores Ecclesiæ.

Ecclesiæ tuæ, quæsumus Domine, preces placatus admitte: ut, destructis adversitatibus, & erroribus universis, secura tibi serviat libertate. Per Dominum &c.

Explicatio.



Deus iratus preces nostras multoties repellit, sed placatus populo suo, ejus deprecationes admittit. Itaque debemus, quantùm cum ipsius Divina gratia possimus, Dominum nostrum placare, tum, & principaliter, nè illum non habeamus amicum, cujus bonitas infinito amore est digna: tum etiam, ut placantes valeamus

mus pias nostras intentiones lucrari, & desideratum effectum nostrarum precationum obtinere. Rogamus hodie, ut Deus noster placatus, suæ admittat preces Ecclesiæ, dum intendimus, ipsam Ecclesiam eidem Dño secura libertate servire, quando fuerit hinc ab omnibus adversitatibus expedita, illinc immunis ab erroribus universis. Adversitates solicitudinem, anxietatem, ac maximam afflictionem gignunt: errores fæditatem, turbationem, atque divisionem, cum æterna simul damnatione, producunt, & pariunt. Timet Ecclesia ab adversis anxiari, veretur autem maximè ab erroribus scindi, & offendi. Sed Deus placatus concedet, ut Ecclesia ab istis eruatur timoribus, ab ea abigens, & pro ea destruens adversitates, & errores. Itaque Dei populus serviet illi mente libera, & Dñi obsequio dicatus, pace perfruetur diuturna, tranquilla, simulque jucunda. Utinam ergo Dominus nobis placetur, ut talibus ejus beneficiis potiamur: atque per ipsius benignitatem in admittendis nostris precibus humilibus, habere possimus integram securitatem, ac veram libertatem filiorum, ut tanto Patri dignè obsequi, & tam magno Domino sedulè studeamus famulari.



Ora-

Oratio secreta correspondens Orationi Ecclesiæ.

P Rotege nos Domine, tuis mysteriis servientes: ut Divinis rebus inhærentes, & corpore tibi famulemur, & mente. Per Dominum &c.

Explicatio.



ERVIAMUS Domino, quia ipsi servire debemus. Supremus Conditor omnium, infinitè bonus, propter ejus Sanctitatem immensam, ac maxima nobis ab eo beneficia collata, est dignissimus, ut illius servituti dicemur. Vel saltem serviamus illi, atque ei placere studeamus, ut à malis omnibus protecti simus. Hodie quærentes Dei protectionem allegamus coram ipso, eidemque repræsentamus, quòd illius mysteriis servimus. Servientes volumus protegi, dicati ejus famulatui, ab illo exoramus defendi. Tutabitur nos, quia Dominus optimus: nobis auxiliabitur, quia Pater est benignissimus. Illius tutamen, atque defensatricem protectionem requirimus, ut Divinis rebus inhærentes, & corpore ipsi Domino famulemur, & mente. Supponantur jugo Dei corpora aliquando calcitrantia, & animas à Dei servitio avertentia; ut ita subjecti corpore, faciliùs Deo subjiciamur, & mente: quamvis sit cum Dei adjutorio in potestate mentis frenare licentias corporis, ut corpus vel invitum, ex jussu animæ, Dei exerceat famulatum. Neque tamen Divinis inhærebimus rebus, neque dignè Deo mente, & corpore famulabimur, nisi anteà à Domino gratiam benè operandi, protectionemque Divinam obtinuerimus. Tali verò protectione muniti, adhærebimus, & inhærebimus etiam rebus Divinis, & per Divi-

Divina, ipſi Deo, ac Dño noſtro: & ſimili ejus auxilio opportuno præeunte, anima, & corpus ſervitio Dei dicabuntur. Adhærentes Deo, & Divinis rebus inhærentes, Domino famulari poterimus: quia à rebus Divinis abhorrentes, valde ſunt à Dei famulatu diſtantes. Media ſunt res Divinæ, ut Dei conſecremur unioni: & in caſſum ſatagit, qui abſque medio adeò neceſſario, finem nobilem Dei unionis, & ejus amicitiæ intendit inconſideratè obtinere. Servientes igitur Dei myſteriis quærimus, ut præmium ſit iſtius ſervitii, ipſum, quod eſt Divinis rebus inhærere, & Deo corpore, & mente famulari: quia ſufficit nobis pro retributione meritorum magna, & ſuperabundante, Deo per Divina magis quotidie inhærere, ac ipſi accuratiùs in dies, & ſeduliùs corpore, & mente ſervire. Corpore, inquam, & mente: quia, quamvis mens ſit potior, ſiquidem corpus, comparatione ad animam, ſit inferius, & ignobilius: tamen, ut dictum eſt, jurè antequam mens, corpus nunc nominatur, non ratione dignitatis, ſed ad declarandam ordinem operationis: quia ſi anteà à Deo obtinuerimus, quòd corpus, corporalibus devictis à mente paſſionibus, Dei famulatui applicetur, tunc poſteà anima expeditior Domini obſequio dicabitur, in Deique ſervitio exercebitur.



Oratio post Communionem, correspondens Orationi: *Ecclesiæ*.


Quæsumus, Domine Deus noster: ut quos Divina tribuis participatione gaudere, humanis non sinas subjacere periculis. Per Dominum, &c.

Explicatio.



MAGNA res est sanè, Divina gaudere participatione. Quid nobis nobilius, quàm de Divinis participare? Quid delectabilius? Quid utilius? Immo etiam, quid honestius? Nobilissimum bonum est certè quod habet rationē boni delectabilis, utilis, & honesti: id, scilicèt, quod utiliter honestat, honestè perficit, & utilem simul, ac honestam delectationem ingerit. Talis est participatio Divina, qua tribuit nobis Dominus Deus noster gaudere, dum suis nos Sacramentis reficit in Missæ Altissimo Sacrificio: quo jam peracto, atque perfecto, in hac oratione dicimus pauca quidem verba, sed mysteriis referta, & doctrinis optimis imbuta. Tanta igitur Divinorum participatione ditati, rogamus Deum nostrum, ac Dominum: ut, quos Divina tribuit participatione gaudere, humanis non sinat subjacere periculis. Ut ab his nos defenderet, &, ut nos contra ea muniret, ac protegeret, ipse Deus Homo Christus Eucharistiæ Sacramentum, & Missæ Sacrificium instituit. Sunt pericula humana innumera, & ideò periculosiora ipsorum aliqua, quia humana: nam illa, quæ procedunt à nostri amoris proprii humanitate, ac blanditie, veniunt à deteriore inimico, utpote domestico, qui claves arcis tenens, pro-

proditoriè eam aperit, aditum præbens aliis nostris valdè in fensis inimicis: itaque à nobis ipsis præcipuè lædimur, quando inter pericula humana versamur. Magna erit nostra infelicitas, si ob culpam nostræ indispositionis, vel fœdæ ingratitudinis, tales res Divinæ, quales illæ sunt, de quibus in Missa participamus, in nobis intentum, ac desideratum, inveniantur, non sortiri effectum: & si ita Dei benignissimi non impletum fuerit votum, quo talia instituit, ut nos ab humanis periculis vindicaret. Nè ergo talem infelicitatem incurramus; exposcimus à Domino, quatenùs non permittat, humanis periculis nos subjacere, vel substare, quos ipse Deus Divina, tribuit, participatione gaudere. Si hoc consequimur, nequaquam periculis subjacebimus humanis; sed potiùs illis superiores effecti, ipsa calcantes subjiciemus, & super ea lætantes ambulabimus, atque ad metam alacres nostræ peregrinationis post mortalem hanc vitam perveniemus, dum Cœlestem Patriam, prout speramus, intrabimus.



Ora-

Oratio pro Papa apponitur, & explicatur.

D*Eus Omnium Fidelium Pastor, & Rector, famulum tuum N. quem Pastorem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, propitius respice: da ei, quæsumus, verbo, & exemplo quibus præest, proficere: ut ad vitam unà cum grege sibi credito perveniat sempiternam. Per Dominum, &c.*

Explicatio.



UAM bonus Deus noster Fidelium est Pastor! Quàm etiam ipsorum existit excellentissimus Rector! Pascit, & regit quos condidit, regens illos ipsos, quos pascit. Pascit beneficia tribuens: regit ad bona dirigens, atque à perversis avertens. Pascit Fideles, eos gratiarum, atque favorum affluentia inundans; sed regit, justis præmia largiens, iniquis supplicia ingerens. Nè desperent Fideles in via, munera eis ostendit æterna, ac illa eis, promittit infallibili veritate, retribuenda, atque donanda. Injustis, nè mala perpetrent, minatur supplicia æterna, quibus eos absdubiò, nisi ab injustitia recesserint, involvet. Quin potiùs etiam malis bona demonstrat æterna, ut convertantur: bonis patefacit pœnas perennes, nè in peccatorum barathrum præcipitentur. Sic Deus, qui invisibiliter nos pascit, est etiam invisibilis, quando nos ordinatissimè regit. Sed voluit, quòd esset homo ab ipso electus, qui visibile esset Caput Ecclesiæ. Hic est Vices Dei gerens, Romanæ Urbis, & totius Orbis Antistes, Christi Vicarius, Summus Pontifex, & Sacerdos, Papa jure optimo appellatus, quia est Pater Patrum, quando Pater Patriarcharum, & Episcoporum noscitur à Deo effectus, quando ei subditur præ-

præcipuè Apoſtolicum Collegium Eminentiſſimorum Cardinalium totiusCatholicæ Eccleſiæ Principum Superiorum. Hunc famulum ſuum Deus elegit, ut Dei Eccleſiæ præſit Paſtor: ut præſidens paſcat, & ut paſcendo præſideat. Ideoque in culmine Dignitatis ſupremæ præeſt nomine Dei Paſtoris, & Rectoris omnium Fidelium, ut nomine Dei paſcua ovibus Chriſti tribuat, & clavum tenens,ac virgam ſceptri ſupremi ſuſtinēs, ipſos Fideles regens, eos ad bona dirigat, atq; ab inhoneſtis illos ſeparando,coerceat. Oramus igitur hodie pro ipſo Pontifice noſtro Summo,Eccleſiā Dei actu gubernante, & in Apice Cathedræ S. Petri Principis Apoſtolorum, primi Chriſti Vicarii, ſedente: ut Deus, qui ad hoc talem ſibi elegit famulum, det ei verbo, & exemplo quibus præeſt proficere: ut ad Vitam unà cum grege ſibi credito perveniat ſempiternam. Jurè ergo magna devotione hæc debet oratio fieri, ſiquidem in tantùm Summum Pontificem hæc juvare ſupplicatio poteſt, ac nobis Chriſti ovibus prodeſſe tantoperè valet.

Oratio ſecreta correſpondens Orationi pro Papa.

OBlatis, quæſumus Domine, placare muneribus: & famulum tuum N. quem Paſtorem Eccleſiæ tuæ præeſſe voluiſti, aſſidua protectione guberna. Per Dominum. &c.

Explicatio.



UT Deus protectione aſſidua gubernet eum, quem ipſe elegit in Maximū Eccleſiæ Paſtorem,S. Petri Succeſſorē,Summum Romanū Pontificem; hodie petimus, quòd Deus ipſe muneribus placetur oblatis, quia deſideramus benè expediri in exoratis,& nō fraudari à petitis.Poſſent noſtræ ſupplicationes, quamvis juſtiſſimæ, propulſari

ſari à Deo, atque ab ipſo nec ſuſcipi, nec admitti, niſi Deus anteà placatus fuiſſet muneribus in Sacro Altari ipſi oblatis, & in conſpectu ſuæ celſiſſimæ Majeſtatis præſentatis, ac propoſitis. Ideò intendentes placationem Divinam oblatis muneribus conſequi, de valore munerum ſperamus, quando de noſtra exiguitate, noſtras agnoſcentes imperfectiones, diffidimus. Aſſiduam protectionem Dei, ut gubernetur ea ab ipſo Domino Summus Pontifex, deſideramus. Aſſiduare Deum, neceſſarium eſt, auxilia, quando contra Dei ipſius Vicarium tot quotidie inſurgunt periculoſiſſima, & difficillima prælia. Aſſidua protectione Divina deſiderandus eſt gubernari, qui tot adverſis circumdatus, tot hoſtibus aſpicitur circumſeptus. Sed aſſumenti Deum in patrocinium [per protectionis ſuæ aſſiduam gubernationem] nihil non proſperè in præliis Dei, & in gubernio Eccleſiæ, Summo Pontifici accidet, atq; omnia ipſi feliciſſimè evenient. In maximis ita periculis erit noſter Papa tutus, in rebuſque perdifficilibus apprimè felicitatus. Omnia mala vincet, cuncta bona appoſitè faciet, & ad univerſa proficua Dei Eccleſiam promovebit.



Ora-

Oratio post Communionem correspondens Orationi pro Papa.

HÆc nos, quæsumus Domine, Divini Sacramenti perceptio protegat: & famulum tuum N. quem Pastorem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, unà cum commisso sibi grege, salvet semper, & muniat. Per Dominum, &c.

Explicatio.



QUARE hodie specialiter post Communionem Divini Sacramenti, ut hujus perceptio nos protegat, à Deo enixè flagitamus, nisi quia multùm in ipsius Sacramenti virtute confidimus, dum negotium maximum feliciter expediri percupimus? Ideo certè: quia de salvatione, & munimine Summi Pontificis, ac etiam nostri ipsorum soliciti sumus, ac semper esse debemus. Bona, & jucundissima erit nobis protectio à Divino Sacramento proveniens: sed majus beneficium erit, si huic nostræ protectioni ab eodem Sacramento adjungatur, quòd famulum Dei Summũ Pontificem Romanum, & nos perceptio ipsius Sacramenti salvet, ac muniat, nos salvatione donans, atque munimine, in Papæ nostri societate jucundissima, ditans. Ter jam hodie diximus, Deum voluisse, hunc Dei famulum, Christi Vicarium consecrari, & Pastorem suæ Ecclesiæ præesse: ut trina repetita hujus veritatis assertio nos securos faciat, & firmiter credamus, Pontificis Romani electionem non esse hominum inventum, sed Divinum verè consilium: non esse carnis, & sanguinis factum, immò Dei providentissimi opus excellens, & præstantissimum: & non mun-

danas solicitudines istud moliri, atque consequi, sed Dei voluntate hoc decerni. Faxit ipse Deus, ut quem elegit ipse [& nos ipsos, in quorum bonum decrevit, talem sibi famulum assumere, & jussit, illum Cathedram Apostolicā moderari, atque ideo Domnum Apostolicum fieri]' perceptio Divini Sacramenti salvet, semper, & muniat, ut Dei Vicarius, & nos Empyrei Curiam ingrediamur: & ad consequendum hoc maximum bonum, ab ipso Sacramento muniti, inter adversa simus fortes, nè pereamus, & inter prospera robusti, nè onere deliciarum, & commoditatum mundi in peccata labamur, quæ possint nos præpedire, nè in æternum fungamur perenni beatitudine.

§. Tertius.

Pro diebus Temporum Septembris, in quibus post Orationes proprias (& post commemorationi Sancti Simplicis, si adest) dicuntur duę, vel una oratio, ut infrà, juxta Rubricas Missalis.

Oratio ad poscenda Suffragia Sanctorum, quæ incipit: *A cunctis*, & quæ est apposita, & explicata cum secreta, & oratione post communionem, in hoc cap. 3. sect. unica, §. 1. pag. 406.

Oratio ad libitum, quæ in istis Temporibus dicitur (quia debet dici ex electione celebrantis, & ideò nescitur, quæ sit) nec apponitur, nec explicatur.

§. Quar-

§. Quartus.

Pro diebus Temporum Adventus, in quibus post Orationes proprias (& post commemorationem Sancti Simplicis, si adest) dicitur una, vel dicuntur duæ orationes sequentes, juxta Rubricas Missalis.

Oratio de Sancta Maria.

DEus, qui de Beatæ Mariæ Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: præsta supplicibus tuis: ut qui verè eam Genetricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eumdem, &c.

Explicatio.



IN Adventus tempore meminit Ecclesia specialiter Mysterii Incarnationis Verbi Divini, & Annuntiationis Dominæ nostræ: quia istius Annuntiatio, & Incarnatio Filii Dei fuerunt Mysteria, & Deiparę Virgini Marię gloriosa, & humano generi maximè proficua. Ideòque, cùm Ecclesia Fideles vult præparari ad celebrandam quotannis Nativitatem nostri Redemptoris, eos ad accipiendum ipsū spiritualiter, & in repræsentatione venientem, excitat, & movet recordatione maximi beneficii, quod Deus nobis fecit carnem assumens, Virginem ab Ange-

lo annuntiatam super omnes creaturas elevans, & genus humanum per ipsam simul ditans, & honorans. Ab Æterno Patre igitur, qui voluit, de Beatæ Mariæ Virginis utero Verbum suum, Angelo nuntiante, carnem suscipere, poscimus hodie, ut intercessionibus illius celsissimæ Dominæ apud ipsum Æternum Patrem juvari obtineamus, qui eamdem Virginem Mariam Genitricem Dei agnoscimus, credimus, & confitemur. Non haberemus eam adjuvantem, nisi Dei ipsam fateremur Genitricem. Non potest ipsius patrocinio consequi æternæ beneficiũ salutis, qui B. Mariam dignitate Matris Dei insignitam non coluerit. Qui credimus ejus sublimitatem, suam, oramus, proficuam habere intercessionem. Simus ergò credulitate parati, ut quòd optamus, à Deo valeamus consequi. Sic confessio, & fides Mariæ Sacratissimæ exaltationis, reddit nos exauditione dignos, saltem per remotionem erroris prohibentis: & per ipsius Beatæ Virginis potentissimas intercessiones, magnis bonis quoad spiritualia, ac temporalia ditati, constituemur felices. Sic etiã in hoc tẽpore Adventus fidẽ tam magnorum Mysteriorum specialiter habentes: memoria Incarnationis Verbi Divini, & Beatæ Mariæ ab Angelo salutatæ, ad recipiendum spiritualiter Christum in ejus Nativitate parabimur, & dignè, ac lætissimè recolemus diem Sacri Natalis illius.



Ora-

Oratio secreta, quæ correspondet huic Orationi de Sancta Maria.

IN mentibus nostris, quæsumus Domine, veræ fidei Sacramenta confirma: ut qui conceptum de Virgine Deum verum, & hominem confitemur, per ejus salutiferæ Resurrectionis potentiam, ad æternam mereamur pervenire lætitiam. Per eumdem, &c.

Explicatio.



ERÆ Fidei Sacramenta, oramus, à Domino confirmari in nostris mentibus. Quid nobis timere non poterimus, si debiles in fide fuerimus? Ad quæ non parabimur supplicia, si hæsitaverimus, & circa fidei veræ mysteria nutationẽ habeamus? A nobis avertat Deus tam pessimæ hæsitationis, nutationis, aut dubietatis spiritum, qui à multis miseris hominibus, & nationibus aufert bona, & eos parat ad mala temporalia, & æterna. Solus potest in fide confirmare Deus ipse, qui talem veram fidem, & nobis parare scivit, & eam condere voluit, fidem suam stabiliens scientia infinita, & condens maxima Omnipotentia, ut eam fidem amplexantes Scientia Divina instruat, & ejusdem Dei superna Omnipotentia custodiat. Hanc in nobis veræ fidei Sacramentorum confirmationem exposcimus, ut mereamur æternam beatitudinis lætitiam comparare per salutiferæ Resurrectionis Christi potentiam, nos, qui confitentes, Christum de Virgine conceptum, Deum simul esse verum, ac etiam verum hominem; Redemptorem nostrum, credimus, in una Divini Verbi Persona naturas duas habere, aliam

aliam Divinam, aliam verò humanam; Divinam, nempe, qua Christus, Deus Æternus ante tempora extitit; & humanam à tempore, quo in seculo carnem sumens ex Maria semper Virgine, eam consecravit in Matrem suam:& sic fatemur,humani generis,Deum hominem factum,executum fuisse redemptionem copiosam.Qui igitur talia credimus firma fide, per Christi Resurrectionis salutiferę potentiam, speramus ad æternã pervenire lætitiam. Hic erit fructus, quem pro nobis consequetur Dei Patris infinita bonitas, in nobis, ut hodie eum oramus, veræ fidei Sacramenta confirmans.

Oratio post Communionem, respondens ipsi Orationi de Sancta Maria.

G*Ratiam tuam, quæsumus Domine, mentibus nostris infunde: ut, qui, Angelo nuntiante, Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, per Passionem ejus, & Crucem ad Resurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem, &c.*

Explicatio.



INFUSIONEM gratiæ Dei, nostris illuminandis, accendendisque mentibus, à Deo Patre proventuram percupientes, ad vitam æternam intendimus perduci, per Passionem, & Crucem Filii Dei ipsius, Jesu Christi. Hanc prædictam Dei gratiam habentes, & ipsius Christi Incarnationem, Angelo quidem nuntiante, sed Spiritu Sancto operante, in Maria, & ex Maria effectam, cognoscentes, & credentes fide firma: absque dubio sperare possumus à Divina clementia, mediis, vel mediantibus me-

meritis infinitis Passionis, & Crucis Christi, sempiternæ gloriæ Resurrectionis munera, & ad eam perduci Resurrectionis gloriam per Dei nostri misericordiam infinitam, & immensam. Incarnatus est Dominus noster Filius Dei, ut nos honore maximo Hypostaticæ Unionis afficeret: passus est, & crucifixus, ut nos à diabolo, à peccato, & à morte liberaret. Ergo notitia præcedente Incarnationis Redemptoris nostri piissimi, ejusque mysterii Divini fide præhabita, & in nostris cordibus radicata cum charitate, & bona operatione, per Passionem, & Crucem ejusdē Christi Dei Filii poterimus non à diabolo vinci, non à peccato captivari, non à morte destrui: immò spes nostra erigetur, ut habētes fidē, spem, & charitatem consequamur æterna gaudia per mirabiliter incarnatum, per misericorditer pro nobis passum, ac elementissimè ad nostram Redemptionem crucifixum. Utinam non deficiat nobis gratiæ Dei infusio, nec in nostra voluntate desit gratiæ Dei cooperatio, sine qua Dei gratia, sine qua etiam cooperatione nostra, nihil nobis proderit Verbi Divini Incarnatio, nihil conferent [quamvìs in se sint infiniti valoris] Christi Passio, & Crucifixio. Oremus ergo instantissimè pro gratiæ Dei infusione, quà illustratæ, cum Deo, & cum gratia mentes nostræ operentur: siquidem hæc gratia in tantum proderit, si nobis adfuerit: & sine ipsa, etiam tam Divina Mysteria Incarnationis, Passionis, & Crucifixionis Christi Redemptoris nostri, non afferent nobis gaudia, quæ sunt in æterna vita.

Finis explicationis Evangeliorum, & Orationum Officii, & Missæ cujuslibet diei Quatuor Temporum Veris, Æstatis, Autumni, & Hiemis.

PARS

PARS TERTIA,

Habet ea, quæ Illustrissimus Gullielmus Durandus Episcopus Mimatensis in Rationali Divinorum Officiorum: eruditissimus Joannes Beleth in Explicatione Divinorum Officiorum, ac eorumdem rationum: & Reverendissimus Pater Bartholomeus Gavantus Clericus Regularis Sacri Ordinis S. Pauli duobus Tomis Commentariorum in Rubricas Missalis, & Breviarii Romani: loquentes de Quatuor anni Temporibus, tradiderunt. Ex istis Auctoribus Durandus, & Gavantus egerunt de Temporibus in genere, & in particulari: Beleth verò de illis tantùm fecit tractatum in genere.

CAPUT PRIMUM,

In eo sunt quæ dicunt de Temporibus in generali Durandus, Beleth, & Gavantus: quæ quidem in Sectionibus tribus absque paragraphis transcribemus.

SECTIO PRIMA,

Transcribuntur ea, quæ à Durando dicta sunt in generali de Quatuor Temporibus:

Ait ergo in lib.8. cap.3. ultra medium:



EMPORA, sive partes anni solaris sunt quatuor, scilicet, Ver, Æstas, Autumnus, & Hiems. Dicta autem sunt tempora, à communionis temperamento, eo quòd invicem, se humore, siccitate, calore, & frigore contemperent. Hæc, & curricula dicuntur, quia non stant, sed currunt. Ver dicitur, quia viret. Æstas, dicitur ab æstu, id est calore: inde æstas, quasi usta, & arida

arida. Autumnus à tempestate vocatur, quando folia cadunt, & omnia maturescunt. Hiems dicitur ratione hemisphærii: quia tunc sol circulo volvitur breviori: unde & hoc tempus bruma dicitur à brevitate, vel à cibo: quia tunc major est vescendi appetitus: edacitas enim Græcè bruma appellatur. Principia autem partium anni, secundùm Ecclesiam his versibus continentur:

Festum Clementis, Hiems caput est Orientis,
Cedit Hiems retro, cathedrato Simone Petro.
Ver fugat Urbanus: Æstatem Symphorianus.
Id tibi quod restat Autumni tempora præstat.

Hoc est dicere: Festum Sancti Clementis, quod est Nono Kalendas Decembris, est principium Hiemis, & durat usque ad Festum Cathedræ Sancti Petri: tunc incipit Ver: & istud Festum est octavo Kalendas Martii: & Ver durat usque ad Festum Sancti Urbani, quod est octavo Kalendas Junii: tunc incipit Æstas: & durat usque ad Festum S. Symphoriani, quod est octavo Kalendas Septembris; tunc incipit Autumnus, & durat usque ad Festum S. Clementis, in quo incipit Hiems. In his quatuor partibus anni triduana jejunia celebramus: & ideo jejunia Quatuor Temporum appellantur. Jejunium Veris est in prima septimana Quadragesimæ, scilicet, in quarta Feria post Cineres: Jejunium Æstatis est in prima die Mercurii post Pentecosten. Jejunium Autumni est in tertia die Mercurii Septembris, scilicet, in quarta Feria post Festum Sanctæ Crucis. Jejunium Hiemis est in quarta Feria post Festum Sanctæ Luciæ, prout ibi dictum est. Unde versus:

Vult Crux, Lucia, Cineres; Charismata dia,
Ut det vota pia, quarta sequèns ferìa.

Fiunt autem hæc jejunia in quarta feria: quia in quarta Feria Christus à Juda traditus est; & in sexta Feria,

 quia

quia in ea crucifixus eſt: & in Sabbato: quia tunc Apoſtolorum triſtitiam de nece Salvatoris repreſentamus: nam ſi compatimur, & conregnabimus.

Idem Durandus ſexta parte, capite 6. ita dicit: In hac ſeptimana fiunt jejunia Quatuor Temporum. In primitiva quidem Eccleſia ſtatutum fuit, quòd jejunia Quatuor Temporum fierent ter in anno. Sed Calixtus Papa LXXVI. diſt. jejunium conſtituit quater in anno fieri: nam & Judæi quater in anno jejunabant, ſcilicet ante Paſcha: ante Pentecoſten: ante Scenophegiam in Septembri: & ante Encenia. Si enim tantùm ter in anno in tres partes diviſo jejunaretur, fortè aliqui remanerent dies, de quibus primitias non redderemus: in iſtis enim jejuniis primitias temporis exolvimus, ut jam dicetur. De quibus Zacharias ait: Jejunium quarti, quinti, ſexti, & decimi, domui Juda, & Jeruſalem dies Feſtos vertet in gaudium. Quater ergo jejunamus in anno. Primò, ut quatuor elementa in nobis vitiata, id eſt, corpus noſtrum ex eis conſtans, in quatuor anni temporibus caſtigetur. Homo enim conſtat ex quatuor elementis, quantùm ad corpus, & ex tribus proprietatibus, quantùm ad animam, ſcilicet, rationali, concupiſcibili, & iraſcibili. Ut ergo illa moderentur in nobis, quater jejunamus in anno, per tres dies: ut quaternarius numerus ad corpus, & ternarius ad animam referatnr. Siquidem annus dividitur in quatuor tempora, quæ ſunt Ver, Æſtas, Autumnus, & Hiems, quæ propter ſua delectamenta à Dei amore nos avertere ſolent. Ver calidum, & humidum: tunc ergo jejunamus, ut elementum amoris caſtigetur in nobis, nè conſentiat falſæ pulchritudini Veris. Jejunamus itaque contra luxuriam ex humore, & calore naſcentem. Æſtas calida eſt, & ſicca: tunc ergo jejunamus, ut elementum caloris in nobis caſtigetur, nè conſentiat incendio carnali: vel tunc jejunamus contra ſuperbiam, quia tunc fructus terrarum, qui florent, & maturantur, ſuperbiendi materiam præſtant. Autumnus eſt frigidus, & ſic-

ſiccus: tunc ergo jejunamus, nè aliquo languore animi areſcamus, & defluamus, & ſine pinguedine olei in tabernaculo æterno inveniamur: vel tunc jejunamus contra avaritiam, quia tunc meſſes colligimus, & habemus. Hiems frigida, & humida eſt: unde tunc jejunamus, nè membra noſtra fluxu, atque luxu ſolvantur in comeſſationibus, & potationibus, ac per hoc amor Dei negligatur: vel tunc jejunamus contra pigritiam, quia torpemus frigore. Jejunamus ergo in dictis Quatuor Temporibus anni, ut per jejunia præſervemur à vitiis, & quæ deliquimus in illis purgentur. Rurſus quoniam quodlibet tempus tres habet menſes: ideò quater jejunamus in anno tres dies, unum diem jejunantes pro menſe, ut ſic ſatisfaciamus in die quod deliquimus in menſe. Secundò, etiam ideo jejunamus: nam primum jejunium fit in Martio, ſcilicet in prima ſeptimana Quadrageſimæ, ut in nobis virtutum germina oriantur: ut in nobis inareſcant vitia, quæ nequeunt omnino extingui. Secundum fit in Æſtate, in ſeptimana Pentecoſtes, quia tunc venit Spiritus Sanctus, & nos debemus eſſe ferventes in Spiritu Sancto. Tertium fit in Septembri ante Feſtum Sancti Michaelis, quando fructus colliguntur, & nos debemus Deo reddere fructum bonorum operum. Quartum fit in Decembri, quando herbæ moriuntur,quia & nos mundo mortificare debemus. Tertiò, ideo, quia Ver refertur ad pueritiam, Æſtas ad adoleſcentiam, Autumnus ad maturitatem, ſive virilitatem, Hiems ad ſenectutem. Jejunamus ergo in Vere, ut ſimus pueri per innocentiam: in Æſtate, ut efficiamur juvenes per conſtantiam: in Autumno, ut maturi per modeſtiam: in Hieme, ut ſenes per prudentiam, & honeſtam vitam. Quartò, ideo in quatuor anni Temporibus jejunamus, ut Deus nobis conſervet omnia, quæ ad humanum uſum in illis temporibus de terra naſcuntur. Quintò, ad ſignificandum quatuor, quæ fuerunt in illis quatuor temporibus: ſcilicèt, Conceptio Domini in Vere: Nativitas in Hieme: conce-

ptio Joannis Baptistæ in Autumno: & ejus Nativitas in Æstate. Sextò, secundum Hier. ob diversas plagas, quæ in illis temporibus acciderunt. In quibus autem diebus, & quarè hæc jejunia fiant, in octava parte dicitur sub titulo de anno solari. Hæc ergo jejunia vocantur Quatuor Temporum, quia in præmissis quatuor anni temporibus fiunt. Vocantur etiam jejunia Triplicia pro eo, quia fiunt tribus diebus, quibus homines jejunant in septimana: antiqui enim jejunabant eisdem feriis, & postea superaddita sunt jejunia ista. Vocantur etiam jejunia Primitiarum, quia, cum in lege præceptum sit, ut primitiæ, & decimæ Deo dentur, placuit Sanctis Patribus, ut dicit Augustinus in libro de Doctrina Christiana, solvere decimas, & primitias temporis: unde pro primitiis instituerunt jejunia Quatuor Temporum, & inde dicta sunt jejunia Primitiarum: Pro decimis verò instituerunt jejunia Quadragesimæ. Sciendum autem est, quod jejùnia Vernalia primò instituta fuerunt in prima septimana Martii, Æstivalia in secunda Junii, Autumnalia in tertia Septembris, Hiemalia in quarta Decembris: sed propter multa, quæ inde surgebant incommoda statuit Leo Papa LXXVI. dist. hujus, ut Hiemale fiat in tertia septimana Adventus, Vernale in prima septimana Quadragesimæ, Æstivale in prima septimana post Pentecosten, Autumnale verò fiat secundum veterem institutionem.



SE-

SECTIO SECUNDA,

De his, quæ in genere dixit de Quatuor Temporibus Joannes Beleth, qui cap. 133. ait:



ORIGO jejuniorum primitiarum sumpta est ex veteri Testamento. Sicut enim populus ille Deo ex omnibus rebus suis dabat primitias: sic nos ex temporibus primitias, & non solùm ex temporibus, sed etiam ex omnibus, quæ possidemus, dare debemus.

Idem Auctor cap. 134. dicit: In primitiva Ecclesia fuit institutum, ut jejunia hæc quoque anno ter fierent. Sed Calixtus Papa instituit, ut quater fierent, sumens rationem ex veteri Testamento. Judæi namque quater jejunabant in anno, ante Pascha, Pentecosten, Scenophegiam, id est, ante fictionem tabernaculorum in Septembri, & ante Encænia, id est, dedicationem, in Decembri. Præterea, si ter fierent, & tres dies singulis vicibus jejunarentur, anno diviso in tres partes, remanerent semper aliquot dies, quorum primitias non redderemus. Sunt rursus, & multæ aliæ rationes, quam obrem quater fiant in anno. Una est, quòd in humanæ naturæ constitutione quatuor sunt qualitates, utpote quòd simus calidi, frigidi, humidi, sicci: ex quibus qualitatibus quilibet peccandi petit delectationes. Ut ergo quatuor has qualitates à peccandi libidine refrænemus, quater in anno jejunamus. Vel talis etiam ratio reddi potest: Homo constat ex anima, & corpore, corpus autem consistit ex quatuor elementis: sed anima tres potissimas habet proprietates, uti ratione, irasci, & concupiscere. Quarè, ut hæc in nobis moderentur, quater in anno tribus diebus jejunamus, ut quaternarius numerus referatur ad corpus, ternarius ad animam. Rursum: Annus in quatuor tempora dividitur, quorum unum quodque

tres,

tres habet menses. Quater igitur in anno jejunamus tres dies, pro quolibet mense diem unum. Est iterum alia ratio cur quater jejunamus, ob quatuor, videlicet, anni tempora: in Hieme enim mandamus terræ semina, in Vere arbores florescunt, & vineæ pubescunt, in Æstate metimus nonnullas fruges, & in Autumno colliguntur uvæ. Quater denuò jejunamus: quia, ut veteres quoque anno quater jejunabant quadragesimam diem; & nos his temporibus tres dies jejunamus. Dicuntur autem jejunia quatuor Temporum, vel jejunia Primitiarum, vel jejunia triplicia, quia fiunt tribus diebus, quibus solemus jejunare in una septimana. Sunt verò instituta, ut dictum est, à Calixto Papa: & prima hujusmodi jejunia fiunt in Martio, in prima, videlicèt, septimana Quadragesimæ, ut in nobis marcescant vitia, non enim omnino possunt extingui: in Æstate fiunt secunda, nimirum in septimana Pentecostes, ut quoniam tunc venit Spiritus Sanctus, & nos esse debemus ferventes in Spiritu: tertia jejunia fiunt ante Festum Sancti Michaelis, in tertia septimana Septembris, quòd, quemadmodum tunc arborum fructus colliguntur, & nos quoque deceat Deo reddere bonorum operum fructus: quarta postremò fiunt in septimana ante Natale Domini, scilicet, in Decembri, quia, sicut tunc herbæ moriuntur, ita, & nos oportet mori Mundo, & renasci Deo. In horum jejuniorum quarta Feria dici debent duæ lectiones tono, sive voce nocturnali: una ex veteri Testamento, altera ex novo, tono, & voce communi, ad significationem ejus, quòd qui ordinandi sunt Sabbato sequenti, oporteat, ut sint utriusque Testamenti periti. Idem indicat Mitra Episcopalis per duo illa cornua. Debet enim hic utriusque Testamenti non esse ignarus, quo tamquam duplici cornu possit ferire Fidei inimicos, atque hæreticos. Sexta jejuniorum Feria, una dumtaxàt debet dici lectio, quòd Auctor veteris, & novi Testamenti unus, & solus sit Deus, atque ex veteri, & novo Testamento unum factum sit Evangelium. Sabbato autem quatuor
reci-

recitantur lectiones, antequam celebrentur ordines, quarum prima pertinet ad populum, secunda ad Ecclesiæ Primatos, tertia ad Ministros, quarta ad omnes Religiosos. Lectio Danielis ideo sequitur de tribus pueris, quòd qui sunt ordinandi, in fide debeant esse probati, sicut illi fuerunt. Sunt autem hi circa tria potissimùm inquirendi, circa naturam, utrùm, videlicèt, ex legitimo Matrimonio sint procreati, circa litteras, & circa vitam, ac bonam conversationem. Notemus ergo hìc, quod Archipresbyter ordinandos priùs debeat offerre Archidiacono: unde hic etiam dicitur Vicarius, quoniam in hoc vicem supplet Sacerdotum: eorum enim esset hoc facere. Archidiaconi officium est eos examinare, & scrutari in vita, in natura, & honesta conversatione, atque ita eos tradere in manus Scholasteris, cujus munus est periculum facere in litteris. Sic itaque diligenter inquisiti debent tradi in manus Episcopi. Post lectionem Danielis subjungitur cantus *Benedicite*. Epistola Pauli deinde legitur, ad quam genua non flectimus, quoniam ad novum pertinet Testamentum. Huic deinceps Tractus subjungitur cum gravi cantu, quòd ordinati graves esse debeant, & constantes, nè facili superbiæ flatu efferantur. Obiter tamen animadverte, non permissum esse, ut eadem die bis aliquis ordinetur. Sed si necesse fuerit, potest ordinari Sabbato in Diaconum, & Dominica sequenti in Sacerdotem.



SE-

SECTIO TERTIA,

Proponuntur ea, quæ in generali dicta sunt à P. Reverendissimo Bartholomeo Gavanto, de Quatuor Temporibus: qui quidem Auctor tom. 1. Commentariorum in Rubr. Missalis Romani, par. 4. §. 2. ait:



Calixto statutum est, celebrari Quatuor Tempora per annum; quæ tantùm ter anteà celebrabantur. Microl. cap. 28. sed antè ab Apostolis tradita fuisse, Sanctus Leo docet serm. 8. de jejun. decimi mensis. Quarè Calixtus decreto tantùm firmavit usum, & quatuor distinxit: cùm ea, quæ verè habentur, coincidant cum Quadragesima dist. 76. jejun. ut, sicut quatuor sunt anni partes, ita in eisdem fiat per jejunium purgatio Hieme, Vere, Æstate, Autumno; & sicut tres menses quæque anni pars habet, ita tres dies jejunii sint ad ratam trium mensium. Ordo Romanus, & Berno de quibusdam ad Missam spectant. cap. 7. Et benè Feria quarta, in qua factum est Concilium contra Christum. Idem ibidem. Vel quia traditus eo die fuit Christus. Rupert. lib. 3. cap. 7. Feria verò sexta, quia crucifixus: Sabbato deinde propter tristitiam Apostolorum, mortuo Christo. Ex Innocent. in Decretal. Sed anteà docuerat hæc Sanctus Clemens lib. 5. Constitut. cap. 14. & 16. ubi Sabbatum memorat etiam ob Christi Sepulturam. Missa Feriæ quartæ duas habet lectiones ante Evangelium. Ordo Roman. Ut admoneantur ordinandi, quòd teneant notitiam legis, & Prophetarum: quæ notitia in quarta ætate Mundi maximè vigebat. Alcuinus. Item habet orationes duas qua-

quarũ altera dicitur ſine ſalutatione cum genufl exione, hoc eſt, ſine *Dominus vobiſcum*, cum *Flectamus genua*: quia totus eſt Sacerdos in Deum orando pro ordinandis, & examinandis, eo namque die fiebat examen ordinandorum. Ex Durand. lib. 6. cap. 8. Altera oratio ſalutationem habet, non genuflexionem, ut in aliis Miſſis. Microl. cap. 28. hoc eſt, dicitur *Dominus vobiſcum*, non autem *Flectamus genua*. Feria ſexta, unica eſt lectio. Ordo Roman. quia lex, & Prophetæ in Evangelio uniuntur, quando in ſexta ætate prædicatur. Alcuin. In Sabbato verò ſeptem ſunt lectiones cum Evangelio, ratione ſeptem ordinum, qui eo die conferuntur. Ex Durand. loc. cit. cap. 10. ſed propriè ſunt ſex in Ordine Romano: quia, ſicut in Feria quarta duæ, ita tres Feria ſexta, & quatuor in Sabbato legendæ erant; ſed, relicta una Feriæ ſextæ, trãnslatæ ſunt aliæ duæ in Sabbatum, in quo ideo ſex leguntur. Rupert. lib. 3. cap. 8. quarum ultima ſemper eſt de tribus pueris in fornace, quia per fornacem illæſi tranſire debent ordinandi, inquit Alcuinus: cui lectioni additur in fine Hymnus Trium Puerorum. Ex Vualafrid. cap. 22. Orationes autem in eodem Sabbato, ſine ſalutatione, cum genuflexione dicuntur, excepta ultima de camino ignis. Ordo Roman. ad indicandum, quòd tres pueri noluerunt adorare ſtatuam Regis. Ex Alcuino.



CAPUT SECUNDUM.

In eo ſunt illa, quæ dicit Durandus in particulari de Quatuor Temporibus.

SECTIO PRIMA,

Habet ea, quæ Durandus dicit in ſpecie de Temporibus Quadrageſimæ, ſive Veris.

§. Primus.

Pro Feria Quarta Quatuor Temporum Veris, ſive Quadrageſimæ.



UARTA Feria eſt de jejunio: ſed quia illa dies eſt ſeptima a capite jejunii, Septimus autem numerus, & Septuageſimus idē ſignificant: idē enim ſignificat numerus multiplicatus, & numerus multiplicans: Septuageſimus verò ſignificat liberationem à captivitate: ideo in Introitu, qui eſt: *Reminiſcere*, &c. petit liberationem, ſcilicet, quæ habetur per jejunium: & in Epiſtola, & in lectione monemur ad jejunium exemplo Moyſi, & Eliæ. Lectio, quæ legitur propter Ordines, ſumpta eſt Exodi XXIIII. *Aſcende ad me in montem*, &c. Epiſtola verò de tertio Regum: *Venit Elias*, &c. Quale autem jejunium debeat eſſe, ſcilicèt, ſpirituale, monſtratur nobis per jejunium Moyſi: utilitas verò per Eliam: in azymo enim cibo pervenitur uſque ad montem Dei Oreb, id eſt, ad altitudinem menſæ illius, quando comedemus ſupra menſam Patris Chriſti in Regno ſuo. Per jejunium quidem

ira

ira Dei temperatur, & mitigatur: quod ostenditur per Evangelium Matthæi XII. cap. *Accesserunt ad Jesum*, &c. in quo habetur de Ninnivitis, qui iram Dei temperaverunt per jejunium suum. Et nota, quòd in hac Feria solemnitas jejunii duplicatur: quia jejunatur, tam ratione Quadragesimæ, quàm ratione jejunii Quatuor Temporum. Quia verò pœnitentium asperiùs jejunantium corpora desiccantur, in his non habitat, sicut dicitur in Evangelio, spiritus immundus, qui ambulat per loca arida, quærens requiem, & non invenit: corpora enim jejunio desiccata fastidit. Ideo ad jejunia libentius appetenda, Moysi, & Elię præmittuntur exempla, quorum uterque in singulis lectionibus quadraginta diebus, & quadraginta noctibus jejunasse perhibetur. Itaque propter jejunii geminationem, scilicet, Quadragesimæ, & Quatuor Temporum, duo versus in Graduali ponuntur: & ea, quæ in Introitu, Graduali, Tractu, Communione, & Offerenda cantantur, sunt consolationes, & orationes, ut jejunantes à tribulationibus eripiantur, & nè his, qui jejuniis affliguntur, inimici dominentur. Hæc quarta Feria in hoc privilegiata est: quia illi, qui in Sabbato sequenti ordinandi sunt, interrogantur de Scripturis Sanctis, & examinantur: de quo, & quarè duæ lectiones leguntur ad Missam, sub quarta Feria tertiæ hebdomadæ Adventus dicitur.

§. Secundus.

Pro feria Sexta Temporum Quadragesimæ.



IN sexta Feria, quæ est nona dies jejunii, qui numerus est Angelicus, petit Ecclesia liberari ab omnibus tribulationibus: & est Introitus: *De necessitatibus*, &c. & fit hoc per Angelos, & maximè per Angelum magni consilii: & ideo legitur Evangelium Joannis V. *Erat dies Festus*, &c. in quo dicitur, quòd Angelus Domini descen-

debat in piscinam, & movebatur aqua: & sanabatur unus: ideo unus, quia tantùm unitas Ecclesiæ sanatur. Sed, nè in contradictione peccemus, sicut Judæi, qui dicebant illud proverbium ironicè: Pater nostri manducaverunt uvam acerbam in deserto: & dentes filiorum obstupescunt, id est, nos punimur propter hoc, quod non est justum: ideo legitur Epistola de Ezech. XVIII. cap. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur*. Filius non portabit iniquitatem patris, nisi imitetur patrem in malitia. Vindicat enim Dominus iniquitatem patrum in filios, in his, qui oderunt eos. Extra. de reg. jur. nisi. 1. quæst. IIII. per totum.

§. Tertius.

Pro Sabbato Quatuor Temporum Quadragesimæ.



Ostea verò non restat, nisi Sabbatismus. Et est Epistola de Sabbato mentis: *Fratres, hortamur vos*. Per Sabbatum verò mentis, venitur ad Sabbatum æternitatis: & ideo dicitur Evangelium de Transfiguratione Domini, in qua apparuerunt tantùm Moyses, & Elias, quorum exemplo animatur Ecclesia ad jejunium. In Missa hujus diei lectio prima est: *Oravit Moyses* Deut. XXV. cap. Secunda est: *Dixit Moyses filiis Israel*, ibidem XI. cap. Tertia est: *Orationem faciebant*. II. Machab. I. cap. Quarta est: *Miserere nostri*. Eccle. XXXVI. cap. Quinta est: *Angelus Domini*, de qua dicitur sub quarta Feria tertiæ Dominicæ de Adventu. Quia ergo pro Ordinandis orat Ecclesia, cantat Introitum: *Intret in conspectu*, &c. & Graduale: *Propitius esto*, &c. &: *Protector noster aspice*, &c. &: *Convertere Domine*, &c. &: *Dirigatur Domine oratio mea*, &c. &: *Ad Dominum, cùm tribularer, clamavi, & exaudivit me*, &c. Ad quinque lectiones flectit genua: ut quinque sensus Ordinandorum à Domino dirigantur. Quia verò Dia-

Diaconi, & Sacerdotes tamquam perfectiores, æternis intendere tenentur, inde est, quòd ante sextam lectionem, sive ante Epistolam non dicitur: *Flectamus genua*, sicut nec ante Evangelium. Hoc etiam fit propter reverentiam Apostolicæ lectionis; & propter eamdem etiam causam ad orationem super populum genua non flectimus, sed solùm caput inclinamus. Rursus: quia multum valeat deprecatio Ecclesiæ assidua: quis enim est, qui non audiatur in tribulationibus? idcirco quinto loco legitur lectio de tribus pueris de camino ignis liberatis: & sequuntur gratiarum actiones in cantico: *Benedictus es Domine*, &c. Quia verò officium prædicationis etiam ad Subdiaconum pertinet, idcirco sequitur Epistola Pauli I. ad Thessal.ult.cap. *Rogamus vos, corripite inquietos: consolamini pusillanimes*, &c. Officium enim prædicatoris est alios corripere, & reliqua facere quæ in Epistola ipsa docentur: & ita Epistola ipsa pertinet ad ordinatos saltem in sacris. Deinde sequitur Tractus: *Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi*: in quo omnes invitamur ad Dei laudem, qui Ministros suos sua misericordia confirmat. Tractus ergo, & canticum: *Benedictus es*, sunt ordinatorum. Et quia Sacerdotes in virum perfectum commutari debent, quorum ministerio panis, & vinum transsubstantiatur in Corpus, & Sanguinem Domini, inde est, quòd legitur Evangelium de Transfiguratione: *Assumpsit Jesus Petrum*, &c. Matthæi XVII. cap. debent enim transfigurari, ita, quòd in eis non appareat, nisi resurrectio Dei. Sed, quia in præsenti vita sine tribulatione, aut vix, aut numquàm esse possumus: & propterea semper ad Dominum clamandum est, inde est, quòd sequitur Offertorium: *Domine Deus salutis meæ*, &c. & Postcommunio: *Domine Deus, in te speravi*, &c. Privilegiatum est hoc Sabbatum quia in eo Ordines celebrantur.

SECTIO SECUNDA,

Proponit ea, quæ Durandus dicit ſpecialiter de diebus Temporum Pentecoſtes, ſive Æſtatis.

§. Primus.

Pro Feria quarta Quatuor Temporum Pentecoſtes.



EQUITUR quarta Feria, in qua fiunt jejunia Quatuor Temporum. Apoſtoli namque nobis exemplum jejunandi hoc tempore reliquerunt: qui poſt ſuſceptum Spiritum Sanctum, ſicut mentes averterant à ceteris mundi illecebris, ſic & ab epularum appetitu, licèt enim, quamdiu cum illis fuit Chriſtus, non jejunarent, poſt ablationem tamen ejus ſpontaneis ſe ſubdidere jejuniis. Sponſo enim ablato, eis jejunandum erat, ſicut Dominus prædixerat: *Quando Sponſus auferetur ab eis, tunc jejunabunt*. Unde repleti Spiritu Sancto, ſpontè jejunare cęperunt: quocircà in pręcedenti ſecunda Feria quidam æſtivalem inchoant Quadrageſimam: alii verò ſaniùs hodiernum jejunium autumant eſſe hujus Temporis Quadrageſimæ initium, cui quidam terminum ſtatuunt in Feſtivitate Sancti Joannis Baptiſtæ, ſive ſex habeat hebdomadas, ſive non. Tertii Feſtivitatem Sancti Joannis includunt, & eo uſque jejunantes, ſine termino præfixo procedunt, donec ſenarium compleant numerum. Hanc Quadrageſimam, probat Hieronymus, non eſſe neceſſitatis, ſed voluntatis, dicens: *Nos unam facimus Quadrageſimam, illi tres, quaſi tres paſſi fuerint ſalvatores*;

res; non, quòd per totum annum jejunare non liceat, excepto Pentecoste; sed quia aliud est necessitate, aliud voluntate munus offerre. Sed hoc dicit Hieronymus contra Montanum hæreticum, qui apud suos tribus quadragesimis statuit jejunandum. Et dicitur hoc jejunium Æstatis, quod est jejunium exultationis, in quo genua non flectimus: immò cantica lætitiæ dicimus, ut dicitur sub quarta Feria tertiæ hebdomadæ Adventus. Hoc autem jejunium statutum est ab Ecclesia in tali tempore: quia qui in se sentit gratiam Sancti Spiritus, leviter, & cum gaudio jejunat: & etiam, quia super jejunantes descendit Spiritus Sanctus visibiliter: & ideo incipit Introitus: *Deus, cùm egredereris in conspectu populi tui, &c.* Egreditur autem Dominus, quando aliquo signo visibili venit ad auxilium hominum. Egressus verò est, cùm dedit nobis Filium suum, qui venit pandens iter ante nos, ut dicitur Michææ II. Tunc egressus est etiam per Spiritus Sancti missionem, quando visibiliter descendit super Apostolos: & quia per hoc dissipati sunt inimici, ideo sequitur versiculus: *Exurgat Deus*, & dissipentur inimici ejus, &c. Sequitur in quibusdam Ecclesiis lectio de principio Sapientiæ: *Diligite justitiam qui judicatis terram*: ubi ostenditur, qualiter poterit haberi Spiritus Sanctus. Ibi: *Spiritui Sanctus disciplinæ effugiet fictum.* 1. quæstio 1. Salvator: & in fine dicitur: *Spiritus Domini replevit Orbem terrarum, &c.* Postmodùm sequitur Epistola: *Stans Petrus, &c.* Act. II. in qua ostenditur, quòd super jejunantes descendit Spiritus Sanctus: & ibi sequitur: *Non enim isti sunt ebrii, sicut vos dicitis, cùm sit hora diei tertia: sed hoc est, quod dixit Dominus per Prophetam Joel: Effundam de Spiritu meo super omnem carnem: & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ, &c.* In aliis verò Ecclesiis dicitur prima lectio: *Stans Petrus*, & postmodùm Epistola: *Per manus autem*, Actor. V. cap. Duæ itaque lectiones leguntur, quia duo populi ad Fidem convertuntur: vel quia Ordinandi in utriusque Testamenti Pagina imbuuntur. Sequitur *Alleluia*, quia est jejunium exultationis, ut dictum est: & dicunt qui-

quidam: *Pater, cùm essem*. Joan. XVIII. Sequitur Evangelium Joan. VI. cap. *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*, scilicèt, per Spiritum Sanctum: & pòst sequitur; *Patres vestri manducaverunt manna, & mortui sunt: qui manducat ex hoc pane vivet in æternum*; quia egressum est coram Christianis manna spirituale, sicut antè coram Judæis: sed corporale manducantes, & temporale mortui sunt. Qui verò manducaverit spirituale, non morietur morte, scilicet, incredulitatis, sive gehennali. Unde patet, quòd elegantiùs egressus est Dominus coram novo populo, quàm coram veteri. Communio est: *Pacem, &c.* & est Joannis XIV. cap. Et attende, quòd officium hujus quartæ Feriæ prædicat Scientiam, quæ est Donum Spiritus Sancti, qui usque adeo Sanctos illuminat, quòd de quinque libris Moysi, paucisque Prophetarum Scripturis, librorum copia crevit: quod mysticè innuit nobis Evangelium de quinque panibus, & duobus piscibus, quod hodie in quibusdam Ecclesiis dicitur.

§. Secundus.

Pro Feria sexta Quatuor Temporum Pentecostes.



SExta Feria est Introitus: *Repleatur os meum laude, ut possim cantare, Alleluia*: quia qui gaudet ore, & corde, potest jejunare jejunio exultationis. Et quia est dies Veneris, in qua passus est Dominus, & dies Spiritus Sancti, ideo dicit Petrus [in Epist. *Aperiens*. Actor. II. quæ in quibusdam Ecclesiis legitur] quòd Christus suscitatus est à Spiritu Sancto: unde ibi habetur: *Suscitavit Jesum solutis doloribus inferni, sicut scriptum est: Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*: in quo significata est illa Spiri-

Spiritus Sancti operatio, qua Sinagoga nunc mortua pietate resurget, postquàm plenitudo Gentium eadem introierit pietate. Prædicat ergo hoc officium pietatem. Posset etiam pertinere ad spiritum timoris pro eo, quod dicitur in Evangelio: *Et repleti sunt timore*. In quibusdam Ecclesiis legitur lectio: *Exultate filiæ Sion*, quæ est Joel. II. cap. Et, quia per Spiritum Sanctum fiunt miracula, sequitur Evangelium: *Factum est*, Lucæ V. cap. de paralytico sanato. Et quia propter hoc debet laudari Dominus, sequitur Offertorium: *Lauda anima mea Dominum*. Communio: *Spiritus ubi vult spirat*.

§. Tertius.

Pro Sabbato Quatuor Temporum Pentecostes.



IN Sabato est Introitus; *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*, ad Rom. V. cap. Et competit Spiritui Sancto, qui est charitas, & etiam diei Sabbati: quia in Sabbato futuræ quietis maximè diffundetur, ut qui igniculus est in Sion, caminus fit in Jerusalem. Et sequitur versus: *Domine Deus salutis meæ, in die clamavi, & nocte coram te*: ille enim, in quo diffusa est Spiritus Sancti gratia, laudat Deum in prosperis, & in adversis. Sequitur Epistola: *Justificati, &c.* ad Rom. V. cap. in qua habetur de hujusmodi diffusione. Quia enim Charitas Dei diffusa est, non permittit eam Paulus intra fines terræ promissionis tantùm coarctari; immò ostendit, quòd non tantùm Judæis, verùm etiam Gentibus datus est Spiritus Sanctus, dicens ipsis Judæis: *Vobis oportebat primum prædicari; sed quia repulistis verbum Dei, & vos indignos fecistis vitæ æternæ, ecce convertimur ad Gentes*. Extra de renun. nisi §. Propter. In aliis verò Ecclesiis dicitur Epistola: *Convenit universa Civitas &c.* Actor. XIII. Quia ergo in Gentibus datus est Spiritus Sanctus, ideo sequitur *Alleluia. Laudate Dominum omnes Gentes*. In hoc enim

jejunio non tacentur cantica lætitiæ propter reverentiam Festi. Nec [secundum Nicænum Concilium LXXVI.dist. de jejunio, de consecrat. dist.III. quoniam,] genua flectimus, sed stantes oramus propter Neophytos gaudentes, quòd à peccatis surrexerunt. In aliis Ecclesiis dicitur: *Repleti sunt omnes*. Actor. II. cap. *Spiritus Domini ornavit cælos*. XXVII. cap. Posteà sequitur Evangelium: *Surgens Jesus*, Lucæ, IIII. cap. de socru Petri sanata: quæ significat Synagogam, quæ sanata est à Petro ab infidelitate, & perfectiùs per fidem ipsius sanabitur in futuro; & sic convenit cum Epistola. Fiunt autem hac die Ordines: quia super ordinandos descendit Spiritus Sanctus, & etiam super jejunantes: & ideo dicuntur quatuor lectiones ante lectionem Danielis, prout dicitur sub quarta Feria hebdomadæ tertiæ Adventus. Prima est de principio libri Sapientiæ, in qua ostenditur, quibus datur Spiritus Sanctus, & quibus non; scilicèt, illis, qui sentiunt de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærunt illum. In aliis verò Ecclesiis prima est de Joele III. in cap. *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem*: quia sicut Spiritus Sanctus super Apostolos descendit visibiliter: ita super ordinandos descendit invisibiliter. Secunda est; *Locutus est*, quæ est Levitici XXIII. cap. Tertia est: *Dixit Moyses*, quæ est Deut. XXVI. cap. Quarta est: *Dixit Dominus ad Moysem*, quæ est Levitici XXVI. cap. Offertorium est: *Intonuit Dominus*. Post communio verò: *Non vos relinquam*, *&c.* de effusione Spiritus Sancti loquitur. Potest etiam dici, quòd hoc Officium figurat duorum concordiam populorum, Judæi, videlicet, & Gentilis. Hi sunt duo cœci, de quibus dicitur in Evangelio, quòd sunt illuminati à Christo: de qua concordia loquitur Paulus in Epistola ad Judæos, & Gentiles, dicens: *Justificati ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum*. Sed quia pax, & concordia vera non fit, nisi per charitatem, ideò præcinitur in Introitu: *Charitas Dei diffusa est*. in quo ter ponitur *Alleluia*; quoniam ad fidem Trinitatis pervenitur

nitur per obsequia charitatis. Lectiones etiam ad jejunium pertinentes attestantur operationem, & gratiam Spiritus Sancti; ut prima: *Effundam de spiritu meo*, & secunda: *Locutus est*, ubi dicitur: *Numerabitis septem hebdomadas usque ad alteram diem expletionis*. Hebdomadæ septem præsentem innuunt Festivitatem, quæ olim dicebatur Festivitas Hebdomadarum: &, quia, postquàm Gentes intraverint, reliquiæ salvabuntur, ideo nunc flentibus, & Sponsum spectantibus dicit Dominus in Postcommunione: *Non vos relinquam orphanos*. Quia igitur hæc concordia fiet, imminente die Judicii, qui etiam electis erit causa timoris, ideo hoc Officium pertinet ad timorem; vel quia timor introducit charitatem, licèt charitas foràs mittat timorem. De Pœnitent. dist. II. sicut cæca. Et attende, quia secundum Augustinum, in ordine officiorum istorum descendendo computamus: in ordine verò Paschalium ascendendo; quia per hæc descensus Spiritus Sancti ad nos, per illa noster ad ipsum significatur ascensus. Et cave, quia præter præmissa Officia ad jejunium pertinentia, quæ in quarta, & in sexta Feria, & in hoc Sabbato exposuimus, aliæ quidem lectiones, & Evangelia in eisdem diebus inveniuntur, quæ fortè solemnitati magis appropinquare videntur: sed tamen hæc, & illa gratiam Spiritus Sancti personant, & operationem: unde quidam hodie non incongruè duas Missas celebrant, unam in Tertia de Festo cum *Gloria in Excelsis*, & *Credo*, aliam in Nona de jejunio sine *Gloria in Excelsis*, in qua sunt Clerici ordinandi; qui meritò in hac hebdomada ordinantur, ut Sancti Spiritus dona percipere mereantur. Et memento, quòd hac die terminatur Quadragesima; & ideo hodie frequentatur, & cantatur pro Graduali *Alleluia*; nec flectuntur genua, pertinet enim ad octavam. Generale quidem est, quòd quoties de tempore in die gratiæ materia laudis assumitur, aut dies ad octavam refertur, genua non flectimus, sed in orationibus stantes collatam nobis gratiam, & conferendam gloriam profitemur: ut cùm

 olim

olim essemus servi curvi, nunc fracto jugo incedamus erecti, ut in Dominicis diebus, & Sanctorum Natalitiis, & Paschalibus; inclinare tamen capita possimus; & mulieres devotas ad monumentum venientes imitemur.

SECTIO TERTIA,

Refert ea, quæ Durandus dicit, dum agit de Tempore Septembris, sive Autumni, in particulari.

§. Primus.

Pro Feria Quatuor Temporum Septembris.



N quarta Feria legitur Evangelium: *Respondens unus de turba.* Matthæi IX. capite de surdo, & muto, quem Apostoli curare non poterant, eo, quòd illud genus dæmonii non ejicitur, nisi in Oratione, & jejunio: quod bene huic diei convenit. Hodie namque jejunium est Quatuor Temporum. Ideo namque duæ lectiones leguntur, ut ordinandi in duobus præceptis charitatis, vel duabus legibus instruantur. Prima de calcatore uvæ, scilicet; *Ecce dies.* [Amos in fine.] Tempori convenit. Secunda, videlicet: *Congregatus.* [Neemiæ VIII. capite.] congruit Ordinandis: quibus dicitur in Introitu: *Exultate Deo,* qui præmeditari promittunt, in Offertorio: *Meditabor.* Communio est: *Comedite pinguia,* & sumitur de lectione secunda.

§. Secundus.

Pro Feria sexta Quatuor Temporum Septembris.



FERIÆ sextæ officium pœnitentiam exprimit Ordinandorum. Unde in Evangelio: *Factum est*. Peccata paralytico dimittuntur, & in lectione: *Convertere*, Osææ ult cap. ad conversionem instruuntur: & in introitu: *Lætetur*, ad quærendum Dominum invitantur. Graduale, & Postcommunio sunt orationes electorum: Offerenda, consolatio eorumdem. In aliis tamen Ecclesiis dicitur Evangelium: *Rogabat Jesum*. Lucæ VII. capite.

§. Tertius.

Pro Sabbato Quatuor Temporum Septembris.



SABBATI quoque Officium ad doctrinam ipsorum Ordinandorum fit, nè sint steriles, ut fici arbor infructuosa, de qua legitur Evangelium: *Arborem fici*. Lucæ IIII. cap. nè vita illorum sit terrenis implicita, sicut mulier incurvata. In Epistola verò: *Tabernaculum factum est*, &c. quæ est ad Hæbræos IX. cap. ubi de primo, & secundo agitur tabernaculo. Monentur, ut sic serviant in tabernaculo Ecclesiæ militantis, ut Domino præsententur in tabernaculo triumphantis. In lectionibus verò quare hoc Septembris jejunium indicitur, causa instructionis, & utilitas intimatur: quarum prima est: *Decima die*, Levitici XXIII. cap. Secunda est: *Quintadecima die*, quæ est ibidem. Tertia est: *Domine Dominus noster*. Michææ ult. cap. Quarta est: *Factum est verbum*.

Za-

Zachar. VII. cap. Quinta est: *Angelus Domini.* Daniel.III. cap. Cetera sunt Ordinandorum exhortationes, orationes, & consolationes, scilicet: Communio, scilicet mense septimo, de Levitici lectione sumitur. Meritò autem in hoc mense fit Clericorum Ordinatio: quoniam & in hoc mense fiebat Tabernaculorum celebratio. Ordinati verò sunt Ecclesiæ Ministri, in die Tabernaculorum per septiformen gratiam in septem gradibus constituti. Unde & Beatus Petrus legitur ordinationem fecisse in Septembri sex Episcoporum, decem Presbyterorum, & septem Diaconorum. Et celebratur Ordinatio in tertia hebdomada, quia in tempore tertio, scilicèt, Gratiæ, fuit ab Apostolis instituta. Olim tamen alia ratio fuit à sapientibus assignata: nam olim instituta fuere jejunia in prima hebdomada Martii, in secunda Junii, in tertia Septembris, in quarta Decembris, ut comitarentur initia tessere decadis Jesu Christi. Cùm enim quis ordinatur, quodammodo, ut Christo attineat, generatur: ergo persona primæ tessere decadis est Abraham, à quo sumitur ordinatio primæ hebdomadæ Martii: prima persona secundæ tessere decadis est David, à quo sumitur ordinatio secundæ septimanæ Junii; initium tertiæ est Jeconiæ, à quo sumitur ordinatio tertiæ septimanæ Septembris: demum est Christus in quarto loco, à quo sumitur ordinatio quartæ septimanæ Decembris. Sumuntur autem potius ab his personis, quàm ab aliis ordinationes, vel quia fuerunt in genealogia majores, vel propter nominum interpretationes: dicitur enim Abraham, *Pater multarum gentium*; David, *Fortis*; Jeconia, *Præparatio Domini*. Sic & illi, qui ordinantur, debent esse fortes, præparati ad Evangelium Christi; vel, sicut à persona in personam sunt quatuordecim generationes: sic ab ordinatione in ordinationem septimanæ quatuordecim inveniuntur, ut Ordinandi periti sint in Decalogi, & in Evangelii disciplina. Nunc autem jejunia ex causis præmissis aliter ordinantur, ut dicitur sub quarta Feria

ria tertiæ hebdomadæ Adventus. Et memento, quòd Apostolici usque ad Simplicium Papam in Decembri semper Ordines celebrabant, ut Ordinandos coaptarent generationi Jesu Christi. Simplicius verò addidit Ordines in Februario tribuendos, ut Ordinandos viciniùs incorporaret corpori Jesu Christi. Vide de hoc in Proæmio secundæ partis. Sed, si, ut præmissum est, jejunia constituta sunt in prædictis septimanis pro his, qui ad ordinationem accedunt, numquid commutari possunt quando nullus tunc ordinatur? Certè non, nisi necessitate urgente, de qua in Proæmio secundæ partis dictum est: cùm enim sit una Ecclesia omnino, debet in actionibus ejus esse concordia, quæ non esset, si in tam generali jejunio alii pranderent, alii jejunarent. Prætereà, licèt alicubi non fit Ordinatio, fit tamen alibi, pro quibus jejunare, & orare debemus, ut digni ad Ordinationem perveniant: Omnes enim fratres sumus, & unanimes in domo Domini sumus.



Se-

SECTIO QVARTA,

Continet ea, quæ à Durando dicta sunt specialiter de diebus Temporum Adventus, seu de Temporibus Hiemis, aut Decembris.

§. Primus.

Pro Feria quarta Quatuor Temporum Adventus.



N hac quarta Feria examinantur Ordinandi, an sint idonei ad recipiendos Ordines, vel non? quoniam in quarta ætate Levitæ à David, & à Salomone ad Templi ministeria distributi sunt. Et inde est, quòd duæ lectiones leguntur ad Missam: quarum prima, quæ legitur sub tono nocturnali, scilicet, declinanter, significat vetus Testamentum: & secunda, quæ legitur sub communi tono, scilicèt, ascendente, significat novum Testamentum; ad significandum, Ordinandos in utroque Testamento debere esse instructos. Monendi enim sunt, qui ad Ordinem Sacrum conscendunt, ut habeant notitiam Legis, & Prophetarum, quibus possint alios erudire. Prima lectio: *Erit in novissimis*. Esai. II. cap. Secunda est: *Locutus est Dominus*. Esai. VII. cap. Sed & Lex & Prophetæ in quarta mundi ætate viguerunt. Doctrinam jejuniorum habemus à veteri Testamento, ut præmissum est. Semel genua flectuntur; quia tam in Lege, quàm in Prophetis Deus unus coli præcipitur. Quoties autem in quarta Feria duæ lectiones leguntur, toties in

in proximo Sabbato possunt generaliter Ordines celebrari: quod sexies contingit, videlicet, ter in Quadragesima, & ter extra Quadragesimam: de quo dictum est in Proœmio secundæ partis. In sextis verò Feriis jejuniorum Quatuor Temporum una dumtaxàt lectio ad Missam legitur, quia Lex, & Prophetæ, quæ fuerunt in quarta ætate, in uno Evangelio in sexta ætate recapitulantur. Sanè hujus quartæ Feriæ Evangelium est: *Missus est*, &c. quod est Lucæ I. cap. in quo Paranymphi recitatur annuntiatio, Virginis consensus, & Domini Incarnatio, quæ Propheticis tubis fuerat antè declarata. Unde præcinit Propheta Introitum: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum*. Esai. XLV. *Rorate cæli*: dicit, & pluere: quia descendit Verbum in aulam credulæ Virginis, sicut pluvia in vellus: cœlos dixit, & nubes Angelos, & Prophetas, qui ennarrant gloriam Dei. In prophetica lectione: *Erit in novissimis diebus*. Esai. II. cap. agitur de monte Domini: qui de parvo lapide crevit in montem, qui regnabit in domo Jacob in æternum. Unde rectè subditur in Graduali: *Tollite portas Principes vestras, & elevamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.* Et: *Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus?* In Epistolari lectione: *locutus est Dominus ad Achaz*, &c. quæ est Esai. VII. cap. manifestè agitur de Virgine Maria, cui ritè succinitur Graduale: *Prope est Dominus*: & nè qua subrepat dubitatio, subditur in Offertorio: *Confortamini.* Aliæ tamen Ecclesiæ dicunt: *Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus: & benedictus fructus ventris tui*: quod sumitur ex dicto Evangelio. Communio est: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium: & vocabitur nomen ejus Emmanuel*. Esai. VII. cap. In Matutinali verò officio in quibusdam Ecclesiis, Psalmodia finita, Diaconus, & Subdiaconus, & Acolyti in albis cum candelabris, & thuribulo processionaliter jussu Prælati ad pulpitum pergunt: ubi Diaconus pronuntiat Evangelium: *Missus est Angelus Gabriel à Deo*, & ejus Homiliam: deinde incensat Altare: &

 po-

posteà ipse, & Subdiaconus sedent, donec unus Acolytus incensaverit Chorum. Quod quidem fit ob reverentiam Dominicæ Annuntiationis, quæ in ipsò Evangelio continetur: nempe, Prælatus illos mittit, ad notandum, quòd Deus Pater Prophetas præmisit ad pronuntiandum Domini Incarnationem futuram: & Gabrielem Archangelum misit, ad annuntiandum eam Virgini Mariæ. Diaconus Evangelium pronuntians, est Angelus annuntians Virgini, quòd conciperet. Altaris thurificatio est Spiritus Sancti ipsi Virgini adumbratio. Ministrorum quies, sive sessio, est ipsius Virginis timor, & cogitatio, qualis esset Angeli salutatio. Chori verò thurificatio est Patrum illius temporis de Filii Dei Incarnatione diu desiderata exultantium, gratiarum actio, & congratulatio.

§. Secundus.

Pro Feria sexta Quatuor Temporum Adventus.



IN sexta Feria una tantùm lectio ad Missam legitur: quia Auctor novi, & veteris Testamenti, de quibus præmissum est, unus Deus solus est: & quia ex utroque Testamento unum Evangelium factum est. Et est Epistolaris lectio: *Egredietur virga de radice Jesse.* quæ est Esaiæ, & manifestè de Adventu, & de Beata Virgine Maria intelligitur: quæ, cùm esset immaculata Virgo, prope fuit. Ideoque in introitu Ecclesiæ præcinit: *Prope esto mihi Domine.* Et in versu: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Et ad idem pertinet Evangelium: *Exurgens Maria*: quod est Lucæ I. cap. Graduale: *Ostende nobis Domine, misericordiam tuam*: & Offerenda: *Deus tu*: vel secundùm alios: *Audi Israel,* primum respiciunt Adventum, quem quia Cœli ennarraverunt, id est, Apo-
sto-

ſtoli prædicaverunt, in ſecundo Adventu, cum Domino judicaturi: idcircò eſt hodierna Statio ad Sanctos Apoſtolos: de quibus habetur in Cantico Virginis, de quo fit mentio in præmiſſo Evangelio, ubi dicitur: *Depoſuit potentes de ſede; & exaltavit humiles*; id eſt: Depoſuit ſuperbos Scribas, & Phariſæos: & exaltavit humiles, id eſt, Apoſtolos. Et in Communione; *Ecce Dominus veniet*. Zachar. ult. cap.

§. Tertius.

Pro Sabbato Quatuor Temporum Adventus.

IN die Sabbati dicuntur quatuor lectiones de veteri Teſtamento ante lectionem illam; *Angelus Domini*; quæ ſumuntur de Lege, & Prophetis: & in quibuſdam Eccleſiis prima eſt: *Clamabunt*. Quæ eſt Eſai. XIX. cap. Secunda eſt; *Lætabitur*. Quæ eſt ejuſdem XXXV. cap. Tertia eſt: *Super montem*. Quæ eſt ejuſdem XL. cap. Quarta eſt: *Chriſto meo*. Quæ eſt ejuſdem XLV. cap. Ideo autem ſunt quatuor, quia quatuor ſunt Ordines benedicentium Deum, videlicet, Prelati, Clerici, Religioſi, & Laici, ſive Populus: quos enumerat, dicens: *Domus Iſrael, benedicite Dominum*: per hoc Populus; *Domus Aaron benedicite Dominum*; per hoc Prelati; *Domus Levi benedicite Dominum*; per hoc Miniſtri; *Qui timetis Dominum, benedicite Dominum*; per hoc Religioſi intelliguntur. Prima ergo lectio pertinet ad Populum: ſecunda ad Prælatos: tertia ad Miniſtros: quarta ad Religioſos. In his enim lectionibus informantur Ordinandi, ut ad exempla Sanctorum Patrum dictorum quatuor Ordinum, cum eis benedicant Dominum, ſive ut benedictio illorum veniat ſuper eos. Vel ideo quatuor leguntur: quia jejunans debet habere quatuor cardinales virtutes, ſcilicèt, Tem-

perantiam, quia ipsum jejunium temperantia est; Prudentiam: unde Apostolus: *Rationabile sit obsequium vestrum*. Fortitudinem: unde Proverb. ult. de muliere forti, idest, Ecclesia: *Accinxit fortitudine lumbos suos*: [quia oportet, nos multùm laborare, ad hoc, ut caro nostra munda sit, quod cum magna sit pugna; quia valde corrupta est, & spinas, & tribulos germinat: & ideo cum magna attritione venit ad candorem, sicut & byssus] & Justitia: unde Esaias: *Et erit justitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus*. De Christo loquitur in membris: quando enim fit justitia in terra, recedunt latrones; similiter, quando justitia fit, à nobis recedunt pravi motus, & non sperant, licèt in nobis habitent: si verò non fiat justitia, non recedunt: unde Esaias: *Quia non fecimus justitiam, non recesserunt habitatores terræ*. Ubi est justitia, ibi pax. Fides autem est cinctorium renum ejus, quia, ut dicit Gregorius: *Despectus terrenorum restringit fluctus carnalium voluptatum*. Unde, si jejunas à cibis corporis, oportet, ut jejunes à cibis dæmonis, & comedas cibos mentis. Qui autem sic jejunant, non nocebit eis ignis tribulationis, nec ignis mundanus, sicut nec tribus pueris nocuit ignis fornacis Babylonis: & ideo sequitur Daniel. IV. *Angelus Domini*. Præcedit autem ipsa lectio ordinationem Clericorum, ad notandum, quòd nemo ritè potest ad consecrationem accedere, nisi priùs transeat per fornacem, atque in fornace Deum benedicat, juxta illud Sapientis: *Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis*: quia qui ad sacrum accedunt Ministerium, probandi sunt in camino multarum tribulationum, & tentationum, juxta illud Apostoli: *Et hi probentur primò: & sic ministrent*. Propter Ordinandos enim legitur ad significandum, quòd sic vivere debent, ut non noceat eis aliquis ignis Regis Babylonis, idest, diaboli: sicut ignis tribus pueris non nocuit. Et sequuntur Benedictiones, scilicèt, Hymnus: *Benedictus es Domine*. Quia post probationem coronantur & à Domino benedicentur. Et in fine subjicitur versus: *Glo-*

Gloria Patri, &c. in laudem, & in honorē Trinitatis: quod non fit post Psalmum: *Benedicite*. Tum quia ibi in ultimo versu fit mentio de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, tum quia ibi in facto trium puerorum tota Trinitas fuit dehonestata: hi verò versus præcedentes ad solius Patris pertinent laudem, & in Ordinandis Trinitas honoratur. Choro autem licet sedere, dum lectio ipsa dicitur, sed non in cantu: aliud enim significat ipsa lectio in legendo, aliud in cantando. Unde nunc stare debent Episcopus, & Clerus, quoniam non debemus quiescere, qui scimus, pueros illos pro Deo laborasse. Dicuntur autem in Sabbatis jejuniorum septem lectiones, Evangelio connumerato, eo, quòd septem sunt Ordines. Et quidam dicunt duodecim pro eo, quòd antiquitùs Romæ [& adhuc in Constantinopoli fieri dicitur] legebantur Græcè, & Latinè: & legebantur duodecim lectiones per duodecim Lectores, quorum sex erant Græci, & sex Latini: erant tamen solummodo sex in sententiis: quoniam illæ sex sine Evangelio, quæ legebantur Latinè, legebantur & Græcè: sicut, si dixerimus: *Amen*, & postea dixerimus: *Verè*, non ideo duæ res sunt. Ideo autem legebantur dupliciter, quia Romæ erant Græci, quibus Latina lingua incognita erat; erant etiam Latini permixti, quibus Græca incognita erat. Vel hoc fiebat ad notandam utriusque Populi unionem. Ceterùm ad orationem, quæ dicitur post lectionem: *Angelus Domini*, scilicèt: *Deus, qui tribus pueris, &c.* non flectit Ecclesia genua, licèt in orationibus aliarum lectionum antè flecteret, præterquam in Octavis Pentecostes: ad ostendendum, quòd Ecclesia conformis est tribus pueris. Fecit enim Nabuchodonosor statuam, & cogebat omnes adorare eam, sed très pueri cum Daniele noluerunt genua flectere ante statuam. Tales debent esse Ordinandi, qui ante statuam, id est, ante mundi gloriam, genua non flectant. Quarè Clerici ordinentur, & quare in Sabbato, dictum est in Proœmio secundæ partis. Quidam conferunt Sacros Ordines inter lectionem: *Angelus*, &

Ep:-

Epiſtolam Pauli, ut poſt Ordinationem proponant Ordinatis Epiſtolam, & Evangelium, ad inſtar boni Paſtoris, qui mittens filium, monet eum, quid, & qualiter acturus ſit. Ordinati enim per Cappellas mittendi per Epiſtolam monentur, ut alios corripientes, benedictionem, quam acceperunt, cuſtodiant. Per Evangelium verò dicitur eis: *Euntes, docete omnes Gentes*. Nonnulli etiam, Subdiaconatu ante Epiſtolam ratione præmiſſa præſtito, continuè poſt eam Diaconatum, & Sacerdotium præbent: quibus præſtitis, in vocem lætabundam erumpunt, dicentes: *Benedictus es Domine*; eo, quòd hi præſertim Ordines invitantur ad laudes. Et præſtantur citra Evangelium, quia Moyſes, & Aaron Levitas in Tabernaculi miniſterium ordinaverunt, & Chriſtus Septuaginta duos Otdinatos ad prædicandum miſit. Debet autem legi Epiſtola, ſcilicet: *Romanus, &c.* quæ eſt II. ad Theſſalonicen.II.cap.ab aliquo deOrdinatis die ipſa:quia Epiſcopus debet priùs Ordinatos admonere, & poſteà ad majorem admonitionem, Epiſtolam illis tradere. Prætereà: Ordinatus, doctrinam ſibi in Ordinatione traditam per hoc ſe reducere in opus, oſtendit. Propter eamdem etiam rationem, unus de noviter Ordinatis legit tunc Evangelium: *Anno quintodecimo*. Quod eſt Lucæ III. cap. Poſt Epiſtolam etiam cantatur Tractus, qui ſignificat gravitatem, quam ſacratus, ſeu ordinatus ſervare debet, nè in ſuperbiā elatus in laqueos incidat diaboli. Communio eſt: *Exulta ſatis*. Quæ eſt Zachariæ IX. cap.



CA-

CAPUT TERTIUM.

Ostendit ea, quæ Pater Bartholomæus Gavantus, loquens in specie, dixit de Anni Temporibus.

SECTIO PRIMA,

Habet tradita à Gavanto de Temporibus Quadragesimæ, seu Veris, dum de eis sermonem instituit, & particulariter agit.

FERIÆ Quatuor Temporum ex Decreto Gregorii Septimi, tamquam à Majoribus eo tempore institutæ, habent Officia in Sacramentario Sancti Gregorii, & Lectionario Sancti Hieronymi. De quarum ritibus vide quæ dicuntur de Adventus Quatuor Temporibus: ubi cur Evangelium secundæ Dominicæ Quadragesimæ sit idem, ac Sabbati præcedentis, indicamus.

SECTIO SECUNDA,

Proponit ea, quæ tradit Gavantus in specie de Temporibus Pentecostes, seu Æstatis.

JEJUNIUM Quatuor Temporum fit ad imitationem Apostolorum, qui absente jam Sponso Christo, jejunio se dederunt, & Spiritus Sancti Adventu carnis delicias ablegaverunt. Isidor. lib. 1. cap. 37. & Amal. lib. 2. cap. 1. Festivum tamen jejunium est, cùm in eo non dicatur: *Flectamus genua*, ratione Temporis adhuc Pa-

Paſchalis, ex Ordine Romano. Quòd ſi fiat de Simplici commemoratio, non tamen dicitur tertia Oratio in Miſſa. An verò dies octava Pentecoſtes dici debeat Sabbatum ſequens, vel Dominica, diſputat Berno de quibuſdam ad Miſſam ſpectant. cap. 3. & concludit cum Catholica Eccleſia, Octavam dici Dominicam ſequentem, quam nos Feſtum dicimus Trinitatis. Sed tamen Tempus Paſchale terminatur in Nona Sabbati, ex Ordine Romano, Beda, & Alcuino. Cujus Sabbati Miſſa eſt pleniſſima; quia omnia, quæ dici poſſunt in Miſſa, in ea una continentur, Hymnus Angelicus, Prophetiæ, Sequentia, Symbolum, Præfatio, Communicantes, Hanc igitur. Cur in hoc Sabbato Quatuor Temporum omittitur Canticum trium puerorum poſt quintam lectionem? Arbitror ego, quia dicitur ſtatim Hymnus Angelicus nobilior Hymno trium puerorum. Quod deinde adnotatum legi ab Auctore Antiquitatum Lyturgicarum. Adde, ne duo hymni immediatè canantur à Choro.

SECTIO TERTIA.

Tranſcribuntur ea, quæ habet de Temporibus Septembris, ſeu Autumni, in particulari idem Pater Gavantus.



NTER has Dominicas à Pentecoſte dictas, occurrit Autumnale jejunium Quatuor Temporum, quod Leo decrevit, in menſe Septembri fieri debere. Microl. cap. 26. qui & tradit, nulli certæ hebdomadæ fuiſſe aſſignatum, ut reliqua jejunia; ſed tamen Eccleſiaſtica conſuetudine factum eſt, ut in tertio Sabbato Septembris jejunetur. Eſt autem Urbani Secundi decretum diſt. 76. Statuimus. ex Concil. Placent. cap. 15. Ex quo in-

intelliges, cur in Missali hujus Jejunii Missæ sub titulo Septembris positæ fuerint post Missam Dominicæ 17. post Pentec. non, quòd hæc illi sedes certa sit, sed quasi sedes media inter Dominicam 14. [ante quam tale Jejunium non accidit] & Dominicam 19. [ultra quam illud idem non occurrit] Citiùs autem, vel tardiùs inter utramque Dominicam celebratur, prout citiùs, vel tardiùs celebratur Pentecostes; sed semper post eam Dominicam, quæ in Breviario vocatur tertia Septembris, à quo idcircò titulum portant hæ Missæ in Missali. Vide quæ dicimus in Quatuor Temporibus Adventus, tum circa numerum lectionum, tum circa alios Quatuor Temporum ritus. Si contingat Festum in his Temporibus Septembris, tamen erit jejunandum. Ordo Romanus. Officia verò Missarum horum Temporum sunt ferè eadem, quæ in Antiphonario, & Sacramentario Gregoriano: atque in his Quatuor Temporibus Stationum finis est, quarum initium in prima Dominica Adventus constituit Sanctus Gregorius earum Institutor, ex Ruperto lib. 3. cap. 4. saltem magna ex parte, ut ait Platina: seu, ut verius loquamur, nonnullarum Institutor, & omnium Ordinator.

SECTIO QUARTA.

Refert à Gavanto dicta in specie de Temporibus Adventus, sive Decembris, vel Hiemis.



EJUNIUM Hiemale fit in tertia hebdomada Adventus, secundũ Romanam Ecclesiam. Microl. cap. 27. & dicitur ejusdem Auctor Leo Primus 76.dist. hujus.atque in hoc Sabbato tantùm Ordinationes habitæ sunt à Sancto Petro usque ad Simplicium Papam, qui deinde in Februario ordinavit, ut nimirum cum Christo nascente Ordinandi àb Ecclesia gignerentur. Amalar. lib.2.cap.1.

tum

tum in Sabbato tantùm, quía à Deo est fantificatum; ex Augustino ad Januarium, citato ab Alcuino in hanc causam; tum non, nisi cum jejunio, & orationibus multis in Missa, ex Actis Apostolorum 13. ubi segregati sunt Paulus, & Barnabus ministrantibus illis [hoc est, Missam facientibus, ut ex Græco patet] & jejunantibus. *Jejunantes*, inquit Lucas, *& orantes, imponentesque eis manus* [id est, consecrantes] *dimiserunt illos*, ut Leo Primus explicat, scribens ad Dioscor. Alexand. Episcopum. Gelasius autem dicitur primus, qui extendit Ordinationes ad alia Tempora in eorum Sabbatis. Microl. cap.24. Dominica post Sabbatum Ordinationis dicebatur Vacans, ex Microl. cap.29. quia putabatur ejusdem Officii cum Sabbato: & inde Evangelium hujus Dominicæ Quartæ est idem, ac præcedentis Sabbati: quod in Temporibus etiam, quæ accidunt in Vere prima hebdomada Quadragesimæ observabis; Sabbato enim, & Dominica sequenti legitur idem Evangelium Transfigurationis Domini: in aliis autem Quatuor Temporibus, Dominicæ sequentes alia ratione se habent, nam in Pentecoste variatur Evangelium propter Octavam illius: in Autumno item ob instabilitatem Quatuor Temporum, quæ non habent certam hebdomadam, ut suo loco diximus.





CA-

CAPUT QUARTUM,

Continet pro Coronide hujus Tertiæ Partis, illa quæ idem Pater Gavantus dixit, sive docuit de Stationibus Ecclesiasticis postquam egit de Temporibus in generali, & particulari: quia omnes dies Jejunii Quatuor Temporum sunt etiam Stationis. Ait ergo.



TESTE Sixto Quinto Constit. 23. edita die 13. Februarii anni Domini 1586. vetus admodum est ab Apostolicis usque temporibus ducta Sacrarum Stationum consuetudo, in quibus Fidelium multitudo ad Apostolorum sepulchra, & fortissimorum Martyrum memorias conveniens, hymnis, & canticis spiritualibus Deum in Sanctis suis mirabilem laudabat, & salutaribus immaculatæ Hostiæ Sacrificiis placabat, & adversus multiplices antiqui hostis impugnationes, tamquam in Castris Dei, statione tutissima consistebat. Hæc ille. Ex quibus patet primò, nomen Stationis Ecclesiasticæ translatum esse à castris, & statione militari [quæ locus erat militibus assignatus.] Quæ Etimologia solidior est, quàm aliæ, ex diebus statutis, quod docuit Sanctus Isidorus, vel ex eo, quòd stabant Fideles cum Papa, & aliquando tota die, in Ecclesia Stationali. Vide alias minùs probabiles apud Pompeium Ugonium de historiæ Stationum Romæ. Deinde patet origo Apostolica: cujus etiam meminit Tertullianus in pluribus locis, ut

mox dicemus. Tertio patet ritus Stationis, qui nimirum erat potissimus in Missis celebrandis: unde & singulis Missis Stationalibus præfigitur in Missali locus Stationis. Addebatur & Missæ Concio, ut videre est in Homiliis Sanctorum Leonis Primi, & Gregorii Magni. Jejunium quoque cum Statione conjungebatur, ex Tertulliano semel, & iterùm contra Psichicos, & in lib. 2. ad uxorem. Quod & nos retinemus in plerisque Stationibus, hoc est, in Quadragesima, & Quatuor Temporibus. Processionis item mentio est apud Tertullianum loco citato ad uxorem: & à viciniori Ecclesia, & non admodùm remota ibat Papa cum Clero ad Ecclesiam Stationalem. Atque hinc fortasse Belethus cap. 6. & cum eo Durandus definiere Stationem, hoc est, Processionem: sed erat terminus Processionis. Significat Sixtus Quintus in prædictis verbis, diversa fuisse loca Stationalia: & hodie sunt quinque supra quadraginta, licèt Stationales dies Quadragesimales sint quinquaginta quatuor, & alii per annum triginta, & unum, omnes octoginta quinque: quia ad eumdem locum sæpiùs itur. Non tamen scire possumus, quæ antiquora, quæ sint posteriora: ea verò omnia ordinavit Sanctus Gregorius, ut apertè scribit Joannes Diaconus in ejus vita lib. 2. cap. 6. idemque concessit indulgentias Stationarias, quod hisce iisdem verbis refert Bonifacius Octavus in Bulla 13. Aprilis, anno tertio Pontificatus: in qua confirmat indulgentias à Prædecessoribus concessas, & prætereà concedit & ipse contritis, & confessis visitantibus Ecclesias Stationales annum unum, & dies quadraginta de vera indulgentia: sed immensæ in unaquaque conjiciuntur esse indulgentiæ. Post obitum Sancti Gregorii nonnullæ Stationales Ecclesiæ fuerunt mutatæ: qua de re Lege Pompejum Ugonium loco citato. Illud ergo observo, de titulis Ecclesiarum stationalium Urbis fieri officium, seu commemorationem in Breviario Romano, exceptis Sancta Balbina, & Sancto Quirico: & in illius quidem Ecclesia fuisse Stationem, credimus,

tem:

tempore Sancti Gregorii; in hujus autem instituta fuit, seu translata aliunde à Sixto Quarto. Lege Ugonium suprà. Et hæc de Stationibus, quæ habentur in Romano Missali, nè quid illius prætermittamus in hisce Commentariis.

Finis hujus tertiæ partis, & totius Operis.

Laus sit Sanctissimæ Trinitati, Jesu Christo Redemptori, & Domino nostro, etiam Beatæ Mariæ Deiparæ Virgini sine labe peccati originalis conceptæ, Sancto quoque Eusebio Episcopo Samosateno, & Martyri, ac Sanctis meis Patriarchis Joanni de Matta, & Felici de Valois, omnibusque simul Cælicolis.

Omnia dicta in hoc volumine, cum Auctore ipso, Correctioni Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subduntur.

Errata sic corrige.

Pagina.	*Linea.*	ERRATA.	CORRECTA.
5	23	Mnltorum	multorum
11	19	inveniret	inveniet
14	19	Petrns	Petrus
21	18	peccare	peccare
26	9	Ieo	Leo
32	10	poten tior	potentior
32	11	Vidim us	Vidimus
39	10	hodie die	hodie
40	23	indutus	indutus est
42	24	deducit	educit
60	19	sic	sit
60	23	potest	potest
65	34	ang ustia	angustia
89	11	continu	continuò
112	28	sanguini	sanguinis;
122	2	fic	sic
122	24	homini	hominis
124	6	qui	quia
127	24	eos	ea
128	19	prevaluerunt	prævaluerunt
128	24	Ptinceps	Princeps
134	12	memorjam	memoriam
139	8	Mundo	mundo
139	25	agar	agat
140	34	uti	utique
141	17	agni	Agni
141	18	agnus	Agnus
143	9	longaminis	longanimis
144	9	datus	natus
153	12	quæ	quam
153	25	respectu	respectus
160	37	qu	qui
162	8	flagellati	flagellati
166	34	avertatut	avertatur
175	8	loqni	loqui

Pag.	Lin.	ERRATA	CORRECTA.
176	13	gioriofum	gloriofum
177	23	videret	viderit
189	18	ficat	ficut
189	19	ipfi	ipfi
193	27	aliqna	aliqua
212	3	acceptabilem	acceptabilem
214	8	Vifitatione	Vifitatione
215	22	Oburbaturam	Obumbraturam
217	8	fecit	fecit
230	34	iuveniuntur	inveniuntur
247	11	Temporum.	Temporis
258	39	Domiuo	Domino
268	6	aereos	æreos
Poft p.271. dic.malè		pag.72	272
274	34	manu	in manu
277	20	fnæ	fuæ
277	26	ncceffarium	neceffarium
283	8	tortuoiiitate	tortuofitate
292	34	fequcntia	fequentia
301	32	fi des	fides
303	10	rcducere	reducere
308	20	Æliæ	Eliæ
310	17	excita ndus	excitandus
Poft p.327. dic.malè		128	328
in ead.p.errata	24	miferatus	miferatum
339	13	devcniffe	deveniffe
342	1	exerc'ta	exercita
343	31	tangant	rangat
344	1	invaferit	invaferit
344	11	icolas	licolas
350	24	yirus	virus
353	4	mvfteriis	myfteriis
389	23	confolla-	confola-
391	7	quæ	quas
392	27	Sacratiffima	Sacratiffima
411	2	perverfitates	perverfitates
411	25	re ceffu	receffu
413	9	intereeffionibus	interceffionibus
413	16	prccum	precum

Pag.	Lin.	ERRATA	CORRECTA.
421	2	in fenfis	infenfis
427	12	Genetricem	Genitricem
431 poft lin. 28.		Omiffa funt ifta verba: Oratio *Ecclefiæ*, vel pro Papa, quæ dicuntur in Temporibus Adventus (cum fuis Secretis, & & illis, quæ ipfis poft Communionem refpondent) funt explicatæ pro Temporibus Pentecoftes à pag. 416. inclufivè ufque ad 426. etiam inclufivè.	
432	5	ratio	ratio–
432	7	Paul-	Pauli
434	11	Encenia	Encænia
434	26	feratnr	feratur
443	24	Miffam	Miffam
444	11	eos	eum
446	6	Tcmporum	Temporum
447	1	qnod	quod
447	27	offenditur	oftenditur
449	18	qui etis	quietis
451	25	Moyfem	Moyfen
452	7	Tempore	Temporibus
454	17	teffere	teffere

